CASPARIS BARLÆI
Antverpiani

POEMATVM

PARS II,
ELEGIARVM
ET
MISCELLANEORVM
CARMINVM.



AMSTELODAMI,
Apud IOANNEM BLAEV.
MDCXLVI.

NOBILISSIMO AC

MAGNIFICO VIRO

D. DANIELI SCHONCKIO,

Poelgeestæ Minoris Domino.

ACcipe, Nobilissime Vir, Poëmatum meorum Partem alteram, quorũ priorem credidi tutelæ N. Zulechemii. æquum putavi vos jungi meis studiis & chartis, quos jungit cognatio. Quoties prædium istud tuum illustre ac peramœnum, quod ad Rheni ripam surgit, cogito, quo me ægrum, quo incolumem excepisti sæpius, in Tusculo mihi videor aut Formiis tecum vixisse. Hic non semel barbitum tetendi, & inter avium matutinos cantus cantillavi non segniter, veluti in Delo sua Phœbus, in Tibure Flaccus, in Avenionis ad Rhodanũ montibus Petrarcha. Invitat me eò aëris mira salubritas, & ad poëticas commentationes comparatus planè loci situs. qui inter arborum doctos ordines & hortorum spatia ac pulvillos, sub salicis vel tiliæ umbra, eas elicuit meditationes, quas à litterarum & philosophiæ cultore minimè alienas censes. Placent sua singulis studia, & uti vitæ aliquod genus quisque sibi eligit, vel χρηματιστικὸν, vel ἀπολαυστικὸν, vel πολιτικὸν, vel θεωρη-

πικὸν, ita in postremo hoc genere, contemplationum artiumque delectu gaudemus. Mihi duæ maximè arrisere: Philosophia & Poësis. illa seria & ad vitæ hujus usum faciens, hæc magis ad delectationem. illa ἔργον meum, hæc πάρεργον. Ea ferè hominum conditio est, ut quotidianam sapientiæ professionem, suaviore otio diffindere ament, & postquam serii fuere, cupiant in amœniora secedere. Huic in deliciis exotica sunt, & ex alio orbe allatus simius, psittacus, bacilla, capsulæ. illi testacea, conchæ, turbines, cochleæ, rombi diem trahunt. alios veterum Græcorum vel Romanorum utensilia occupant, lychni, fibulæ, pelves, secures, urnæ. Sunt qui felicitatis suæ summã putant, canibus imperare & felibus. Quare non ægrè à Te veniam impetravero, si furore poëtico plusculum commotior, hanc insaniam pergam insanire, quæ prima veterum philosophia fuit & sapientia. Nec enim fero illos, qui acerrimis impetiti conviciis, nullo offenduntur magis, quam poetæ nomine. quod adeò venerabile arbitror, ut omniũ dignitatum & appellationum titulos transcendat. Sane quanta fuerit horum æstimatio, Augusti Cæsaris exemplo constat, qui à reip. negotiis feriatus, duorum poetarum gaudebat contubernio, Maronis & Flacci. licet alter lachrymis & oculis lippis, alter suspiriis & tussi Imperatori gravis esset. Fas est artifici suam artem prædicare, sine aliorũ insectatione.

tione. Poëtices laudes nemo capit, nisi poeta. Nemo propius ad Deos accedit, nemo cum iis familiarius agit, nemo indolem divinam magis refert. Invocamus Apollinem, Musas, modo omnes, modo singulas, etiam Minervam, & ad nutum adsunt. licet invita interdum accedat Minerva. Ioves, Martes, Veneres, Mercurios loqui nobiscum facimus, quod nec Iurisconsulto, nec Medico, nec Philosopho concessum. Non minus ubique sumus, quam Superi. & licet habitemus in terris, in intermundiis Epicuri, cum libet, scribimus. Est Deorum omnia nosse, & supra vulgus sapere. nec minus per universa oculos mentemq; circumfert poëta. quā ob causam poësin Plato τὸ ὅλον vocabat. Commendat Superos justitia. etiam vatem, qui versibus numeros, dictionem, decorum suum magna religione distribuit. tumultuamur cum tragicis, cum comicis incedimus lenius. jocamur cum Venere, cum Iove supercilium tollimus, crudeles sumus cum Marte, cum canimus *Bella per Æmathios plus quam civilia campos.* Et quàm illud excellens. cum mechanicorum vix ullus, nisi ad Solem & lucis beneficio suum munus obeat, poëta spissis in tenebris & intempesta nocte Musis vacat, similis aviculis istis, quæ defioculæ melius canunt. Cum novem virginibus nobis res est sub stragulis, remotis arbitris. iis in locis, quæ nunquā adspexit Sol, lineas poëticas ducimus. Vti Minos in inferorū sedi-

bus vitas hominum & crimina diſcit, nos nocturna caligine circumfuſi eadem diſcimus & dicimus. Non impediunt Plutonis officia Furiarũ flagella & latrans Cerberus. nec meditantẽ me turbant nocturni & horarii Stentores. Majoribus quoque fruimur indultis, quàm mortaliũ ceteri. Cum mentitur civis & maledicit, vapulat presbyteris. cum idem facimus poëtæ, & *Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico* dicit, laureã meremur. Apud Ethicos plus dicere, quam res eſt, in vitio poſitum, apud nos in virtute. Platonicas ideas, humanitates, animalitates, bovinitates ridet & explodit Alexandri præceptor. Nos cum ideis aulicis turgemus, & Regalitates, Cardinalitates, Principatus, ducatus, comitatus ſomniamus, à Regibus, Cardinalibus, Principibus ungimur. Solus poſt Deos miracula facit Poëta. mortuis vitam reddit, & immortalitate donat Achillem, Æneam, Scipionem. Cæcis viſum dat, claudis greſſum, paralyticis robur, macilentis toros muſculoſq; cum mediocriter doctos, proboſque ſuperlativis donat. Cum vellera aurea, mala Heſperidum, Chimæras, Geryones fabricat, cum ex fumo fulgorem dat, ex muſca elephantum facit, Nioben in ſaxũ vertit, Daphnen in laurum, creanti ſimilis eſt. Nec abeſt à miraculo, grandem cœli machinã in Epigrammatis punctũ contrahere, quod fecit Claudianus; numeroſos Græcorũ & Phrygum exercitus claſſeſque terras omnes &

insulas

insulas paucis pagellis complecti, quod fecit in Iliade Homerus; Romanorū res gestas jam inde à nutrice lupa ad Augustæa tempora, uni scuto insculpere, quod fecit Maro. Qui saccarias artes excutiunt, fallunt spectatorem. Etiam poëtæ, cum Trojam equus capit, Æneas Carthaginem appellit, Augustus Divûm genus est, Ilia ex Marte gravida est, fallunt nostram credulitatem. Pictores cum Pergamorum incendium, raptam Proserpinam, aut Deianiram pingunt, omnium in se oculos convertunt. at præivere pictores poëtæ. Musicis & cantoribus præbemus aures attentissimas, at poëtis Orpheo, Amphioni, ipsi leones & lapides. Mercator merces suas conditoriis asservat, quæ magno precio conducit. nos saburram omnē nostram nobiscum absque impensis portamus. Agricolæ ætheris favore, statis temporibus, fruuntur. nec semper sementem faciunt aut messem. nobis nullo non tempore vacat vatibus esse. Miles non nisi hostem suum exercet. Nos hostes & amicos. Medici minus jucundè sanant ægros catapotiis ad fastidiū ingratis. At nos μελοποιΐᾳ & carminum concentu furiosos ad se revocamus, quod noverat Asclepiades medicus. Philosophi in sectas abeunt. poetarum sectas nescio, quia ab eodem Numine agitantur omnes. Hujus ordinis cum sim, noli aversari, Vir præstantissime, hospitem & hospites Musas. Fuere hujus scholæ, quos Scipiones, Lælii, Polliones amavere.

amavere. Si Lucanum non tulit Nero, ab invidia carminum fuit. Nulli graves sumus. delectamus & prosumus, dum benè factorum memoriam servamus. Amicitias bonorum magni facimus. loquuntur Elegiæ ad amicos. Sacra veneramur; loquuntur Sacræ. Principum vultus suspicimus, prout se res dant prosperæ vel adversæ, prout nascitur hic, denascitur ille, procantur Phyllides, nubunt Hecubæ, lustrantur urbes, prædia, agri, Epigrammata fundimus. Hæc amicitiæ veteris & nunquam intermorituræ novam tesseram habe. Plurima apud te, in tuis ædibus & agris nata sunt. quædam de te & tuis loquuntur. Ipse, cum serenus esse vis, spiritum per poëtica commenta feliciter præcipitas. Me ea comitate, benevolentia. ac animi propensione amplecteris, ut ignorare hoc Batavos meos nolim, quorum uti plurium consuetudine fruor, ita tuâ respiro liberius. Vale. è Museo nostro Amstel. xx. Oct. cIↃ IↃ c xlv.

Nob. Tuæ addictissimus,

C. BARLÆUS.

C. BARLÆI
ELEGIARVM
LIBER I.

Qui sacras habet.

Elegia I.

DE CREATIONE MVNDI.

Sidera cum terris digestaque corpora mundi,
Claraque ter magni Numinis orsa canam.
Sat patriæ Batavisque datum; sublimior ausis
Accinat authori nostra Camœna suo.
Quaque levis toties cecinit præconia famæ,
Expendat fidei grandia verba meæ.
Magne Deus, dum cuncta creas, creor ipse poëta;
Quodque creor vates, muneris omne tui est.
Tu me igitur tanto pressum sub pondere rerum
Erige, & immensum pande creator opus.
Da mihi te facilem, timidaque illabere menti.
Ingenium nutu statque caditque tuo.
Non caneris sine te, nec fas sine numine numen
Dicere: quæque Deum vox sonat, illa Dei est.
Principio totum tenebris immerserat orbem,
Et poterat sibimet displicuisse chaos.
Nullus in orbe decor; non fulgens ignibus æther,
Aut spatiis dirimens secla diesque suis.
Non sua fraternis opponens vultibus ora,
Signiferi medium Luna secabat iter.
Non Helice pavidis fluctus signabat Achivis,
Visaque tum populis Parrhasis Arctos erat.
Imbiberat terram pelagus, nec flamma, nec aër
Seque suumque decus conspicienda dabant.
Semina naturæ nox intempesta premebat,
Officio nondum tunc patefacta suo.
Condiderat tanta Genitor primordia molis;
Atque aliqua saltem parte creator erat.

Solaque materies, facieſque informis abyſſi,
Nec diſtincta rudis Thetye Veſta fuit.
Quis mihi perpetuo currentia ſecula motu
Suggerat? & nullâ corpora facta manu?
Cur numeros atomoſque crepat delira vetuſtas?
Aut placitis turgent docta Lycea ſuis?
Cedant Parmenidæ veteriſque oracla Meliſſi,
Cedat Anaxagoræ Democritique furor.
Cæca ſtupet ratio: nec, quæ nihil antè fuiſſe
Credimus, hæc fieri, neſcia, poſſe putat.
Tota ſtupet Natura Deum, robuſtaque quamvis,
Viribus in nihilo deficit ægra ſuis.
Ars ſtupet, & tantæ ſpectans molimina dextræ
Hæret, & ipſa ſuas damnat egena manus.
Vna per immenſum virtus diffunditur orbem.
Orditurque ſuum dextra creantis opus.
Namque ubi prima diem mundo conceſſerat Eos,
Emicuit vultu lux ſpecioſa novo.
Non tenebræ merſere chaos, ſed clara diei
Fax fuit, & nocti diſſociata ſuæ.
Altera ſuſpenſum ſpatioſo fornice cœlum
Vidit, & ætherea, corpora vaſta, domos.
Volvitur, & magno moles libratur inani,
Et diſtincta ſuis orbibus alta ruit.
Quo colitur rectore domus, fulcitur ab illo.
Quoſque ſibi format, poſſidet ipſe lares.
Et licet occiduis omnes mergantur in undis,
Tardius occiduis quilibet exit aquis.
Non ſubit alternas cœleſtis machina mortes,
Nec variæ verſant iſta theatra vices.
Vna manet cunctis facies, decor omnibus idem;
Et ſtabili pulchrum fœdere perſtat opus.
Tertia ſpumantis diffuſa palatia Nerei
Adſpicit, & vaſti regna profunda maris.
Adſpicit è medio naſcentes æquore terras,
Quæque prius latuit merſa, reſurgit humus.

Ipse suas, magno quas non comprenderat alveo
Oceanus, vario gurgite clausit aquas.
Pars Gades Calpenque subit. pars Caspia pulsat
Littora. pars Gothici verberat arva soli.
Ilicet Ægaos fluctus absorpserat Helle,
Et Tanai propior mixta Propontis erat.
Pars hæsit concreta gelu, supposta Boota:
Forsitan ut Batavis sola negaret iter.
Pars Arabum terras, calidos pars alluit Indos,
Pars subit ingenti Persica regna sinu.
Nec tamen ignotos fluctus sulcaverat Argo,
Aut fragili Tiphys puppe magister erat.
Nec primava truci livebat sanguine tellus,
Aut spatiis stabant regna dirempta suis.
Sponte sua fruges, nullis vexata colonis,
Nesciaque attriti vomeris arva dabant.
Iam coryli, &, nondum feralia signa, cupressi,
Et salices petulans exeruere caput.
Floraque purpureos pratis expandit honores,
Luxuriansque novo gramine risit ager.
Creverunt virides ventura in præmia lauri,
Palmaque Olympiacis præripienda rotis.
Aurea per laxos radiabant lilia campos,
Nondum virginea lilia carpta manu,
Et violæ, & regum signandi nomine flores;
Iamque recens facta plus rubuere rosa.
Quarta coruscanti flammas inspersit Olympo,
Et tremula radiis emicuere faces.
Explicuit roseos lampas Phœbeia vultus,
Et vaga spumantes exit & intrat aquas.
Per duodena suos impellens sidera currus,
Metitur spatiis tempora fluxa suis.
Quæque per obscura tranquilla silentia noctis
Cornigero niteas lumine, Luna venis.
Subdidit ipse suos Veneri Cyllenius ignes,
Cessit & ingenti Martia stella Iovi.

Hunc Saturne prais, & terris dira minatus
Ingrederis lento per tua regna gradu.
Nec minus innumeris illuxit ab ignibus æther,
Cœpit & obliqua Signifer ire via.
Hic pluvias fundebat Hyas; spirabat Orion,
Parte aliâ rabido torruit igne Canis.
Altera Hyperboreas spectabant sidera terras,
Altera in Australes versa fuere plagas.
Cuncta creatoris conformia legibus ibant,
Et sibi præscriptis quæque stetere locis.
Quinta luce vagi verrebant æquora pisces,
Et Venus in gelidis fervere cœpit aquis.
Grandia terribiles agitarunt corpora phocæ,
Et pistrix spinis horruit ipsa suis.
At medium aligeræ sulcabant aëra turmæ,
Argutaque loquax voce strepebat avis.
Sed, nondum humanas edoctus reddere voces,
Psittacus indocili gutture cantor erat.
Sexta dies totum fœtis animalibus orbem
Donat, & innumerâ pascua prole beat.
Hic quadrupes lascivit equus, spirasque retorquens
Gramineo fallax delitet hydra thoro.
Lanigerique greges ibant custode remoto,
Nec Corydon timidas pastor agebat oves.
Non lupus imbelli ferus insidiatus ovili est:
Ambulat innocuo tigris & agna gradu.
Tunc mundi sublimis apex, & cura laborum
Vltima, totque operum gloria factus Homo est,
Oceani terræque potens moderator, & hæres;
Cui data nascentis sceptra stupenda soli.
Cujus ad imperium placidi tremuere leones,
Et posuere suas horrida monstra minas.
Nulla venenato nocuit cui vipera morsu,
Et scelerum nondum pœna cicuta fuit.
Quæque ferax thalamos numerosa prole bearet,
Ipsa thori consors portio facta viri est.

Fecerat

Fecerat ista Deus, perfectaque machina mundi est,
Et placuit vastæ nobile molis opus.
Iamque opifex magno dedit intervalla labori,
Et lux inceptis septima finis erat.

ADAMVS PECCANS.

ELEG. II.

Cernite me, me degenerem spectate nepotes,
Principium miseræ posteritatis ero.
Sanguinis hæredes, pariter quoque criminis estis,
Atque reum quæ me, vos quoque causa facit.
Cum ruerem, mecum ruitis, me stante stetistis;
Vnus ego vestrûm morsque salusque fui.
Viximus insontes, & vos: peccavimus, & vos:
Nec sine patre boni, nec sine patre mali.
Sic placuit pepigisse Deo, lex prima parentem
Et sobolem simili conditione ligat.
Et potui peccare miser; voluique, quod unum
Fas erat arbitrio me potuisse meo.
Et potui non esse miser; nec velle; quod unum
Dum volui, potui qui miser esse, fui.
Libertas fecit ista reum. si cogerer, essent
Tuta patrocinio crimina tanta suo.
Quid malus obtendam sceleri? tua, maxime rector,
Nota fuit menti lex veneranda meæ.
Novimus & Superûm pœnas, & labile cœlum
Exemplum spretæ relligionis erat.
Quem peccasse pudet, didicit peccasse priores;
Debuit & tantis cautior esse malis.
Sprevimus audaces magni mandata parentis,
Et potuit vetitum plus placuisse nefas.
Nec mihi simplicitas, nec causa proderit error:
Mens sapiens major simplicitate fuit.
Credulitas scelerata mea est: & crimine in isto
Livor, in hoc species impietatis erat.

Quin mihi divina sortis speratur imago,
Et vanâ superos ambitione sequor.
Ingrato peccare libet. cui vasta patebat
Machina, prælatum non tulit ille Deum.
Stultitia cœlum petii, magnique Tonantis
Progenies cœlo noluit esse minor.
Mille modi scelerum facto sociantur in uno,
Et miser haud unâ sum ratione nocens.
Femina seduxit miserum decepta maritum,
Et mulier tanti criminis orsa facit.
Auscultasse meum scelus est, thalamoque Deoque
Debitor, illius falsus amore fui.
Suaserat Eva malum; cur non dissuaserat Adam?
Cur conjunx facti facta magistra mei est?
Cur magis illa dedit? cur tu minus abnuis Adam?
Aut minus hoc vetui, quò magis illa jubet?
Illa prior Ditis monitis: ego credulus illi
Obsequor, & titulo deteriore cado.
Ordine peccatur; concessaque femina vita,
Prima mihi mortis facta ministra fuit.
An tanti pomum fuit, & prælata voluptas?
Et potuit pomo vilior esse Deus?
Cur frugum rerumque ferax mihi sorduit hortus?
Et gula mandenti luxuriosa fuit?
Quæ concessa mihi est, vitam produxerat arbor;
Accelerant vetita funera certa dapes.
Me natura reum poscit, cœlumque, Deusque,
Et furit in nostrum conscia terra caput.
Quæ placido nuper ridebant sidera vultu,
Intentant rigidas, jam truculenta, minas.
Quæ tot sponte prius fundebat munera tellus,
Vix eadem assiduo fracta labore dabit.
Incolumis qui nuper eram, jam languidus erro,
Extremumque vehet pigra senecta diem.
Quæ mihi mansueta domino parere solebant,
Turba ruunt in me, sed nocitura, feræ.

Merger

Mergor aquis, uror flammis, sublimia terrent,
Nascitur ad pœnam qualibet herba meam.
Ipsa quoque emoritur decoris cœlestis imago,
Et melior nostri pars scelerata nocet.
Me tenebræ, mentemque frequens obnubilat error,
Et periit priscus relligionis amor.
Exulat & pietas, candor, probitasque, fidesque,
Et subeunt animum crimina mille meum.
Peccati vexilla sequor, sum verna malorum:
Totus & imperio sordidiore regor.
Heu pudet, & tanti sceleris mihi conscia mens est,
Dumque pudet, membris tegmina quæro meis.
Quin Deus ultor adest, Nemesisque fatigat euntem,
Dum fugio, tacito me pede pœna premit.
Quæ latebras mihi tesqua dabunt? quò noxia vertam
Lumina? quæ vultus nox teget atra meos?
Cor tremit, occultusque quatit præcordia lictor,
Et mea perpetuus pectora tortor habet.
Antè oculos Styx ipsa subit, manesque profundi,
Quasque nocens potui promeruisse neces.
Præcipitat mors sæva gradum: gladioque coruscans
Arcet vivifico limine dextra reum.
Sic perii peccans, & rupto fœdere mundi
Irruit in sontes terra polusque duos.
Ipsaque posteritas fatis innexa parentum
Flagitio debet velle perire meo.

ELEGIA III.

ORATIO CAINI, occiso fratre Abele.

PEccavi, Superûm rector, primique parentis
Crimina flagitio deteriore sequor.
Imbibimus partem sceleris, veniensque propago
Hos etiam fructus impietatis amat.

Fraterno sontes maduerunt sanguine terræ,
Et nova germanus polluit arva cruor.
Dextra nocens mea facta mihi est, me me aspice sontem;
Hæc manus, hæc primi sica latronis erat.
Nec solum manus ista nocet. peccavit Olympus,
Et partem culpæ tu quoque Numen habes.
Cur mea spectanti sordent altaria cœlo?
Primitiæque meis displicuere focis?
Cur magis hic Superis potuit, minus ille placere?
Et Deus in partes, arbiter orbis, abis?
Sors eadem genuit geminos, sors extulit una,
Debebam simili posse favore frui.
Hinc subiit gravis ira mihi, nutrixque furoris
Livor & ultrices invaluere minæ.
Addita vis sceleri est, & dum furor arma ministrat,
Ausibus ingemuit conscia terra meis.
Dicat posteritas, fratrum quoque gratia rara est;
Hæc etiam mundi culpa sequentis erit.
Sensimus invidiam, venturus sentiet orbis;
Qui veniet post me, fecerit ista nepos.
Tunc quoque, qui stricto minitetur vulnera ferro,
Et madeat diro sanguine, frater erit.
Alteraque Ausonia mulier subvecta quadriga,
Per patris attonitos corpora ducet equos.
Et tenera victrix occurrens dextra sorori,
Crudeli Latiam funere tinget humum.
Tunc quoque terribiles recoquent aconita novercæ,
Et ruet in patrios sæva puella thoros.
Non hac cæde furor, non hac satiabitur umbrâ,
Horrescent aliâ secla futura nece.
Culpam culpa trahet, crescent fecunda malorum
Semina, mille dabit noxia dextra reos.
Nunc mihi, quod vitæ superest, fit mortis imago.
Promittit jugulo vulnera quisque meo;
Invisusque mihi, superis invisus, & orbi,
Anxius huc, illuc, & trepidanter eo.

Tolle reum, Rex summe, vel hæc mihi terra dehiscat;
Diluat hoc nostrum gratia nulla nefas.
Non locus est veniæ, nec sperat causa favorem.
Esse nocens credor, tu minus esse bonus.
Vota nec in ventos nil proficientia fundam.
Nil superest, præter posse timere, mihi.
Cum cernuntur aquæ, vicinaque flumina, nobis
Flumina cuncta notas insidiantis habent.
Occursant silvæ: silvis nocitura figura est.
Si scopulus: præceps cum ruit ille, tremo.
Iamque truces fremitu terrent immane leones,
Et, mea quæ laniet viscera, tigris adest.
Suspicio cœlum. cœlo diffidimus ipsi.
Quæ repetet fratrem, vox gravis una mihi est.
Fulmina me terrent, me rauca tonitrua terrent,
Conscia terra mei signa pudoris habet.
Nunc pluviæ capiti, nunc horrida grando minatur:
Sæpius exanimem vel levis aura facit.
Nunc magis astrorum, nunc sum metuentior undæ,
Cogit & insanus cuncta timere timor.
Omnia subscribunt offensi numinis iræ,
Meque, premente Deo, machina tota premit.
Nuper & ad tremuli trepidabam graminis umbram,
Quoque iacet frater, crimina dixit ager.
Quos dabat hic gemitus moriens, exasperat Echo:
Clamor adhuc aures personat iste meas.
Inde sub aurora, & surgentis luce diei,
Ora cruore madens est mihi visus Abel.
Lumina cum primo defessa sopore remitto,
Hæc iterum facies, hæc mihi forma subit.
Crudeles somni vigilem tenuistis, & ægrum,
Quem semel æterna nox premet atra die.
Omnia cum timeam, plus hoc fortasse timebo,
Funere lædatur ne manus ulla meo.
Conscia mens tacito præbet fomenta dolori,
Incitat & morsus pœna scelusque pares.

Quid faciam terror? torquet sua culpa Cainum,
Et Nemesis celeri me pede justa premit.
Heu fugiam terras, fugiam per saxa, per undas?
Terra alibi dicet, dicet & unda reum.
Sic miser & trepidans erro, sceleratus, & exul,
Et latrocinii signa notasque gero.
Latro fui fratris, fateor, jam latro Cainus
Ipse sui, pœnas exigit usque suas.
Illum dextra necat praeceps, me lentior ætas,
Suppliciumque mihi vita diesque trahunt.
Dum superesse sinor, sinor huic superesse dolori,
Longius & vivo, longius ut moriar.

ELEGIA IV.

ORATIO NOACHI

Ad mundum Diluvio periturum.

IMproba gens, ignara Dei, secura malorum,
Et nimium fati nescia turba tui;
Ad mea, degeneres animæ, præcepta venite,
Quas scelerum ex omni parte cupido tenet.
Discite sanari, qua fas est voce moneri;
Optima virtuti proxima quæque dies.
Dum licet, insani subeant fastidia secli,
Me duce mens aliud vestra sequatur iter.
Publicus assertor lapsam reparare salutem,
Et tantis veni pharmaca ferre malis.
Discite, quæ maneant sceleratas præmia terras,
Extremumque vehat flebilis hora diem.
Crimina dum vobis, pariter discrimina surgunt,
Et socio vadunt pœna scelusque gradu.
Si peccare juvat, fuerit punire voluptas:
Iudicis hæ partes, sed tolerantis, erunt.
Lenta licet properent ad pœnam numina, crescet
Irritata suâ numinis ira morâ.

Cernite, quæ pando texuntur ventre carinæ,
Hæ tabulæ Superûm signa furoris erunt.
Hæc ratis, hæc domus est, quam desuper imbribus æther
Perpluet, hæc mediis tuta feretur aquis.
Hæc est diluvio mundi pereuntis imago,
Hæc eadem terræ scena natantis erit.
Nil aliud toto reliquum servabitur orbe,
Quasque vehet clausas unica puppis opes.
Qui videt hanc, discat prudens sua fata necesque,
Et causam luctus colligat inde sui.
Dividet hoc cœlum vitas & funera ligno,
Dividet hac sontes, dividet arca pios.
Distabit probitas vitiis secura profanis,
Quique bibit fraudes, mox bibet author aquas.
En Superûm laxo pandentur cardine portæ,
Inque caput vestrum dira procella ruet.
Sideraque & fontes aderunt ultricibus undis,
Effundent pluvios nubila fœta sinus.
Nec sibi præscriptis subsistet finibus æquor,
Quamque scelus latè, sternet & unda viam.
Irruet in populos pelagus, camposque subibunt
Flumina laxatis exspatiata vadis.
Alteraque Oceani facies erit, altera terræ,
Obruet invisam jam modo pontus humum.
Tunc aliquis thalamo pavidus properabit amator,
Obvius & subitis fluctibus ibit amor.
Dumque volet solitis flammas exstinguere flammis,
Exstinguent vetitas æquora tota faces.
Tunc aliquis celsam mœchus sublatus in ulmum,
Pellicis in mediis corpora cernet aquis:
Dumque tumescentem circumspicit undique pontum,
Ingemit exitio cuncta parata suo.
Quaque ferent oculos mendax, perjurus, & exlex,
Præcipites adiget mors inopina gradus.
Ah, tenebris frustrà raptor se condet opacis,
Non locus, aut timidæ spes erit ulla fugæ.

Quique suas tinxit crudeli vulnere dextras,
Sanguineum vasto gurgite credet onus.
Dumque videt fessis se desperare lacertis,
Occidet, & nullo subveniente natat.
Tunc, quæ læta suo meretrix porrexit amanti,
Iactabit liquido brachia lassa mari.
Æmula quid celso struitis fastigia cælo?
Hæc spolium & pelagi præda furentis erunt.
Cur picturatis fulgent aulæa columnis?
Splendidaque è solido marmore tecta nitent?
Sedibus illa suis rabies convellet aquarum;
Auferet avulsos ventus & unda lares.
Nubitis, atque vagi scelerata licentia lecti est,
Vestraque non unum gaudia crimen habent.
Cornua cur tollis dives? quid spernis egenum?
Mox simili dabitur conditione mori.
Cur lasciva, salax, petulans, improvida, deses,
Immemor, indocilis, perfida facta gula est?
Quid juvat infami luces producere luxu?
Distentisque fluunt ebria vina cadis?
Turgida pampineos transcendent stagna racemos,
Opplebuntque truces ora bibentis aquæ.
Tunc sero similes vobis optabitis alnos,
Nec, quæ vestra vehet corpora, puppis erit.
Votaque discutient, & inania verba procellæ,
Et levibus tradent diripienda Notis.
Hæc toties dixi: vitiis patientia victa est.
Quæ fecisse pudet, dicere sæpe pudet.
Languet, & indocili silet auditore magister,
Et fugit insanum spreta medela virum.
Scilicet asserui jam me, victorque pericli,
Tutus in hoc, socia conjuge, lintre vehar.
Effugient nati, fugient discrimina natæ;
Rarus & à tanta clade redibit homo.
His pauci tabulis, tectoque vehemur in isto,
Parvaque naturæ portio sospes erit.

Æquore

Æquore sic facili ventisque ferentibus utar,
Moxque iterum nobis sicca resurget humus.
Non mea detrectant placidi mandata leones;
Hic aper, hic elephas ad mea jussa venit.
Cernitis, ut lenes conscendant carbasa tauri?
Et parili vadant femina masque gradu?
Ipsa fatiscentis metuens incommoda mundi,
Ad monitus properat reptilis hydra meos.
Quæque sibi patulo diffidit in aëre, compar
His latebris etiam tutius hæret avis.
At non illa movent stolidas præsagia mentes,
Et præfracta suum pectora marmor habent.
Omnia mox fient, fieri quæ posse negatis,
Nec mea falsiloqui vox monitoris erit.
Improba gens, celeri casus circumspice mente,
Et tua vicinis subtrahe fata malis.
Ah propera, nec te venientes differ in horas.
Dum differs, sceleri das alimenta tuo.
Sit monuisse satis. nos hanc conscendimus arcem.
Fallor? an irato Numen ab axe pluit?

ELEGIA V.
ABRAHAMI è CHALDÆA abeuntis
ORATIO.

Ibimus, & quò fata trahunt, retrahuntque, sequemur:
Nec profugum tellus vel remorantur aquæ.
Chara vale Chaldæa, vale mea patria; quicquid
In patria potuit dulce fuisse, vale.
Thariades procul exul abit, properamus amici,
Quò Deus & Superûm jussa verenda vocant.
Nec via, quà ducar, nec quas ferar hospes in oras,
Exilii vel quæ meta futura, scio.

Hic pater, hic tribus est, & nomina blanda, nepotes:
Ludit & ante oculos turba propinqua meos.
Hic domus, hic veteri congestum cespite culmen:
Hic patrios colimus, numina prisca, lares.
Hic mihi vicinâ præceps admurmurat undâ
Tigris, & Euphratis lenè sonantis aquæ.
Hic ager aërii mellis cœlestia dona
Sufficit, & multo lacte capella tumet.
Linquimus hæc, quæ certa domi, non certa sequentes;
Et tamen hæc eadem spes mihi certa facit.
Forsitan Assyrias Nilo mutabimus undas,
Atque alibi Euphrates, Tigris & alter erunt.
Forsan in Eoo figam tentoria mundo,
Forsan in occiduo me manet orbe locus.
Omne solum natale pius. non semper iisdem
Nubibus hæret avis, piscis inerrat aquis.
Officii parere mei est: sunt cetera cœli.
Auspiciis magni Numinis ibit Abram.
Hoc duce si tutus fuero, non ulla morabor
Damna, nec invisum pes mihi sternet iter.
Ille mihi currus, mecumque erit ille viator,
Et comes, & tantæ duxque reduxque viæ.
Quæ mihi vox dixit; Patriis è sedibus exi;
Hæc eadem dicet, quæ mihi terra vacet.
Qui jubet, ut chara procul hinc à gente recedam,
Leniet ignotis barbara corda viris.
Innumerasque inter tollet mea nomina gentes,
Nec sinet aut cultus, aut sua verba mori.
Erige me non fracta Fides, da robur eunti;
Atque animo subeant altera secla meo.
Hic pereunt anni, pereunt hic regna, domusque;
Vitaque, quam miseri vivimus, ista vaga est.
Cessit in hospitium mundus, novus advena veni;
Vespera cum fati venerit, ibo foras.
Vita data est utenda, alibi meliore fruemur;
Patria non hic est; quæritur illa mihi.

Non

Non dabit hanc Babylon, non hanc dabit Assur, & Haram,
Non Canaan semper, non Pharos ipsa placet.
Æthereas speramus opes, speramus & arces;
Et quæ non teneo sidera, vota tenent.
Quam non fessa manus, sed condidit arbiter orbis,
Ista mihi sedes, ista futura domus.
Hic vagor incertus, nunc huc, nunc avocor istuc,
Quaque via, vita circulus ille mea est.
Nec tamen extorrem crimen facit, aut malus erro
Indignus patriâ cogor abire meâ.
Te sequor, ô Superûm rector; quò jusseris, ibo.
Gaudeat hoc tellus hospite, sive polus.

ELEGIA IV.

ABRAHAMI filium Isacum immolaturi Oratio.

Quam mea me variis virtus exercita fatis
Intrepidâ nixum relligione probat!
Liquimus Assyrios, Chaldæas liquimus urbes,
Et procul externo jam lare tutus ago.
Deserui patriam, nec tot charissima nobis
Pignora mandatis prævaluere Dei.
Altera nunc cœlum fidei documenta reposcit,
Altera jam pietas imperat ausa mihi.
Cur Deus hoc mandas? cur non sinis esse parentem!
Cur dominum vacuâ me cupis esse domo?
Cur sobolès jugulanda placet? cur funere tàli,
Cur his èxequiis expedit esse pium?
Mille mihi patulis errant in montibus agni,
Multaque per Syriæ prata vagatur ovis.
Sunt juga taurorum, sunt victima crebra, capellæ;
Et, qui te placet, pinguior hœdus adest.
Cur tua non istis fumant altaria donis?
Nec cadit ante tuos icta juvenca focos?
Cur potius nostro das argumenta dolori,
Et repetis vitæ gaudia sola meæ?

Cur lex naturæ contraria legibus ista est ?
In jugulum nati cur ruet ipse pater ?
An mihi peccanti vindex irasceris æther ?
Utque luam culpam criminis, ista jubes ?
An aliquis superos, vel me, malus abstulit error,
Et vana legis credulitate fruor ?
An Abrahæ tentanda fides, totiesque probatum
Robur, & obsequiis officiosus amor ?
An, quod velle potest, juste voluisse putabo
Numen, & hoc facti regula velle mei est ?
An mea vis feri repetant exempla nepotes ?
Et pater invictæ relligionis ero ?
Quicquid erit, tua, magne Deus, mandata capessam.
Hæc est servitio dextra parata tuo.
Hic puer est, hæc ista strues, bustumque, rogusque,
Hic locus, hoc soboles hostia monte cadet.
Stringimus, & nati jugulo sic abdimus ensem.
Heu nimium cur es tarda reperta manus ?
Si pater appellor, mihi cur mactaberis Isaac ?
Et cur, si placeas victima, sospes eris ?
Cum genitrix effœta subit, mihi dextera languet,
Cum subit obsequii gloria, dextra ferit.
Si pereas, perit Abramidum sperata propago ;
Ni pereas ; fidei laus violata mea est.
Si jugulem, non te, fili, præsumar amasse.
Ni jugulem, minus, hic credar amasse Deum.
Suadet amor, dissuadet amor natique Deique ;
Spes tamen & curas & fugat una metus.
Spes superat, superat grandis fiducia cœpti,
Et quæ non cernit, credit adesse fides.
Tu præstare Deus poteris promissa clienti,
Tu facies verbis pondus inesse tuis.
Tu cineres animare pios, tu reddere vitam,
Secula tu soboli reddere rapta potes.
Quin mihi progenies busto nascetur ab ipso,
Et fuerant vitæ quæ bona, mortis erunt.

Vidimus hanc sobolem, te solùm dante, Creator;
Reddimus hanc iterum, te repetente, tibi.
Illa tuum munus, tuus est labor; accipe donum,
Primitiasque mei rursus amoris habe.
At tu nate, meæ vires, mea sola voluptas,
Delicium patriæ subsidiumque domus,
Exue sollicitas, num sit mihi victima, curas;
Autorem solum res habet ista Deum.
Ille potest longe positum spectare futurum,
Et certum dubiis casibus urget iter.
Illius ante oculos, quæ non sunt, esse videntur.
Ille diem mediis fenerat è tenebris.
Quam memini, tunc cum reges & castra fugarem,
Auxiliatrices accelerasse manus!
Quam memini Pharium mihi conciliasse tyrannum,
Cum conjunx thalamo reddita Sara meo est!
Quam memini nostrâ suspensam gente salutem,
Fœderaque in populos continuanda meos!
Quare age nostra truces jam nunc manus imbuat aras,
Et pater in fœtus sæviat ipse suos.
Aut sua, qui dederat, mandata refinget Olympus,
Aut iterum, fili, mox redivivus eris.

ORATIO IOSEPHI
ad uxorem Potipharis.
ELEG. VII.

QVid malesana meos princeps exposcis amores
Femina? quid vetitas expetis ægra faces?
Exigis officium? scelerum mandata retracta.
Obsequium tanti criminis odit amor.
Vis famulum? meliora jube. vis esse ministrum?
Servitii ne sit pars scelerata mei.
Debetur mens casta Deo, pietasque petitis
Abnuit, & fœdas respuit illa preces.

Hanc

Hanc dum sector amans, dominam detestor amantem,
Alteriusque faces discutit alter amor.
Hospitii sum verna tui: sic credar adulter,
Nec thalami custos, sed violator ero.
Non ego, si tellus careat rectore, vel æther;
Negligat aut tantum terra polusque nefas:
Tam grandis reus esse mali speremque, velimque,
Aut fidei violem jura decusque mea.
Non velit hoc Potiphar: nec fœdis improbus ausis,
Vt placeam dominæ, displiceam domino.
Quem premit ille thorum, pudor est conscendere servum:
Nec patitur socios nupta pudica viros.
Tristia si subeant vacui fastidia lecti,
Quæ mihi Sponsa fidem libera juret, erit.
Fœta puellarum Pharos est, fecundaque Nili
Ostia, virgineos quæ peperere sinus.
Hic castas adamare licet; tibi crimine jungar,
Et precium sceleri perfidus addet amor.
Improba quid juvenem, quid me lasciva lacessis?
Egelidum prorsus me tua flamma facit.
Qui te acuit Veneris furor, in me totus hebescit:
Tetraque sum, quo tu mollis ab igne liques.
Ac velut adversis scopulus non frangitur Euris,
Surduit ad voces mens generosa tuas.
Cur aliena meis conjux amplexibus hæres?
Longius amplexu me facis ire tuo.
Basia si speras, referam suspiria mœstus,
Excipiet noster gaudia vestra dolor.
Brachia tu stringis, mihi virtus brachia solvit:
Nec mea respondent ausibus ausa tuis.
Non mihi cæsaries, non compti lege capilli,
Collaque, non facies, non placet ille decor.
Dissuadent hæc ipsa nefas. formosior esse
Dum cupis, hoc ipso turpis amore mihi es.
Dum subeunt vultus, vultus subit ecce creator,
Et timidum tanti numinis horror habet.

Con-

Conjugis omne decus solo censetur honesto,
Nec, nisi quæ casta est femina, pulchra nitet.
Rideat, & nostris insultet vocibus aula,
Et dominæ spretos exprobret illa sinus.
Gens secura Dei scelerum mala nomina spernit,
Et pietas isto judice victa cadit.
Me Deus, & patrum veneranda exempla meorum,
Invictaque movet relligionis amor.
Ite Dionæi legum post sacra catelli,
Cedite Acidalii turba profana chori.
Tu quoque, tu nostrum mulier contingere corpus
Desine, nec lachrymas, nec superadde minas.
Non flector lachrymis, nec amantum cedo querelis:
Cur? speciem lachrymæ decipientis habent.
Quin potius restingue feros ploratibus ignes,
Istaque flagitium diluat unda tuum.
Nec promissa moror, nec quæ mihi sæva minaris:
Sis mala, sis facilis, luxuriosa noces.
Conscia mens proprii nutrit fomenta doloris,
Pœnaque peccatis it comes illa suis.
Luxuries, prædulce malum, blanditur & angit:
Quemque jocis reficit blanda, severa necat.
Non hoc, non magno narrabis fama Iacobo,
Audiet aut nati facta nefanda sui.
Sufficiat lasciva Thamar, non alter avitæ
Gentis & Isacidum stirpis adulter ero.
Non ego debebo Phariis ludibria terris
Improbus, aut faciet me mea culpa reum.
Te redamem? subeam potius ferale sepulchrum;
Membraque dem rapidis dilaceranda rotis.
Te redamem? tunc cum fontes remeabit ad ipsos
Nilus, ero propriæ servus amator heræ.
Instat amans mulier, sequitur, trahit, urget, inhæret;
Excipit & longas vis rabiesque preces.
Invitum quid iniqua trahis? cape pallia, non me:
Istaque servati signa pudoris habe.

ORA-

ORATIO IOSEPHI fratres in Ægypto agnoscentis.

ELEGIA VIII.

ILle ego sum nuper patriis extorris Ioseph
Sedibus, & nostræ portio spreta domus.
Ille ego sum vestro frater de sanguine, quem rex
Imperio latè vult dare jura suo.
Cura patris nocuit puero, patrique placere
Cui nocuit, cura plus fuit ille Deo.
Extulit hujus amor, quem fratrum presserat ira;
Vna salus vobis displicuisse fuit.
Quàm mea dissimili se judice caussa tuetur!
Quam distant studiis terra Deusque suis!
Vos mea, vos rigidis strinxistis brachia vinclis;
Ille meum claro cinxit honore caput.
Quæ Pelusiacis fecistis serva colonis,
Reddidit illa mihi libera colla Deus.
Non hîc cœca suos jactet Rhamnusia vultus,
Aut rotet instabiles ficta puella vices.
Casus abest, nec sors venturi incerta vagatur,
Aut hominum nullis finibus errat opus.
Dirigit hæc, totum nutu qui temperat orbem,
Rector, & occulto numine corda movet.
Ac veluti tacitis subterlabentia terris
Flumina, cœca quidem, sed tamen apta, fluunt;
Permeat ad fixos Superûm sapientia fines,
Quæque latent, magnâ cum ratione facit.
Illa nefas, scelerumque vias vestigat, & ortus,
Quo ruat & quantum possit iniqua manus.
Iam vitio sapiens laxat, jam stringit habenas;
Quæque vetat, fieri provida sæpè sinit.
Impedit, & prohibet: pœnas infligit & aufert:
Dura malis, precibus flexilis, æqua bonis.

Inclusi

Inclusi spatiis frendent sceleratus & exlex,
Nec se posse dolent, quæ voluisse queunt.
Cernite me, variæ exemplum memorabile sortis,
Cernite me, vitæ cernite fata meæ.
Qui modo pauper eram, regum palatia scando:
Quem puduit fratrem dicere, sceptra colunt.
Quem modo captivum mulier lasciva tenebat,
Emicat, & decori redditus ille suo est.
Dum furit improbitas, dum fratrum gratia rara est,
Nostra per augustum gloria tendit iter.
Me beat exilium, me vestra opprobria tollunt,
Et meus è turpi carcere crevit honos.
Heu lachrymor, fratres, & conscia pectora cernens,
Injiciam timidis pectora pectoribus.
Oscula defigam trepidis, sed blandula, labris:
Non alius vestri criminis ultor ero.
Quos gerimus, vobis etiam debentur honores,
Pars etiam vestra nostra salutis erit.
Sumite congestis Cerealia munera saccis,
Isacidumque meo vivat amore domus.
Ne pereant tanti miseranda morte nepotes,
Prævius hac adii regna beata nepos.
Vos titulos natique vices narrate Iacobo,
Decrepitumque levent nuncia læta senem.
Nos genitor fecit miseros, sed fecit amando:
Nos rapti miserum fecimus esse patrem.
Nunc amor ille mihi, nunc sors adversa parenti,
Nunc vobis in me profuit esse malis.

ORATIO IEPHTHÆ filiam immolaturi.

ELEG. IX.

CVr victor mea nata vocor? cur vincitur Ammon?
Si tua sunt laudi funera juncta mea.

Inclyta

Inclyta quæ patrios investit laurea crines,
Hæc eadem fati nuncia facta tui est.
Quos meruit plausus, meruit quos dextra triumphos,
Dedecorat voti prodiga lingua sui.
Castra foris sunt salva mihi, milesque, ducesque.
Vnica non sospes tu mihi nata domi es.
Quam mihi blanda Duci peperit fortuna salutem,
Eripuit misero vox malesana patri.
Nunc hostes periere mei, plus tu hostibus una es:
Dumque peris, tecum victor & ipse perit.
Vincimur imbelles ambo, qui vicimus armis:
Ammonios gladius, te mea vota necant.
Vota necant, sed stulta; necant improvida. nec cum
Stulta fient, ausim facta negasse Deo.
Cur aliquid dixi? cur lumina noxia feci?
Et victrix titulos polluit hora meos?
Teque Deumque inter dubius decernere cogor;
Impius, an cupiam perfidus esse pater.
Si peragam promissa; meis mactabere jussis:
Et dilecta mihi victima nata cades.
Si Domino promissa negem: perjurus habebor.
Et repetent nostram numina læsa fidem.
Altera lex sobolem, commendat & altera votum:
Et geminâ pietas lege, quod odit, amat.
Te mactasse odii est, te non mactasse favoris;
Hic illic species religionis inest.
Lex sobolem mactare vetat: sed vota reposcit:
Sic premit ambiguus pectora nostra dolor.
Irrita vis faciam, quæ vovi nescius? at me,
Inconsulta licet, solvere vota decet.
Irrita vis faciam, quia vovi turpia? multò
Turpius est Domino vota negasse suo.
Si natam mactare nefas, cur busta rogumque
Thariades nato conficit ipse suo?
Iusserat omnipotens: sed me quoque reddere vota
Iussit, & hæc magno vota probata Deo.

Illius

Illius obsequium sero celebrabitur ævo :
Nunc etiam mundo nostra probanda fides.
Quod vovi, scelus esse scio : sed vovimus illud ;
Vovimus, & voto nulla medela meo est.
Dum miser atque orbus vivo, mea vita scelesta est,
Dumque scelus præsto, sum magis ipse miser.
Quod facio, patior facinus: cadensque trucidor:
Mortua tu, Iephtes hostia viva cadam.
O utinam, tunc cum bello succumberet Ammon,
Hostili genitor casus ab ense forem.
Non jam barbarici spectator funeris essem,
Ingemeretque meis flebilis ara malis.
Nec, si me reducem mersissent tartara patrem ;
Stultitiæ lueres præmia dira meæ.
Phœbe tuos, vestros abscondite sidera vultus,
Nec videat fœdas lux speciosa neces.
Ite procul famulæ ; satis est spectare parentem,
Solus ego tanti funeris author ero.
Da veniam Iudæa mihi ; patriæque, tibique,
Hoc etiam constat tota cruore salus.
Quid genitrix irata doles? tibi debeat illa,
Debebit patri plus tamen illa suo.
Nata tua est? magis illa mea est. ego perdere possum
Qui genui ; nostri filia juris erit.
Si renuas, me perjurum amplexare maritum :
Si renuas, facies me magis esse reum.

EPISTOLA AMMONIS
Ad Thamaram sororem.
ELEG. X.

SÆpius hæc scribo, nec sum tibi femina tanti,
Vt mihi rescribas, plus minus ipsa faves.
Quo titulo scribas, placeam quo nomine frater,
Non moror ; hoc unum, te redamasse, moror.

Quò germana magis fugis, hoc plus diligit Ammon;
Accendunt vetita pectora nostra faces.
Vror, at occulto stimulum tu subdis amori,
Votaque dum spernis, plus voluisse facis.
Te facilem simula, potero te segnis amare:
Difficilis cum sis, cogor amare magis.
Nam licet infestis percussa bipennibus ilex
Perstet, ad extremum sæpius icta ruit.
Tu quoque, dura licet, poteris prece dura moveri,
Et cupies sorti condoluisse meæ.
Non formosa tibi es, nobis decor iste creatur;
Forma tua est, soli cernitur illa mihi.
Pulchra soror fueris, vultus vilescit imago,
Ni liceat vultu luminibusque frui.
Alterius dos ista viri est: plus fulget amando,
Et decus in thalamis exerit illa suum.
Quos solers natura tibi formavit ocellos,
Non dominæ, verum lusus amantis erunt.
Quæque tibi frons est, nostro festiva furori
Annuit, éque tuo corpore vita redit.
Quæ debes aliis, fratri invidisse scelestum;
Da mihi, da formæ gaudia prima tuæ.
Elige, si cupias, juvenem de gente tuorum;
Non tibi, qui Thamaram sic amet, ullus erit.
In facie pallor, macies in corpore toto est,
Inque dies te dum depereo, pereo.
Genua labant, crebrisque madent ploratibus ora,
Nec mihi nox vultus subtrahit atra tuos.
Membra mihi querulo recubant exanguia lecto,
Hoc unum credor sanus, amare queo.
Redde precor vitam, vel si mihi reddere non vis,
Per populos lethi causa ferere mei.
Tunc tibi, sed serò, tot verba precesque subibunt,
Et lachrymæ, & fratris tristia fata tui.
Tunc aliquis dicet; Iacet hic despectus amator;
Causa soror miseri funeris una fuit.

Ante

Ante tuos mea tunc oculos versabitur umbra,
Nec tibi tranquillæ noxque diesque fluent.
Si tibi virginitas cura est; quot sorduit illa
Matribus? hæc poterit cura nocere tibi.
Si fratris te terret amor, vetitique hymenæi:
Non aliter frater, quam peregrinus amat.
Eripe fraternum mihi nomen, & altera finge
Nomina. sæpe sibi somnia fingit amor.
Quos horret natura thoros, invidit amanti.
Nec tibi quæ genitrix, hæc fuit una mihi.
Est pater ambobus non alter, at altera mater.
Hoc ergò poteris non soror esse modo.
Quæ vetuit nostros lex inviolabilis ignes,
Dat veniam jussis sæpius illa suis.
Callida magnanimum quondam Thamar arsit Iüdam,
Et tamen hic illi tunc socer, illa nurus.
Ipse pater thalamos Vriæ conscendit adulter;
Cur mea, cur juvenum crimina tanta putas?
Haut puduit Lothum natarum amplexibus abdi:
Affinis tali non mea culpa malo est.
Regia res scelus est; levius peccare putatur,
Augusto quisquis sanguine natus erit.
Scilicet hæc teneram comitantur fata juventam.
Nec possum flammis non caluisse meis.
Cogor in obsequium Veneris, te cogor amare,
Imperat arbitrio tuque furorque meo.
Si formosa fores minus, en, minus Ammon amarem,
Audacem vultus me facit esse tuus.
Audacem faciunt gressus, & eburnea colla,
Quaque meo cupiam membra jacere thoro.
Vidimus Hebræas, sed non placet ulla, puellas.
Femina præ Thamara sordida quæque mihi est.
Aut mihi te cupiet jungi fortuna, vel artem
In vultus frustra contulit illa tuos.
Da breve sævitiæ spatium; lenire furorem
Sola potes, nostri sola medela mali est

Non decet invita fieri, quod dulce volenti est.
Armatas fugiunt oscula blanda preces.
Si fratrem redamas, pergam te frater amare,
Si renuas, forsan pejor amator ero.
Quod nequeo precibus, docto tentabimus astu,
Crede soror. valde est ingeniosus amor.
Et licet incuses, fuerisque irata minanti,
Nil moror, in tanto crimine fructus adest.
Damna libens patiar. nostras veniemus ad artes;
Iratâ satis est posse sorore frui.

RESPONSIO THAMARÆ
Ad Ammonis epistolam.
ELEG. XI.

HÆc tibi rescribo, quamvis diversa petenti:
Crimine te nolo demeruisse meo.
Te possum redamare soror, sed dispare lecto:
Consortem thalami te redamare nefas.
Scire cupis causam? titulo tibi deneger uno.
Sum soror; hoc caream nomine, amare velim.
Sim tibi difficilis; talem nunc expedit esse.
Argue morosam; dum tibi casta vocer.
Si tibi forma placet Thamaræ, si vultus & ora,
Cur hæc flagitio vis temerare tuo?
Tolle decus famæ, periit vultusque colorque,
Nulla est amissa forma pudicitia.
Pulchra tibi videor; quam vellem fœda viderer!
Quam vellem arbitrii res foret ista mei!
Pulchra tibi videor; pulchrâ tu disce carere;
Quæ tanto constant crimine pulchra, nocent.
Cum subeunt animum temeraria vota petentis,
Ingenuæ nobis erubuere genæ.
Conjugium, thalamique fidem, non improba posco.
Fœdera; nulla tibi basia lena dabo.

Me

Me pudor absterret timidam, te terreat idem.
Convenit ille mihi, convenit ille tibi.
Heu meminisse pudet, factique in imagine pecco,
Et rea fit tanti mens memor ipsa mali.
Non mihi tu frater, non crederis amplius Ammon,
Nec mihi qui pater est, debuit esse tibi.
Quæ non Davidicis infers opprobria tectis?
Quam tua tot proavûm crimina sceptra luent!
Et tamen hæc cœptis præfers exempla profanis,
Istaque peccato quæritur ansa tuo.
Qui te morbus habet miserum, febrisque calorque,
Astuti fraudes forsan amantis erunt.
Aut tibi si veri dissolvunt membra dolores,
Iste nocens poterit sic periisse dolor.
Non scelus est ægrum proprio jacuisse cubili,
At scelus est thalamo te jacuisse meo.
Non hic blanda quies fessis irrepat ocellis,
Præbeat aut placidas nox scelerata moras.
Ipsa suos à me vertant ultricia vultus
Sidera, & attonitos Cynthia flectat equos.
Virginitas intacta mihi est, totoque Sione
Illæsâ colitur virginitate Thamar.
Præstat ut alterius flagres sine crimine flammis,
Quàm ruat infando noster amore pudor.
Sit mea virginitas ignoti præda latronis,
Solabor casu deteriore malum.
Tu rapere innuptæ cupias, fraterque sorori?
Et scelus incestu conduplicare tuum?
Improbe amor, quo non mortalia pectora cogis?
Nec tamen hæc eadem pectora cogit amor.
Dum tibi vim simulas, dum cogi dicis amantem,
Prætextum vitio quæris; amare cupis.
Ista licet teneras depascat flamma medullas,
Obruere hanc sola relligione potes.
Aut canibus sectare feras, venabula torque,
Aut procul à Thamara rus geniale cole.

Colla doma spumantis equi, frenabis amorem,
Officiique tui pars erit iste labor.
Otia dum captas, scelerata negotia tractas,
Quodque velis, superest, prater amare, nihil.
Si tibi non parcis, patri, generique, mihique,
Flagitii vindex Absalon unus erit.
Tu mihi si fraudes, si perfida vincula nectis,
Excipiet fraudes forsitan ille tuas.
Non fallax tu solus eris, scit fallere & ille,
Materiemque dolis dat dolus ipse novis.
Intereà, quam turpis amas, te casta monebit,
Ne Thamaram posthac frater & Ammon ames.

IOBI QVERELÆ.

ELEGIA XII.

MVlta diuque tuli: tandem patientia victa est:
Et labat innumeris mens mea pressa malis.
Culpa minor vitio est, graviores crimine pœna,
Pluraque, quam potui promeruisse, fero.
Nil mihi jam reliquum tellus facit; omnium egenus
Mitia qua fuerant, aspera fata queror.
Cuncta mihi dederat cœlum, jam cuncta reposcit;
Et dolet hoc, donis tot potuisse frui.
Plus miser est, quisquis vixit sine labe beatus,
Nec, nisi qua fluxit prospera, vita mala est.
Hac mercede Deo longos servivimus annos?
Esset ut exitii causa, fuisse pium?
Et mihi simplicitas nocuit, candorque, fidesque?
An scelus audenti gratia major erit?
Proderit esse malis, quam sic coluisse Tonantem.
Ah, piget intactas cædibus esse manus.
Si latro, si raptor fuerim, placabitur æther.
Integra si fuerit mens mihi, pœna subit.
Et potius mendax, potius laudabor adulter,
Si minus à culta relligione probor.

Cur toties sacras humilis prosternor ad aras?
Inque meis fumat pinguior agna focis?
Si pietas gravis ista mihi est. peccemus inulti;
Impietas cœlo judice tuta viget.
Bella gerunt Arabes, &, gens inimica, Sabæi,
Et spolium de me quilibet hostis habet.
Assur adest, raptorque meos populare penates
Venit, & immisso milite vastat agros.
Mille mihi nuper tondebant prata capellæ,
Plenaque tardigradis pascua bobus erant.
Ingemuere meo centum sub vomere tauri,
Lanigerisque gregis copia magna fuit.
Vndique triticeæ complebant horrea messes,
Et latices tellus officiosa dabat.
Ad mea veloces properabant jussa ministri,
Hic agili dextra promptior, ille pede.
Sidonioque mihi redolebant murice vestes,
Tinxerat & nostras purpura rara togas.
Turba salutantum foribus fervebat in ipsis,
Ibat in Eoas didita fama plagas.
Omnia qui tenui, non hoc superesse fatebor,
Vt possim sanus dicere; dives eram.
Non bos in stabulis, non taurus mugit in agris,
Nulla mihi tremulo gutture balat ovis.
Et pariter pueri, pariter periere puellæ,
Et superest tanta è posteritate nihil.
Despiciunt dominum famuli, famulæque; miserque
Tot careo, potui quot satur esse, bonis.
Afflictum fugiunt omnes, nec noscor ab illis,
Tempore qui fuerant candidiore mei.
Nudus inopsque vagor, sine nomine, tegmine, cultu;
Et scabies toto corpore fœda riget.
Membraque liventi sordent languentia tabo,
Nec satis est uno me periisse modo.
Deseror amissis opibus, soboleque, domoque,
Conjuge. qua nobis omnia sola fuit.

Conspirant in me tellus, Acheronque, polusque;
Viscera nostra, mea diripiuntur opes.
Improba nunc Eliphas loquitur, nunc frendet Elius,
Et Baldad fatis asperat ora meis.
Ipsa thori conjunx, &, nomina blanda, nepotes
Vltimus accedunt ad mea damna dolor.
Numen ubi est? ubi sunt Superi? contendere possum.
Ingentis speciem sors mea juris habet.
Vive pius, patiere tamen; cole sacra, colentem
Sors tamen in lachrymas invidiosa trahit.
Quod si fata bonos vexant, magis aqua profanis,
Tene loquar, nullum dicere jura Deum.
Ista manus pœnas, hac ponderet altera culpas,
Dissimilis culpæ pœna futura mea est.
Et loquar hoc: Tantane animis cœlestibus ira?
Vt cupiant uni bella parare viro?
Egregiam verò laudem & spolia ampla reportent,
Si luteas sternant fulmina celsa domos.
Stringitur in teneras gravior censura columbas,
Et facilè innocuum vastat ovile lupus.
Perdere me facile est, si sit nocuisse voluptas,
Et qua me fecit, tollere dextra potest.
Vt stipula Boreas, foliis irascitur Eurus,
Irruit in nostrum numinis ira caput.
At facies, at dextra tua est, qua sanguine livet:
Dedecoris partem, magne creator, habes.
Sunt tua quæ fœdâ sordent mihi corpora crustâ:
Aut mihi dic, quanam sim tibi lege reus.
Crimina dic, dic quæso mea deliria vitæ.
Quod scelus est, vel quo sum tibi teste nocens?
Cur premis insontem? cur non placaris amico?
Cur tua sunt nostris lumina clausa malis?
Tu scelerum formas, numerosque expendis ad unguem,
Et potis es gressus & numerare pedes.
Cur mihi perpetuâ involvis caligine luces?
Et Stygios vivum cogis adire lacus?

Vita vices morientis habet, tumuloque superstes
Claudor, & exstincti sum levis umbra rogi.
Quo pede per terras, gradior Phlegethonta per ipsum,
Deficit ad funus præfica sola meum.
Cruda renascentes præbent alimenta querelæ,
Et reliquum vitæ nox tegit una diem.
Hæc si non merui, mihi cur succenset Olympus?
Si merui, causam vindicet ille suam.
Heu cæli terræque pudor! vixisse perisse est,
Totaque supplicio vita parata meo est.
Quis mea præteritis expunget tempora fastis?
Atque istum poterit surripuisse diem,
Quo me fatales genitrix produxit in auras,
Primaque principium funeris hora fuit.
Non erat, ut tantæ lux hac prænuncia cladis,
Flammiferis populos irradiaret equis.
Hanc chaos antiquum cæcis mersisse tenebris
Debuit, & fœdum detinuisse Nihil.
Cur qua sum genitus, non sum detentus in alvo?
Quæque domus, tumulus non fuit illa mihi?
Cur me læta sinu mater, cur fovit in ulnis?
Hoc ipso poteram tunc periisse sinu.
Brachia quæ toties puero supposta fuere,
Hæc artus poterant dilacerasse meos.
Oscula cur fixit? cur lumina blandula dixit?
Lumina tot lachrymis, tot miseranda malis.
O utinam tunc cùm teneræ per colla parentis
Reptabam, collo pondera lapsa forent!
Non ego jam longo traherem suspiria luctu,
Nec quererer miseros lentius ire dies.
Nec mihi quærenti facilis solatia somni,
Turbaret noctes cura dolorque graves.
Sæpè dolens inopes atque ora famelica pavi,
Pauperiesque mea sæpè levata manu est.
Me vidui coluere lares, ego pronior illos
Solatus studiis alloquioque fui.

Non amor argenti, nec habendi sæva cupido
Subdidit infami pectora nostra jugo.
Hoc studui: sacros opibus non tradere mores,
Totque Dei donis auctior, esse bonus.
Ad mea cum fessus properaret tecta viator,
Hospitis officiis obsequiosus eram.
Objice, qui poteris, falsa perjuria lingua,
Nostra fuit laudis lingua ministra tuæ.
Exige, qui poteris, servilis præmia dextræ,
Iratum credam justius esse Deum.
Tu quoque læse pudor, si læsimus, exige pœnas,
Federa si thalami nos solüisse putas.
Has Iobum meruisse vices dixistis amici.
Dicitis: in culpas area lata patet.
Causa mea est melior: nec enim tam dira peregi,
Aut par delicto est numinis ira meo.

ORATIO DANIELIS
in lacum leonum detrusi.

ELEGIA XIII.

MAgne maris cœlique Deus, dum vota supersunt,
Excipe, quos querulo fundimus ore sonos.
Neve precor tanti regis subscribe furori;
Sit satis Assyrii Principis ira mihi.
Tu Deus Isacidum toties pro gente stetisti,
Cum Pharios ultrix mergeret unda duces.
Tota tibi patuit Canaan, concessit Idume,
Quotque aderant, hostes tot cecidere tui.
Sæpe ferox petiit Iessæum Saulus alumnum,
Sæpius ille tuo numine tutus erat.
Ingreditur medios pietas secura per ignes,
Nec poterant flammæ vel nocuisse faces.

Te cecinere viri: rabidâque intacta favillâ,
Tunc fuit in laudes lingua diserta tuas.
Respice me, famulique tui miserere creator:
Subveniant fatis altera fata meis.
Quam ferus est Assur, tam sis mihi mitior illo,
Perdere quem vellet, ne periisse velis.
Orat opem Daniel, vastum demissus in antrum,
Et media veluti de Styge verba facit.
Vndique me Libyci terrent immane leones,
Et tot Marmarici monstra stupenda soli.
Iam timeo rictus, & murmura sæva ferarum,
Lumina sunt oculis ista tremenda meis.
Terribilesque jubas, atque ora famelica cerno,
Quæque rigent toto spuma cruorque specu.
Iam metuo villos, & tenta verbera caudæ,
Quæque meo recubant barbara membra thoro.
Hîc mihi terrificis aliquis rugitibus instat,
Hîc alius tunicâ contegit ora meâ.
Ille truces capiti dentes, hic admovet ungues,
Lambit & imbelles horrida lingua manus.
Cum subeunt pugnæ, cum bella immania surgunt,
Quam metuo, ne mox dilacerandus agar!
Nec mihi tuta quies: omnes vigilamus in horas,
Et placidus tenero corpore somnus abest.
Atque ego dum nequeo, lætor dormire leones,
Et recreat miserum, tunc timuisse minus.
Vivimus hos inter comites: hac vivimus aula:
Istaque supplicio scena parata meo est.
Sanguine cuncta madent: & squallent limina tabo.
Quæque famem nequeant ossa domare, jacent.
Tu Deus indomitis compesce leonibus iras,
Ingentesque tuo numine frange minas.
Tu loquere: & rabies stomachi sedata fatiscet,
Induet & mores bellua jussa novos.
Non fortuna reum, non sors facit illa nocentem,
Ista tuus fidei præmia cultor habet.

Non ego fallacis colui ludibria Beli,
Nec stolida supplex cum Babylone fui.
Sprevi ligna Deos, & inania nomina mystas,
Nec reor in saxis numen inesse tuum.
Omnia qui condis, non es pars condita rerum,
Artificique suo tam rude distat opus.
Quem nec terra patens, nec machina claudit Olympi,
Non faber augusto claudat in are Deum.
Lumina cur venerer cæcis damnata tenebris?
Exanimesque pedes, & sine mente caput?
Cur aures venerer? non est vigor auribus ullus:
Nec capit humanas machina tanta preces.
Os vidi, sed voce carens: sine robore nervos,
Nec rigida motus dant documenta manus.
Stat super excelsum moles erecta colossum,
Stat lapis, & cultus non capit ipse suos.
Hunc gentes populique furor malesanus adorat,
Et demens tangi credit amore sui.
Regia majestas vetitis advolvitur aris,
Et scelus exemplo splendidiore probat.
Gensque sacerdotum paribus se polluit ausis,
Hosque habet auctores fabula ficta suos.
At non ista meæ placuit vesania menti,
Nec lapidi dixi: Tu mihi numen eris.
Frangere quod possum, vel savis urere flammis,
Cur ego, cur pietas officiosa colas?
Nec coluisse libet squamosi colla Draconis:
Cur? potuit nostris occubuisse dolis.
Et jam strata jacent mediis immania templis
Corpora, disrupto bellua ventre patet.
Sic gemini periere Dei. jam ringitur Assur,
Et veteri excussus religione dolet.
Et dolet insana vacuus mercede sacerdos,
Solamenque mali funera nostra putat.
At tu præsidium misero es, tu sola salutis
Anchora, promissi tu memor usque tui es.

Sunt mihi jam faciles, sed te mandante, leones,
Ludit & antè meos effera turba pedes.
Africa terribiles mansuetior exuit iras,
Et soboles terræ degener ista sua est.
Sic ubi se nondum vitiis involverat orbis,
Credibile est astus detumuisse feros.
Et mihi nescio quis peregrè pulmenta ministrat,
Et recreant subitæ corpora fracta dapes.
Ite procul curæ. vati famulatur Olympus,
Nec, qui non possunt non nocuisse, nocent.

ELEGIA XIV.

Iuditha è castris Assyriorum redux, interfecto Holoferne.

VIcimus, atque uno patriam defendimus ictu,
Istaque Iudithæ gloria, nulla viri est.
Vidimus, & tanti, Cives, dux femina facti,
Materies doctæ posteritatis ero.
En caput, en dira vultus cervice recisos;
Hæc sunt militiæ prima trophæa meæ.
Hæc mihi victrici pars cessit, at altera castris:
Dividit Assyrium dextera nostra ducem.
Hoc munus ferale damus. cape patria sacrum:
Plus tibi, quam cæsi Principis ora, damus.
Hoc precio victas iterum mercabimur urbes,
Hoc spolium trepidis hostibus horror erit.
Ite viri, properate duces, cape tela juventus,
Excipiant ausus prælia vestra meos.
Nec jam terribilis faciem spectate tyranni;
Non poterunt veteres plus nocuisse minæ.
Cernitis, ut tumeant hesterno inflata Lyæo
Lumina? adhuc tepido Bacchus in ore natat.
Cernitis adspersos nocturnâ cæde capillos?
His mihi correptus Barbarus iste fuit.

Quæ sitiit nostrum rabies vesana cruorem,
Pocla suo moriens sanguine plena bibit.
Callida me volui capiti promittere diro,
Pollicitisque meis ingeniosa fui.
Basia dum quærit, stricto persolvimus ense.
Quam sunt concubitus aspera fata mei!
Quot miser à nostris speraverat oscula labris,
Vulnera tot validæ certa dedere manus.
Quique meo caluit modo vespertinus amore,
Iam calet, atque suo membra cruore fovet.
Arsit amans, nos flagrantes restinximus ignes,
Quæque caput, pariter sustulit ira faces.
Dum mihi philtra parat, mihi dum propinat amator,
Funus amatori femina sæva paro.
Esset ut officii merces celeberrima tanti,
Et veniens, abiens, hospes & hostis eram.
Quemque thorum mecum Princeps pressisset iniquus,
Solus, & infelix, exanimisque premit.
Ἀκέφαλος *mediis Venerem jam quærat in umbris,*
Atque aliquam ex imis manibus Assur amet.
Non mihi Manasis subiere oblivia chari;
Dum putor Eunucho sordida, casta fui.
Nec precio venalis eram, nec veste, nec auro:
Et tamen hæc probitas dissimulanda fuit.
Integra fama mihi est, vici sine crimine Medum,
Nec læsi titulos ille pudoris habet.
Peccassem fateor, si delinita fuissem;
Nunc volui verbis pondus abesse meis.
At corpus scelere intactum, pectusque pudicum
Cum mihi servarim, perdere verba leve est.
Peccavi mentita? fui mentita tyranno:
Hoc dudum Phariæ me docuere nurus.
Cui nocui mentita? Duci. sic vicimus hostem.
Hæc bona sunt dubiis anteferenda malis.
Patria salva mihi est: tota est Bethulia sospes;
Discedent muris impia castra meis.

Hac dixi mercede aliquid, quod dicere nollem
Libera: sic culpâ lingua carere potest.
Causa subest facto, causâ mentimur honestâ,
Invidiam noxæ detrahet illa meæ.
Isacidæ laudate Deum, puerique, senesque,
Et celebrent ausus secula sera meos.
Clara fuit Deboræ virtus, plus fortis Iaël,
Accedam tantis ultima nominibus.
Vos illud librate caput, procul horreat hostis:
Et discant dominum castra timere suum.
Inveniet reliquam, partem dum spectat ademptam
Barbarus, & lacero Principe terga dabit.

ELEGIA XV.

ORATIO

Matris Iudaicæ, crudeli supplicio una cum filiis septem sub ANTIOCHO extinctæ.

STabat, & excoctas mater Iudæa favillas
Dum videt, & natis busta parata suis,
Talibus immitem dictis fuit ulta Tyrannum,
Suppliciumque suum leniit ore dolor.
Quid furis? & nostris acuis cruciatibus ignes?
Barbaricasque ferâ protrahis arte neces?
Hac patiar pro lege libens. non flamma, nec ensis,
Me poterunt Domino surripuisse meo.
Vre; pium flammæ rabies accendit amorem.
Vre; Deum noster fortius ignis amat.
Vre; sacrosanctas subdunt incendia flammas.
Vre: sacer diro crescit ab igne calor.
Iam misera licet esse mihi, licet esse beata;
Et subeunt animo morsque salusque meo.
Huc tua jussa vocant; aliò mandata Tonantis;
Et dispar voto rexque Deusque suo est.

Obse-

Obsequor Antiocho: flammas minitabitur æther.
Obsequor huic: flammas rex truculente paras.
Obsequor Antiocho; patriæ sum transfuga legis.
Obsequor huic: miserè dilacerata trahor.
Libera si reddar: Iudæis perfida credar.
Libera si non sum, jam rea facta secor.
Suadet amor vitæ vitium: dissuadet honesti.
Ira Ducis terret, sed magis ira Dei.
Plus Superûm potuere minæ. cape, magne creator,
Obsequio tantum dedita membra tuo.
Corpora quæ lacerat lictor, tu tota creasti;
Reddimus hæc eadem jam mutilata tibi.
Cùm nihil ipsa forem, fecit tua dextra quod essem;
Colliget hæc artus post mea fata meos.
Impietas, discinde manum: mihi secula reddent
Altera; nec flammis desinet esse tuis.
Scinde pedes: citius cunctos penetrabimus orbes.
Dum miseram prohibes ire, volare facis.
Exime, quæ Superûm cecinit præconia, linguam.
Accinet autori mox rediviva suo.
Exue me proprio nudatam tergore matrem:
Hac iterum cœli filia pelle tegar.
Frustatim laniasse juvat: sed tota resurgam,
Tota loquar sceleri verba severa tuo.
Hos mihi relligio reddet servata triumphos,
Et vitam pietas intemerata dabit.
Vos quoque, vos septem nostro de sanguine nati,
Respuite invisas, pignora chara, dapes.
Displiceant epulæ, quæ displicuere Tonanti,
Nec violet patrum jussa priora nepos.
Non ego peccantes, infartaque viscera porcâ,
Aut rea flagitii nomina mater amem.
Plus ego discerptos mater venerabor; & ille,
Regia qui fugit crimina, natus erit.
Ah, miseros jam flamma coquit. miserere tyranne,
Redde meos, sobolem rex mihi redde meam.

Reddere

Reddere Rex noli; rursum mea vota retracto.
Et pia quod genitrix nolo, miserta volo.
Ambiguis luctatur amor pietasque querelis,
Ille dolens sobolem diligit, illa Deum.
Ite mei partus, medios descendite in ignes,
Septemplex Domino victima casa cadet.
Sic decet Isacidûm veros periisse nepotes,
Qui renuet, stirpi degener ille sua est.
Vos mea, vos eadem nascentes edidit alvus,
Et mater vita munera prima dedi.
Nunc eadem cunctis facta est sartago sepulchrum;
Vnaque victuros concoquit urna viros.
Vna dies iterum cælo vos reddet, & astris.
Et decor eximiis fratribus unus erit.
Non lachrymor: majora malis quia gaudia restant;
Elidunt gemitus spesque fidesque meos.
Non lachrymor: quia vestra sequar vestigia mater.
Me quoque sors poscit, qua modo vestra fuit.
Qua patiar, scindar, coquar, urar, sola superstum.
Heu quàm martyrii sera corona mei est!

RACHEL

Plorans Infanticidium Herodis.

Elegia XVI.

Crudeles Solyma, (quid enim, nisi dira, precabor)
Accipite hæc luctus conscia verba mei.
Et veniam nostris concedite questibus; isto,
Non alio, possum læsa nocere modo.
Vlciscar gemitu facinus, ploratibus enses,
Nec fuerit soboli condoluisse nefas.
Quam tua jussa necant, luget, Rex improbe, mater,
Materiamque meis dant tua sceptra malis.
En lachrymis funesta rigor, præcordia planctu
Verbero, & extinctum brachia pondus habent.

Oscula

Oscula vulneribus, jam basia figo labellis,
Effigies miseri cernitur una rogi.
Abluitur sanies, & quod latus hauserat ensis,
Occupat officiis obsequiosa manus.
Hæc est Abramidos natum plorantis imago,
Sic ira videor posse placere tua.
O utinam tanti sceleris spectator adesses,
Herodisque oculis conspiceretur opus!
Induerem furibunda virum, jamque ora tyranno
Femineus posset dilacerare furor.
Et quererer coram, propiusque irata minarer,
Quaque ferat secum frusta cruenta darem.
Et qui Sidonio totus discumbit in ostro,
Impia sanguineis tingeret ora notis.
Purpuraque hunc ipsum biberet vesana cruorem,
Signaque sævitiæ cerneret ista suæ.
Improbe, (sic loquerer) tibi non mansuescere docta
Mater, at immani tigride nata fuit.
Vberaque admorunt Hircanæ dira leænæ,
Aut si quid sitiens Africa pejus habet.
Latrantesque inter scopulos & saxa Charybdis,
Edocuit mores horrida Scylla suos.
Sævior Antiocho es, dominoque ferocior illo,
Qui rabido sacros torruit igne viros.
Quid puer hic meruit, tam paucis editus horis?
Quî potuit sceptris noxius esse tuis?
Prima dies vitæ, mortis sit prima cruenta,
Et moritur lucis nescius ipse suæ.
Nec te vagitus, nec feminei ululatus
Flectere, non lachryma, non potuere preces.
Non teneri infantis risus, sine fraudibus ætas,
Membraque non ullo contemerata malo.
Quin meus arrisit missis latronibus infans,
Autoresque suæ nesciit esse necis.
Risit, & ut gladios vidit fulgere coruscos,
Credidit ista sibi gaudia posse dari.

Cur

Cur miserum genui? vel cur improvida nupsi?
Cur steriles cœlum non dedit esse sinus?
Non hos te, fili, in casus, & fata tulissem;
Esset ut exitio vita parata tuo.
Triste patris nomen, nomen miserabile matris,
Flebile plus nostro nomine, nate, tuum.
Nec tamen aut genitrix ultrà genitorque supersunt;
Nomina tu nobis, dum cadis, ista rapis.
Nubite Iudaæ meliori sorte puellæ,
Sideraque in vestros sint magis æqua thoros.
Vnica crudeles Bethlemia sentiat enses,
Solaque regales eximat illa metus.
Scilicet hunc potuit regi suasisse furorem
Sceptrorum rabies, imperiique furor.
Quique suis latè populis, non imperat iræ.
Et pueri metuit sceptra verenda Dei.
Ille tamen Phariis vivit securus in oris,
Exitioque Deum vindicat ipse Deus.
Nec fera barbarici manus huic nocitura tyranni est,
Aut fodiet sacrum dextera jussa latus.
Insontes petimur, nec regnis nata juventus
Clara Redemptoris nomina morte luit.
Ah infelices cunas nascentis Iesu,
Tot quibus & matres & doluere patres!
Felices iterum cunas, obitusque beatos!
Hæc est martyrii gloria prima mei.
Illa per æthereos soboles spatiabitur hortos,
Et referet mortis præmia clara suæ.
Illa salutiferos Christi spectabit ocellos,
Angelicisque ibit consociata choris.
At mihi nunc orbæ subeunt mala plurima matri,
Pluraque, dum nequeo mœsta silere, queror.
Cur hæc fatidicis oracula prodita chartis,
Esset ut his nostris rex oriturus agris?
Parvula cur laudes Bethlem servaris in istas?
Et simul una meis crederis apta malis?

Cur

Cur finit hoc cœlum, cur non fera militis ora
Inter terrificas obriguere neces?
Cur non fulmineum stringentia brachia ferrum
Ilicet ad plagas obstupuere suas?
Fulmina cur servat vitiis levioribus æther?
Nec furit in tantum numinis ira scelus?
Cum subit illius facies tristissima lucis,
Qua ferus in nostros irruit ille lares,
Cum subeunt planctus, & tot lamenta parentum,
Sparsaque per cunctas membra tenella domos:
Has ipsas inter mortes, & funera versor,
Atque iterum ante oculos miles & ensis adest.
Iamque loquor: sine me Deus hanc effundere vitam,
Aut mihi tu vitæ stamina rumpe meæ.
Vivere qui cupiam mater, sine prole superstes,
Aut miseros optem sæpè redire dies.
Parve puer, quoties hoc nostro corpore corpus
Teximus, atque ista fregimus arma manu.
Occului gremio, gremio tu raptus ab ipso es,
Bisque mihi victo milite raptus eras.
Ipsa cruentatos decussi fortior enses,
Masculaque iratus robora sumsit amor.
Tunc animus fuit ire mihi tela omnia contra,
Et nocui, potui quot nocuisse modis.
Sanguine permixtæ lachrymæ per tecta fluebant,
Et duplex gladios tinxerat unda feros.
Vidi ego, quæ fugiens per inaccessas ambages
Præcipiti mulier sederat alta domo.
Vidi ego, quæ puteos sobolem demisit in ipsos,
Immunem hunc gaudens cædibus esse locum.
Vidi ego, quæ sylvis latebrisque recepta ferarum,
Plus faciles illic senserat esse feras.
Atque aliqua, ut potuit palmarum frondibus abdi,
Arboreis texit pignora chara comis.
Sæviit in reliquam crudelis dextera turbam,
Et meus, heu, periit cæsus ab ense puer.

Hunc

Hunc adigas, dixi, mea per præcordia, miles,
At soboli clemens obsecro parce meæ.
Me ferias matrem, minus hic crudelis haberis,
Istaque mors nobis muneris instar erit.
Ille tamen teneris atrox cervicibus instat,
Ceu rabidus pavidum vastat ovile lupus.
Quosque ego mox fovi, furibundus dissecat artus,
Ferrea nec poterant corda movere preces.
Sic mihi posteritas, venturorumque nepotum
Spes ruit, atque animo damna futura sequor.
Hoc fuit, hunc dixit mihi nox præsaga dolorem,
Signaque tristitiæ pravia multa dedit.
Somnia turbabant placidam funesta quietem,
Visaque, ceu vigili, trux Libitina fuit.
Funereos audire sonos, lessosque videbar,
Ingemuitque meo præfica mœsta thoro.
Hic vidi tumulos, illic sine veste cadaver,
Et supposita suis fulcra cadaveribus.
Incubuit querulo mulier non una feretro,
Quaque oculos flexi, mortis imago fuit.
Non ultrà vanas immittere Morphea curas
Crediderim; somni fabula vera mei est.
Quem vidi tumulum, nati fuit ille cadentis;
Illius hi gemitus, ille cadaver erat.
Nuper & in cunis (nunc omnia læva recordor)
Visa est sanguineis culcitra tincta notis.
Nec, velut antè, leves placidis vagitibus auras
Traxit, at hos subiti corripuere metus.
Tollite me Superi, cupio comes ire sepulto,
Forsitan adventum sentiet umbra meum,
Afficietque pios matris præsentia manes,
Et mala sic levius, vel mala nulla feram.

ELEGIA
In Nativitatem Salvatoris nostri
IESV CHRISTI,
Ad
D. EVVALDVM SCREVELIVM,
Medicinæ Professorem.

NOn tibi Bilbilicæ vilissima munera chartæ,
Et,quamvis multum lemmata docta dabo.
Tessera, turriculæ, graphiaria, theca, coronæ
Vilia sunt; sordent scrinia,pecten, acus.
Mattiacæque pilæ, venabula, fistula, follis,
Corvus, pica loquax, psittacus, accipiter.
In pręcio fuerint tunicæ,maniceque,togæque
Et cervical olens, strataque pluma thoris.
Omnibus his præsepe tuum plus præstat Iesu,
Plus precii Cunæ nos redimentis habent.

ELEG. XVII.

ITe procul veteres, Parnassia numina, Musæ:
Ite procul studiis turba profana meis.
Sola salutiferum destillent pectora Christum,
Et latices sacro nunc Helicone fluant.
Cyrrha vale, Phœbique domus, non Castalis amnis,
Non levat ipsa meam Phocidos unda sitim.
Tu mihi virgineos aperi sanctissima partus
Calliope, & pueri tempora prima Dei.
Dic mihi Musa virum, celso qui missus Olympo,
Isacidúmque satus sanguine, factus homo est.
Mutatur jam terra polo, & venerabile cœli
Depositum mundi machina vilis habet.

Quas æther servabat opes, sibi servat Idume:
Accipit authorem gens malesana suum.
Ne pereas peccator homo, sunt numina præsto:
Læsaque pars culpæ subvenit ipsa tuæ.
Ecce patris magni soboles, consorsque Tonanti
Filius, humana conditione meret.
Ipse hominem, nostrosque Deus superinduit artus,
Et duplici clarum nomine nomen habet.
Cælo terra coit, nec pars æterna caducam,
Aut sociam Superûm gloria spernit humum.
Quique Deus fuerat, Deus est, nec desiuit esse:
Aut decori gestat noxia membra suo.
Et caro qui nunquam fuerat, vestitur ab illâ:
Nec Deus huic, ipsi nec gravis illa Deo est.
Vna Redemptoris facies, rex unicus orbi est;
Quemque hominem, pariter dixeris esse Deum.
Occulitur sub carne Deus, dumque adspicis illam,
Regia majestas dissimulata latet.
Magne Puer, tibi natales gratamur, & ortum,
Et canimus cunis carmina fausta tuis.
Ingredere auspiciis nostrum felicibus orbem,
Et redeat tanto vindice parta Salus.
Quà Deus es, patrium potis es lenire furorem,
At caro mortales sentiet ægra vices.
Crux hominem, Ditisque Deum certamina poscunt:
Vt quibus ille malis succubat, ille levet.
Mors hominem, mortemque Deus calcabis, & illi
Eripies spolium funeris ipse tui.
Sunt divisa Dei, divisaque munia carnis,
Nec socias renuunt ille vel illa manus.
Sic terris promissus ades, sic tota vetustas
Emicat, & legis clarior umbra tua est.
Hac Patribus sperata dies, hac secula vidit
Eminus, & multum tunc oculata fides.
Tu, quod Tartarei diffringet colla colubri,
Magnaque fatorum robora, semen eris.

Tharia-

Thariades te vidit ovans: tu virgula Iessæ,
Tu leo, Iudææ spes rediviva tribus.
Virginei tu ventris onus, tu stella Iacobi,
Davidicaque puer progenerate domo.
Te dominum supplex, te regem nata Sionis
Nuncupat, & prisco non sine teste venis.
Cum sua morigerus portaret busta puellus,
Illa tui species busta fuere rogi.
Sanguineis cum læta Pharos sua limina guttis
Tingeret, illa tuæ mortis imago fuit.
Crebra Palæstino cecidisti victima templo,
Et typus effusi sanguinis unus eras.
Tu sanctum penetrale subis; tu vota sacerdos
Excipis, & populi tristia verba tui.
Quique dator vitæ serpens trabe tollitur altâ,
Prævia venturæ tollitur umbra crucis.
Sancte puer, non te genitoris conscia mater
Edidit, aut patrio sanguine fœta parens.
Non Mariæ thalamum adspersit fœcunda voluptas;
Qui genuit, cœli Spiritus ille fuit.
Sic tibi natales alii sine matre supersunt;
Hos tibi natales dat sine patre pater.
Nasceris intactâ melior de virgine proles,
Abluat ut cunas rex sine labe meas.
Nasceris, & Latia gustas longa ocia Roma.
Auspicium pacis pax fuit ista tua.
Altera bella silent, Sathanæ dum bella resurgunt;
Et domito Stygius vincitur orbe Deus.
Nasceris, & tuguri congestum cespite culmen
Servitii pandit limina prima tui.
Hac calum tibi fata parat, sed, maxime Iesu,
Paupertas alias spondet egena vices.
Sic Patri placuisse cupis; dumque atria spernis
Splendida, cœlestes Christe mereris opes.
Respice peccantem, frater sine crimine, fratrem;
Nec pigeat sorti condoluisse meæ.

Respi-

Respice, meque tui consortem sanguinis audi,
Nec pudeat carni condoluisse tuæ.
Quas tibi tendo manus, quæ supplex lingua precatur,
Quod tibi flecto genu, sanguinis omne tui est.
Sic tibi quæ vitam, mihi lux feret ista salutem,
Mixtaque erunt cunis gaudia tanta meis.

ELEGIA

ad CHRISTVM in cruce pendentem,

Ad

ARNOLDVM BVCHELIVM,

Iurisconsultum, Vltrajectinum.

Docte senex, quæ sacra fero, cape federis arrham;
Quam meus è casto pectore mittit amor.
Non scopulo fixam Andromedam, pœnasque Promethei,
Hippolytiq; obitus, raptaq; membra leges,
Non Tityi jecur, aut rapidos Ixionis orbes,
Titanumque graves, Enceladique vices.
Illa meis aberunt Vatum mendacia chartis,
Exhibet afflictum pagina nostra Deum.
Si qua tibi tulerint humiles solatia Cunæ,
Discutiet cunctos Crux veneranda metus.

ELEGIA XVIII.

Nunc, ô Christe, tuas humilis prosternor ad aras,
Et veneror mortis celsa theatra tuæ.
Tu pateris, sed culpa mea est: tu criminis expers
Supplicii pendis tristia fata mei.
Se peragit natura ream, tu victima luges;
Alterius scelus est, alteriusque dolor.

Nomina debemus, sed tu vadimonia præstas,
Nostraque sat facilis debita sponsor habes.
Dextra tibi perfossa riget ; mea sola scelesta est ;
Nec sentit pœnam noxia dextra suam.
Innocuum qui mucro latus transfigit, aberrat.
Debentur lateri vulnus & hasta meo.
Improbus immiti linguam tibi lavit aceto
Miles ; at hæc nostram proluat unda sitim.
Spinea regalem tibi cingit adorea frontem,
At pudor humani nominis illa fuit.
Cur secat immeritâ tergus vibice flagellum ?
Et cruor è sacro corpore fusus abit ?
Hoc tergus Iudæe feri. mea perfida vita est,
Perfida mens, studiis perfida lingua suis.
Exspuit in sacros vultus sceleratus Apella.
Conspue me : frontis gloria nulla mea est.
Heu, strinxere tuas adamantina vincula palmas,
Brachia erant vinclis nostra liganda tuis.
Quid captive gemis ? damnati carceris umbra
Me tegat, & fraudes abdat opaca meas.
Latro datur socius, miti lupus assidet agno,
Et numerum impietas cum pietate facit.
Iste latro collega mihi, consorsque malorum est.
Talis ego merui parte sedere chori.
Iudicis ipse tui toties absolveris ore.
Sum sceleris judex, testis & ipse mei.
Heu miser, infamis libras mala pondera ligni,
Et proprii portas busta futura rogi.
Me grave lassat onus ; vitiis succumbere doctus.
Debebam merita succubuisse cruci.
Christe, quid exanimi ducis suspiria planctu ?
Verberat & patrios mœsta querela lares ?
Me me, adsum, qui feci, in me converte furoris
Fulmina, me media desere morte Pater.
Quid pia, quid moriens claudis tua lumina Iesu ?
Sola fuit sonti hæc debita pœna mihi.

Crux

Crux salve veneranda, mei medicina doloris,
Spes mea, peccantum portus, & ara precum,
Præsidium miseris, fidei tutela labantis,
Vnica Christiadum gloria, vita, salus.
Hoc ligno nos Christe beas, altare, sacerdos,
Victima: cuncta unus jam minor ipse Deo es.
Ora tibi prono pendent proclivia vultu:
Oscula vis populo figere blanda tuo.
Sunt expansa tibi totum amplexantia mundum
Brachia; & hic speciem gestus amantis habet.
Dextera Iudæos invitat, at altera gentes:
Sic moriens cunctos vivere posse cupis.
Destillat madidis lachrymarum flumen ocellis,
Abluat ut lachrymas flebilis unda meas.
Et qui fœda lavat peccantis crimina mundi,
Sanguinis ex isto corpore rivus abit.
Gaudia nostra dolor, peperitque infamia famam,
Et mea captivus libera colla facis.
Quæ te flagra premunt, flagris me absolvere possunt.
Et ne cadar homo, caderis ipse Deus.
Cingit spina caput, sed quæ marcescere nescit,
Facta meo capiti spina corona fuit.
Gestat arundineum regalis dextera sceptrum,
Ne desint titulis sceptra futura meis.
Desereris, ne me pereuntem deserat æther;
Et tua sit questus meta querela mei.
Mors tua vita mihi est, atque isto funere nascor,
Quemque tibi rapiunt, dant mihi fata diem.
Cur timeam? fidei una mea fiducia Crux est.
Cur timeam? rigidas crux fugat una minas.
Cur peccem? tanti Sponsoris morte redemptus.
Cur peccem? gemitus cum subit hora tui.
Hæc facies, hæc mœsta Dei pendentis imago
Nec me peccantem, nec sinit esse reum.

ORATIO
Iudæ Iscariotæ suspendium sibi parantis.
ELEG. XIX.

QVisquis in hac cernes infelix arbore pondus,
Me fuge, nec propius flecte, Viator, iter.
Forsitan & poterit dirum nocuisse cadaver,
Solaque te faciet corporis aura reum.
Ite procul scelerum ignari, neque conscia fraudum
Pectora, nec sacram fallere docta fidem.
Cedite matronæ, castosque avertite vultus,
Ne sontis videant ora nefanda viri.
Hoc virtus pietasque loco candorque facesse,
Et quicquid laudem religionis habet.
Non una sum lege nocens; Dominumque Deumque
Prodidit, & facto perfida lingua suo est.
Quique mihi vultus fuit, & qui gestus amantis,
Cuncta notæ famuli decipientis erant.
Ipse dedi summis multum peramica labellis
Oscula, sed tacitis insidiosa dolis.
Auximus ingenio facinus, docteque fefelli,
Ne crimen levius simplicitate foret.
Vendidimusque Deum precio, servique redemtor
Ipse sui factus merx scelerata fuit.
Traditur infami mercabilis ære creator,
Et cedunt lucro nomina tanta meo.
Polluit una meos obscœna pecunia mores,
Et sacer argenti suasit iniqua furor.
Tristis avaritiæ rabies dum colligit aurum,
Hunc quoque cum posset vendere, vendit herum.
Dicite Pontifices, sacrisque operate sacerdos,
Flagitio semper turba pudenda meo:
Cur placuit vobis cœlum venale, Deusque?
Quæque reum faciant, annumerastis opes?

Si volui peccare prior, quoque culpa probantum est;
Et precio facinus qui fovet, ille facit.
Heu quid agam? durum est sortis meminisse prioris:
Hinc timor, hinc sceleris me premit ipse dolor.
Iamque animo dulces monitus reminiscor Iësu;
Actaque cum domino vita diesque subit.
Nunc fora, nunc ædes, nunc publica templa revolvo,
Omnia quæ sacris personuere sonis.
Nunc in gramineis pandentem oracula campis,
Et pia littoreis verba recordor agris.
Hæc audire mihi fuit & didicisse voluptas;
Vocibus his licuit colloquiisque frui.
O quoties dixi, vox hæc placidissima cœli est;
Vive, nec extremum dent tibi fata diem.
Heu scelus, ista silet nostra facundia culpa,
Illa meo solum crimine muta stupet.
Vosque mei quondam, charissima turba, sodales,
Non ultra vestri cernitis ora ducis.
Hactenus esse piis licuit. nunc cade magistri,
Et dispar titulo proditionis ero.
En caput, en Dominum vinclis ac compede strinxi,
Indicioque meo proditus ille latet.
Tinximus innocuo sceleratas sanguine dextras,
Nec sine me Solymæ miles ad arma ruit.
Squallida nunc illum tenebrosi carceris aula
Abdit, & immensum vilior umbra Deum.
Iam gemit, & patriis infert suspiria tectis.
Et famuli queritur facta nefanda sui.
Tuque parens dilecta tui crudelia nati
Funera nequitia pignora crede mea.
Sit funesta dies, qua me dignatus amicum est;
Et voluit sociis annumerare suis.
Ah graviter cecidi: quid enim mirabile, si quis
Tactus avaritia vulnus amoris habet.
At mea nunc ultor commercia devovet æther.
Et malè sollicitum numinis ira premit.

Desperasse juvat : nec enim placabile cœlum est,
Ignoscique meum cor mihi posse negat.
Non Styx una mihi, Phlegethon non sufficit omnis,
Nec satis ad pœnam est tota gehenna meam.
Mitior est Acheron, nec crimina nostra piabunt
Tartara, nec flagris sæva Megæra suis :
Nec quæ perpetuis Nemesis cruciatibus instat,
Flammarumque dolor, præcipitesque rota.
Hæc ego cum timeam, potui majora mereri,
Quodque malum fingat mens mea, majus habet.
Sævit in proprium quondam fera dextera fratrem,
Et sceleris pœnas pertulit illa sui.
Qui toties puero fuit insidiatus Iëssæ,
Vincitur, atque suo casus ab ense cadit.
Sævit in patrem sceleratis Absalon ausis,
At miser è quercu triste pependit onus.
His quoque jam Nemesis miserum suspendit Iüdam
Frondibus; hæc testis criminis arbor erit.
Adsum lictor, & ipse mei libitina sepulchri,
Exequiasque mihi præfica nulla canet.
Non nova me circum protrudet gramina tellus,
Nullaque purpurei gloria veris erit.
Non stillante mei madefient rore capilli,
Ipse meum fugient ventus & aura caput.
Vmbra loco feralis erit, frigusque tremorque.
Hinc radios Phœbus, Cynthia flectet equos.
Aëre librabor, terris secretus & astris,
Fabulaque & lusus prætereuntis ero.
Quaque reum occulto tellus irata fatigat
Verbere, suspenso non erit illa gravis.
Cur ultra vitæ custos invisus amaræ,
Contineam pronas in mea fata manus?
Cur doleam? pudor est Superûm sperare favorem,
Aut numen precibus flectere velle meis.
Cur doleam? cerno præsens hac arbore funus,
Istaque jus fati fascia vilis habet.

Culpa

Culpa mea est: in me commissi pœna redundet:
Sint capitis damno damna soluta mei.

Clarissimo viro
D. ARNOLDO BVCHELIO,
Iurisconsulto apud Vltrajectinos.

PRima tibi magni scripsit cunabula Christi,
Nascentemq; Deum, & reparantem fœdera mundo
Calliope perculsa virum. stupuere superba
Pauperiem cunasque nurus, & conscia fastus
Terra sui solito timuit splendescere cultu.
Altera languidulis Christi morientis ocellis
Indoluit lachrymans, & chari luxit Iesu
Funera, fatalemque trabem, & violabile letho
Terrarum sublime caput. nos crimen in illo
Quisque suum, & veteris mœsti vestigia culpæ
Flevimus, infandosque gulæ ploravimus ausus.
Nunc idem plorare vetat, quem flevimus. atros
Discussit lux ista dies, quâ tartara victor,
Et Phlegethontæas acies, ipsosque profundæ
Perdomuit mortis thalamos, & sidera scandit
Induperator ovans. magno cœlestia plausu
Templa sonant, aliumque Deus subvectus in orbem,
Aërios suprà tractus, & nubila cœli,
Peccantem fastidit humum. tibi conscia rerum
Illustres repetit, Bucheli venerande, triumphos
Mens afflata Deo, & languenti læta reponit
Verba seni, vastique fores jam pandit Olympi.
Quaque per æthereos tandem defessa quiescant
Membra domos, animæque tuæ sincera bonorum
Sors erit, æternique fluent in secula menses,
Fatidicæ monstrant, Christo praeunte, Camœnæ.

ELEGIA XX.

In
Ascensum CHRISTI in cœlum.

Magne triumphator Stygis, & pallentis Averni,
Qui novus extincto victor ab hoste redis;
Maxime fatorum domitor, quem Tartara, manes,
Et Phlegethontæi pertremit aula Dei:
Scande redux Superûmque domos, patriosque penates,
Et repete imperii pristina jura tui.
Exue languentes crudeli funere vultus,
Exue flagitio membra cruenta meo.
Exue, queis frontem spinis redimivit Apella,
Exue purpureæ ludicra spectra togæ.
Iam tibi cœlestis circumdat laurea crines,
Et turgent titulis regna paterna novis.
Iam tibi promissos Genitor largitur honores,
Sceptraque dat sceptris subjicienda suis.
Talis, ubi invisi fugeret consortia mundi,
Primævus petiit tecta beata pater.
Talis sidereæ flammantia mœnia templi
Thesbius, humanis sedibus exul, adit.
Quique Palæstinum subiit penetrale sacerdos,
Clara salutiferi principis umbra fuit.
Quid mihi prisca tuos objectas Roma triumphos?
Quem canimus, cœlo judice, victor ovat.
Tu facilem vinci Cimbrum, Persenque superbum,
Et subigis frameis barbara castra tuis.
Hic trucis exuvias Erebi, noctisque profunda,
Et spolium victo de Phlegethonte refert.
Tu currus, tumidasque paras generosa curules:
Hunc dominum nubes officiosa vehit.
Illa leves tantum recreant spectacla Quirites:
Hic sua Christigenûm gaudia mundus habet.

Illic

Illic captivi plorant sua vincula reges:
Hic captiva gemunt crimina, mors, Phlegethon.
Immoriturque suis fati violentia bustis,
Et proprios ridet mors superata rogos.
Tunc sua gavisus fremuit praeconia miles:
Nunc strepit Angelicis turba beata sonis.
Excepere Duces prono Capitolia vultu:
Excipit hic reducem clarior aula Deum.
Succubuere truci veterum tot nomina letho,
Et tumulus magnos condidit Æmilios,
Scipiadasque duos, &, Martia fulmina, Drusos,
Tantaque victorum corpora terra tegit.
Hic ubi calcati damnavit jura sepulchri,
Sub pedibus terras, & sua busta videt.
Larga triumphator diffundit munera Caesar:
Munera sed brevior sustulit ista dies.
Hic mihi divitias, totumque reclusit Olympum,
Et, quae cuncta ferant secula, fundit opes.
Sic abiens, Salvator, ades. sic magne redemptor,
Non moritura tibi gloria sternit iter.
Viderat obsequium, jam confert praemia coelum.
Metaque servitii lux fuit ista tui.
Mox humilis, jam clarus ovas; contemptaque pridem,
Alta supergressus sidera, colla levas.
Arripis imperium, toties parere paratus;
Dividit officium terra polusque tuum.
Sic servus, dominusque places: magnique parentis
Iussa jubes major, quae minor ipse facis.
Macte anime; haec etiam tibi per vestigia currat,
Et fidei constans permeet astra labor.
Macte anime: & vilis spernens proscenia mundi,
Æthereas toto pectore scande domos.
Hac penetra: quaque ille tuus palatia sponsor
Occupat, hac eadem lumina mente subi.
Indivisa colit sponsae penetralia sponsus,
Et pudor est membris dissociasse caput.

ELEG. XXI.

De Indicio extremo.

Vix tuba terribili sonitu dispersa coëgit
Agmina, & ingentes perstrepuere plagæ,
Christe redis, tandemque tuos visurus amicos,
Clara triumphantis judicis ora refers.
Scilicet hæc abiens dederas promissa redemptor,
Solatus reditu tempora nostra tuo.
Nec jam vilis ades, vel iniqui victima mundi,
Abramidumque odiis dilacerande venis.
Quin trepidi adspicient clavo transfixa trabali
Brachia, & invidiæ tot documenta suæ,
Transfixumque latus, quod militis hauserat hasta,
Vltoremque tremet gens scelerata Deum.
Quam facies mutata fori est! quem fecerat antè
Terra reum, partes judicis ille tenet:
Fitque reus judex; testesque coarguit ipsos,
Qui modo mendaci pressus ab hoste silet.
Occupat augustum cum majestate tribunal,
Quæque prius latuit regia forma, patet.
Stat Caiphas, tantosque stupet perculsus honores.
Iamque suas discit nil valuisse minas.
Pontius Ausonii postponat Cæsaris iram,
Et serò innocuum vult abiisse caput.
Cum subit illius tristissima noctis imago,
Somnia, sollicita conjuge, spreta dolet.
Omnis in adversas secessit machina partes,
Totaque stat facto terra dirempta suo.
Opposita est virtus sceleri, gens turpis honesta,
Et lateri pietas impietatis abest.
Quos tegit una nocens, hos latior altera vultus
Explicat; hæc cœlos suspicit, illa timet.
Conscia mens ut cuique sua est, vel præmia gaudens
Concipit, aut taciti signa doloris habet.

Vna dies fati est: sed non tamen omnibus una.
Dissociat trepidos flebilis hora viros.
Non reges sua sceptra juvant, milesque, ducesque,
Et, quæ terruerant nomina, victa pavent.
Hic sua crudeles deplorant fata Nerones,
Et queritur fraudes trux Catilina suas.
Ille memor pavidæ versans incendia Romæ,
Illæsum fœdo cernit ab igne Deum.
Hic patrius dum dira focis arisque minatur,
Iam dolet infandos plus patuisse dolos.
Non Marium jam Sylla timet, reus adstat uterque:
Nec genero indicit perfida bella socer.
Tarquinii Brutique silent: ultrixque pudoris
Femina flagitio tristior ipsa suo est.
Et qui tela Iovis flammasque imitatur Olympi,
Iam nimis insanæ despicit ausa manus.
Quique dies Latium Cæsar digessit in annum,
Longius hunc fastis optet abesse diem.
Hîc quoque cui domitus regi non sufficit orbis,
Iam miser in toto possidet orbe nihil.
Spernit opes pauper Crassus, Capitolia Paulus,
Nec Cato se solitâ jam gravitate tegit.
Respicit, & spatiis aquilas desiderat amplis,
Nec, quæ succurrant, agmina Drusus habet.
Spreta prius, serò metuit jam numina Pœnus,
Torvaque contempti Iudicis ora videt.
Stant dites inopesque simul, doctique rudesque,
Miscentur tituli sordibus, arma togis.
Stant Struma, juxtaque Solon; cum consule fullo,
Nec sors ingentes disgregat ulla Duces.
Non hæc audaces perturbent rostra tribuni,
Aut rigidum flectat lingua diserta forum.
Non hic fallaci judex subvertitur ære,
Aut poterit causâ plus valuisse favor.
Tros Italusque Deo nullo discrimine habetur,
Nec titulo pauper deteriore venit.

Qui vitas scelerumque modos & crimina discit,
Nec prece, nec precio conveniendus erit.
Felices animæ, quas fratrum flexit egestas.
Pauperies totum fenerat illa Deum.
Felices animæ, captis miserescitis ultrò.
Istaque jam pietas æthere tuta manet.
Quæ sitiens quondam petiit sibi pocula Christus,
Præbuit illa libens pocula vester amor.
Præbuit ille dapes, nudosque investiit artus,
Primaque laus, ægris condoluisse, fuit.
Nunc vos turba domos Superûm, sedesque beatas
Scandite, & Angelicis vivite mixta choris.
Profuit esse bonis. ista mercede laborat,
Hoc precium facti relligiosus habet.
At vos immites, agrestia pectora, turba,
Qui miserûm surda spernitis aure preces,
Ite procul: vos Tartarei domus atra profundi,
Vos manet inferni tristior aula Dei.
Sic fuit, & totus meritis discernitur orbis,
Quosque capit fines, hos sine fine capit.

CASPA-

C. BARLÆI
ELEGIARVM
LIBER II.
Ad Amicos.

ELEGIA
Ad Nobilissimum Virum,
D. GODEFRIDVM HAESTRECHT,

quâ causas dat auctor, cur ob grassantem Leydæ pestilentiam, Vltrajectum non concedat.

QVem toties docto vatem sermone salutas,
Cogitur ad plausus esse poëta tuos.
Excitat ignavas virtus laudata Camœnas,
Atque animos tanto præside Musa capit.
Sic, ubi Myrmidonum bellator classibus instat,
Acrior Iliadum laudibus Hector erat.
Sæpè Venusino sonuerunt barbita plectro,
Cum facilis magni Cæsaris aura foret.
Altior in pugnas, hoc ipso Principe, surgit,
Romano Phrygium qui canit ore ducem.
Tu quoque cum Zephyris adflas mea carmina blandis,
Eriges Aonias, numina lenta, Deas.
Vera loquar, neque enim fas sacros fallere vates.
Me tua, quod possum, gratia posse facit.
Ne tibi displiceam, merear vel nullus haberi,
Pieriis conor reddere verba sonis.
Et licet hanc fugiant doctorum insignia frontem,
Ambiat aut nostras laurea nulla comas:
Non tamen aversis hac fallimus ocia Musis.
Atque aliquis nobis proluit ora Deus.
Quin tibi cum placeant sterilis commenta poëtæ,
Autori poterunt fortè placere suo.

Sed

Sed vatem cur poscis amans, Batavûmque relictis
Sedibus ad sedes vis properare tuas?
Fortius absentem constans amor optat amicum.
Quoque frui semper non datur, acer amat.
Cur Ithacum toties conjunx poscebat Vlyssem?
Scriptaque cur toties littera? lentus erat.
Sestus Abydenos non sic arsisset amores,
Ni geminos Helle dissociasset aquis.
An metuis, ne pestifera malè lædar ab aura?
Et tibi dilectum vis superesse caput?
Incidat in Scyllam, cupiens vitare Charybdim.
Hic mea nos tollunt sidera, vestra necant.
Vis fugiâm pedibus? pedibus mors ocius instat.
Vis fugiam penna remige? & illa volat.
Vis abeam rapidis in mœnia tuta quadrigis?
Præcipites adigunt fata severa rotas.
Vis mea lethæis subduci carbasa stagnis?
Ipse Charon celeri carbasa lintre premet.
Qui fugit, hunc sequitur. timidos furiosius urget;
Ipse timor certus funeris autor erit.
Spreverit hanc quisquis, fugiet securior, auram.
Sed pavido fugiet qui pede, læsus abit.
Nec quam tuta fient istis habitacula terris,
Quin potius, quam non sint ea tuta, scio.
Hic Batavas conscendo frequens auditor Athenas,
Et percussa meâ pulpita voce premo.
Hic spectare libet docta certamina turbæ,
Verbaque in alternas jussa redire vices.
Non illic placidæ fixere palatia Musæ.
Non Helicon isto Cyrrhaque sacra loco est.
Hic mea purgatis figo vestigia plantis,
Nullaque quò vadant dant documenta pedes.
Tu nisi magnanimas circumdes tergore suras,
Cruraque terribili mascula pelle tegas;
Iam tua viscoso librabis pondera cœno,
Occiduoque illic Sole lutosus eris.

Illic in vacuo traherem suspiria lecto,
Hic recreat fessum Barbara nostra latus.
Tu trahis, illa trahit. sed quæ me pertrahit, illa est;
Obsequio servans proximiore virum.
Tu calamo, trahit illa manu; tu serius, illa
Risibus, & madidis, quum volet ipsa, genis.
Æsonidem Medea suum, Briseïs Achillem,
Andromache Phrygium sic remorata virum est.
Hic, quæ sola meas laxant solatia curas,
Ante meos ludit parvula turba pedes.
Hi veneranda mei trepidant ad sceptra Quirites,
Hic aries tanti dux gregis agmen ago.
Huic leges, huic jura damus. sic Cæsaris umbram,
Sic speciem augusti cernimus imperii.
Tu doctos illic versas industrius enses,
Certaque venturis hostibus arma paras.
Nil mihi cum gladiis, vel acuti fulmine ferri,
Horret ad armatas mens studiosa manus.
Musa meos, Bellona tuos prolectat amores.
Hæc tibi, sed genio convenit illa meo.
Cum Musæ placuere, rotat tibi circinus orbes,
Et toties scissum littera signat opus.
Aut super æthereos raperis sublimior axes,
Et propior summo crederis esse Iovi.
Aut numeros statione locas: vel mœnia pingis,
Quæ valeant Marti dicere bella suo.
Non mea tam grandi fulta est doctrina cothurno.
Nec meus ad curas surgit Apollo tuas.
Carmen amor meus est, elegi labor, ensis iämbus,
Pes numerus, campus laus tua, mucro stylus.
Cur veniam? pudor est docta concedere menti.
Cur veniam? scelus est obstrepuisse tibi.
Vis veniam? cedant pluviæ, mala frigora, pestes.
Verna mihi reddas tempora, jam veniam.

Nobi-

Nobilissimo Viro, ac Domino,

IACOBO DYCKIO,

Civitatis Gottenburgicæ in Suecia Præfecto.

Battavia dilecte mea, dilecte Batavûm
Vatibus, & Regi, vir generose, tuo,
Cujus Hyperboreis loquitur facundia terris,
Et procul externo poscitur orbe labor:
Si tibi, qui quondam, placeant, gens sacra, poëtæ,
Atque aliquod precium carminis esse putas,
Nec tibi Parrhasio sordent sub frigore Musæ,
Quaque mari, genio non nocet aura tuo:
Hos lege Barlæi numeros, clarissime Dycki,
Paucaque Battavici carmina vatis habe.
Mittimus hæc Chaucos ultrà, Cimbrosque, Getasque,
Balthica quà Gothicum verberat unda solum,
Altaque veliferos adspectant culmina portus,
Et nova regalis mœnia lambit honos.
Nec mora longa viæ, fluctusque vel æquora terrent;
Quò magis hinc distas, quò magis urget amor.
Dumque silent veteres, jam turba elinguis, amici:
Obstrepit officio nostra Thalia suo.
Forsitan & poterit gelidum transmissa sub axem
Littera porticibus gratior esse tuis.
Et quæ rara venit, potius tibi Musa placebit:
Scriptoris novitas non leve pondus habet.
Non tua Grotiades exul, non limina pulsat
Heinsius. ingentes conticuere tubæ.
Hic famæ laudumque satur, satur ille malorum.
Quàm dispar vates causa silere facit!
Sic dum thura negant illi, laticesque Sabæos,
Vile tuis cogor far adolere focis.
Quin & parva placent Superis, modò casta; nec illis
Semper inauratâ victima fronte cadit.

Et

Et licet ingenium vatis vel sordeat author,
Respice, quos cecini, nomina magna, Duces.
Bella leges totum latè cantata per orbem,
Clara per Eoas Occiduasque plagas:
Auriacos cineres, & magni Principis umbram,
Et mœsta ad celebres verba ululata rogos.
Altera magnanimo debetur pagina Fratri,
Et patrio crescens cingit honore caput.
Nassovios canimus: præreptaque laurea fato
Rursus in alterius vertice ludit ovans.
Imus, & immensum audaces transcendimus æquor,
Atque alibi Musis personat aula meis.
Nec pudor est nobis Regi dixisse salutem,
Et mea sunt Caroli *carmina tacta manu.*
Materies augusta mihi est: involvimus ostrum
Versibus, & Regum sceptra superba cano.
Sic mihi, sic plausum potuit meruisse poëta,
Et facit ad laudes purpura dicta meas.
Haud aliter Procerum vultus, & lumina Regum;
Ac Latios sculptor fingit in ære Deos.
Scilicet illa rudes commendant nomina merces,
Et precium nugis Cæsaris ora dabunt.
Dum faber efformat preciosi dona metalli,
Sæpius indoctum spernitur artis opus.
Nec tamen hæc rutilo prorsus vilescit in auro:
Perplacet augusta frontis amicus honos.
Dum canimus vili Heroum præconia cantu,
Musa rudis titulo splendidiore placet.
At tu, qui geminam spectas vicinior Arcton,
Accipe Battavico carmina nata solo.
Dumque procul vasto jactatas æquore puppes
Adspicis, & Gothicâ fallis in arce diem;
Nassovios mirare duos; fascesque Britannos,
Quosque colis, chartis jam venerare meis.
Forsitan & trepidos exarmans dextra Borussos
Materies nostri digna laboris erit.

Ad
GREGORIVM PLASSIVM,

Medicum Harlemensem. qua Heemstedii amœnitates describuntur.

SI vacat à morbis nostras audire Camœnas,
Nec nimius medicam postulat æger opem,
Accipe, quæ faciles scribunt tibi carmina Divæ,
Nec mihi quæ levis est, sit tibi Musa gravis.
Scilicet hoc precio doctos mercamur amicos,
Et dilecta mihi nomina jungit amor.
Tu quoque Niliacæ domitor fortissime gentis,
Nunc etiam in leges & mea jura venis.
Fervidus arentes dum torret Sirius agros,
Et sociam Phœbo gaudet inire viam,
Te duce vicinas, animi solatia, villas
Vidimus, & vestri gaudia rara soli.
Arx ubi sublimes aperit validissima portas,
Lataque Romanum fossa lacessit opus.
Mirabar celsas expanso culmine fagos,
Grataque populei tegminis umbra fuit.
Mirabar fecunda suis pomaria donis,
Septaque quæ docta flexerat arte manus.
Hic ager innocuos pascebat fertilis agnos,
Illic Spara suis lene fluebat aquis.
Inde frequens sparsis exurgens collis arenis
Præbebat timidis subdola tecta feris.
Parte aliâ nigros sulcabat navita fluctus,
Et patrium streperâ voce canebat epos.
Najades hic, illic ducebant agmina Fauni.
Hic Corydon, illic Thyrsis agebat oves.
Læta Pales herbas pecori, lac Thestylis agnis,
Agricolis Ægon pocula plena dabat.

Fla-

Flaventes à Sole Ceres stringebat aristas,
Triptolemusque suo munere dives erat.
Crede mihi, Baju locus hic praelucet amœnis,
Nec meliore jacet Thessala terra situ.
Terra famem, levat unda sitim, fugat umbra calorem,
Currus agros, vitreas cymba pererrat aquas.
Si juvat in viridi vestigia ponere prato,
Est via, quæ faciles ducat ab urbe pedes.
Si juvat audacis rabiem frenare caballi,
Huc quadrupes cursu liberiore ruat.
Si juvat infestis leporem mactare molossis,
Hic quoque, quà campos transeat, Argus habet.
Si juvat aligeræ voces audire catervæ,
Hic vaga dulcisono gutture vernat avis.
Si juvat expansis Nymphas lassare lacertis,
Hic, quæ docta regat brachia, Najas erit.
Si juvat aut nassâ, vel arundine fallere pisces,
Hic reficit tetricas spes opulenta moras.
Adspicis è tumulis, mediis ut Tiphys in undis
Solerti fragilem dirigat arte ratem.
Vt modo pacatis subsidant stagna procellis,
Præbeat & placidus tergora plana lacus.
Hic aliquis sociâ vadens cum Phyllide pastor,
Audeat amotâ matre süave nefas.
Hic aliquis Clariâ vates se proluat undâ,
Et procul à strepera concinat urbe melos.
Hoc Helicon, hoc Cyrrha situ, Parnasia rupes
Non alio certè debuit esse loco.
Iuppiter ipse suos hic tutò celet amores,
Nec Veneris rutilans detegat ausa Deus.
Hic Ledæa Parin soboles, hac serius umbra
Detineat Phrygium mollis Elisa ducem.
Huc Cytherea suum secura invitet Adonin,
Nec ferus infesto dente nocebit aper.
Pyramus hic fugiens Thisben exoptet amantem,
Non dabit hic tristes visa leæna neces.

Elysios

Elysios mendax miretur Gracia campos,
Oenotrios tellus Itala jactet agros.
Nil ista regione prius. qua divite cornu
Prabet Amalthaa dona benigna capra.
Non ego crediderim morbos hac sede morari,
Membraque qua frangant fervidiora faces.
Nescio num medica poscat solatia dextra,
Audiat aut Coa tristia jussa schola.
Ipse sibi medicina locus. quin fata moratur,
Pocula cum pressi lactis Alexis habet.
Pharmaca sunt molles offenso abdomine malva,
Betaque, vel propriis mella coacta favis.
Non hic ventosa tulerint fastidia senna,
Vel procul ignoto semina nata solo.
Pocula contemnit centum decocta maniplis,
Et mixtum adversis viribus odit olus.
Simplicitas in rure placet. nimis anxia mundum
Cunctaque terrarum gramina cura bibit.
His ego tunc tecum, Plasi, spaciabar in oris,
Dum calidi fallo tempora longa Canis.
Ocia nostra comes docto sermone levabas,
Signaque amicitia non temerata dabas.
Quid referam? cape sinceri leve pignus amoris,
Atque aliquod precium carminis esse puta.
Si placeant elegi, vates tibi jure placebit.
Displiceant, non tu displicuisse potes.

Ad
IACOBVM vander BVRCH,
ET
IOANNEM BROSTERHVYSIVM,

quos à Belgicæ Poëseos studiis ad Latinam & Græcam hortatur author.

PAlladii Iuvenes, gratissima pectora Phœbo,
Quos toties scripti junxit amoris amor:

Par

Par socium, sine felle probum, sine lite modestum;
Et nunquam rupti biga sodalitii;
Dicite, cur Batavis tantum placet esse Poëtis,
Nec nisi Teutonica plectra movere lyra?
Cur nimium tritas loquitur Venus aurea voces,
Ludit & in nostris vester Apollo sonis?
Credite, non nostro genita est Cytherea sub axe,
Fervida nec gelido sidere nata Dea est.
Orta alibi Venus est, multum cantata Pelasgis
Vatibus, & Grajâ nobilitata chely.
Hanc cecinit Latiæ celebris facundia linguæ:
Hoc etiam nobis gestiat ore loqui.
Quis calidos olim Leandri dixit amores?
Invida quis scripsit flumina? Grajus erat.
Quis Venerem Anchisæ, Æneam quis miscet Elisæ?
Quis Paridis cecinit furta? Latinus erat.
Quis canit iratum raptâ Briseide Achillem?
Quis canit Andromaches vota? Pelasgus erat.
Quis tragico narrat crudelia fercla cothurno,
Hippolytique docet fata? Latinus erat.
Quis magicas doctis donavit versibus artes,
Quas docuit Colchis femina? Græcus erat.
Quæ cœli thalamos, superæque exordia gentis,
Totque Deûm stirpes expedit, Ascra fuit.
Palladium claræ despondet Musa Serenæ,
Attamen hæc vatis Musa Latina fuit.
Flaminius Strozzæque suos cecinere furores,
Sed fuit Ausoniis dicta puella modis.
Battavico petulans cantata est Iulia vati,
Et sua quæ laudet colla Secundus habet.
Lernutius blandos Hyados commendat ocellos,
Nec tamen hæc eadem carmina scivit Hyas.
Heinsius arguta transcribit basia Rossæ,
Nec tamen hæc eadem basia Rossa leget.
Non decet indoctam vatum sapientia turbam,
Et nimium vestro vulgus ab ore sapit.

Cerni-

Cernitis, ut viles scandant Helicona puellæ?
Femineumque riget Castalis unda chorum?
Anna facit versus, &, quos facit Anna, probamus,
Quodque viris proprium credimus, Anna facit.
Vos decus Aonidum, Latiaque arcana Camœnæ
Panditis, & quicquid Roma vel Hellas habet.
Gloria nulla viri est. feriunt quoque barbita matres,
Simplicibusque datur laurea virginibus.
Mittat amans lepidæ modulamina docta puellæ,
Reddet amatori nostra puella suo.
Heu, scelus est omnes Charitum patuisse lepores,
Tot sine dente sales, tot sine fraude jocos.
Est aliquid, solos quod vult scivisse Poëtas,
Est aliquid, rarum quod cupit esse Venus.
Nempe nurus Batavas facere hoc, non dicere, præstat,
Quod vates præstat dicere, vel facere.
Quod si digna novæ captatis præmia famæ,
Vestraque succrescens nomina poscit honos:
Major ab Ausonio consurgit gloria cantu,
Clarius Oenotrio nascitur orbe decus.
Sic Verona suum jactat facunda Catullum,
Non alia fari voce Tibullus amat.
Vivit, & æterno Flaccus memorabitur ævo,
Lydia Romano cui pede juncta fuit.
Quid loquimur Belgæ? peregrina verba loquelæ.
Edita Cattorum semine turba sumus.
Nescio qua profugos sors has perduxit in oras,
Rhenus ubi æquoreis flumina junxit aquis.
Quin potius placeat veterum vox sacra Quiritum,
Dictaque, quæ prisco perplacuere Numæ.
Hîc hic Romulidæ posuerunt castra potentes,
Et toties Latio carmine miles ovans.
Victricesque aquilas, fidibusque aptata Latinis,
Hac nostro voluit signa sub axe legi.
Quæ canitis Batavi, Latiis sunt debita Musis;
Quæ canitis, Grajæ sunt documenta scholæ.

Tithoni

Tithoni sociam rythmis includitis arctis,
Et fessos longo tramite Solis equos:
Neptuni spatia, & vasti vada cærula ponti,
Vndivagasque rates, Naïadumque domos:
Vt sua jam sumat, jam ponat cornua Phœbe,
Pictaque fecundas imbibat Iris aquas.
Nunc calamos inflat Corydon, nunc Phyllis amica est,
Nunc teneras aliquis pascit amator oves.
Nunc canitis Faunos, &. agrestia numina, Panes,
Semivirosque capros, semicaprosque viros.
Illa sed Andinam sapiunt commenta Poësin;
Omnia sunt Latii docta reperta soli.
Quare agite, & patrios tandem dediscite cantus,
Et numeris currat vestra Thalia meis.
Scribite fœmineis aliquid sublimius ausis;
Pangite, quod virgo non queat ulla, melos.
Agnoscat precium Romana Belgica lingua,
Quæ Roma dominos est venerata suos.

Ad doctissimum Iuvenem, D. IOAN. de IONCHERE, De Publicis Iudiciis disputantem.

AVrea cum primis flueret mortalibus ætas,
Lætaque Saturno secula rege forent:
Candida simplicitas teneris eluxit in annis,
Nec sceleri Iudex aut gravis ultor erat.
Ignorare suas voluit facundia laudes,
Nec fuit in trepidos lingua diserta reos.
Curia tunc strepitu, tunc aures lite vacabant,
Et nondum cupidas senserat aula manus.
Non Tabulæ scripsere minas, pœnasve Decemvir,
Vinxerat aut sontes sæva numella pedes.
Mox ubi sub duro mores riguere metallo,
Cœpit & adversa crescere lege nefas:

Curia,

Curia, rostra, forum, carcer, vadimonia, lictor,
Nomina temporibus nata fuere malis.
Ilicet irata Metium rapuere quadrigæ,
Subditaque infami colla fuere jugo.
Iura dedit populis posito vix prætor aratro,
Et poterant lapides & placuisse fabæ.
Signantur presso miserandæ stigmate frontes,
Bestiaque in pœnas sæpè vocata fuit.
Aut damnata truces expectant corpora Scalæ,
Clauditur aut Gyaro femina virque brevi.
Hunc celeres torsere rotæ, & crudelibus uncis
Rapta fuit medio purpura spreta foro.
Vibravit rigidas Manli censura secures,
Fasciaque in jugulo stricta Cethege tuo est.
Exulat, & pœnas Naso persolvit Amori,
Et potuit vates versibus esse miser.
Atque alibi celebres dictant consulta Lycurgi,
Et vitiis scribit verba severa Solon.
Improbitas irata dolet, legumque catastas
Horret, & ultores credit adesse Deos.
Hæc Batavos, Ionchere, *doces, sociosque Sicambros*
Et patriæ præstas sceptra tremenda tuæ.
Nec tamen aut duri laudas Busiridis aras,
Aut sævum Phalarim, Tantalidasque probas.
Temperat Ausonias facilis Clementia leges,
Et tua delicto est credita pœna minor.
Debeat excellens aliis sua præmia virtus:
Per te securis non licet esse malis.

Ornatissimo, doctissimoque viro
D. IACOBO PETITIO,
I. V. Doctori,
SPONSO.

Cui placuit nullo violata Cupidine Pallas,
Et potior casta Pallade diva Themis,
Cur jam virgineos, cœlestia numina, cœtus
Despicis, & possunt displicuisse Deæ?
Cur Phœbo præfers thalamos, cur basia chartis,
Et victrix de te præmia sponsa capit?
Scilicet aërias nuper subvectus in Alpes,
In Paphio recreas corpora fessa sinu.
Qui calidos perfers Rhætorum in montibus æstus,
Nunc quoque, sed flamma fervidiore, cales.
Qui miranda stupes veteris vestigia Romæ,
Sola stupes dominæ lumina blanda tuæ.
Non juvat ingentes ultrà spectare colossos,
Nec spolia invisi temporis exul amas.
Laocoon docto torsit tibi brachia flexu:
Iam, tua quò flectas brachia, dicet Amor.
Dicet Amor, Dircen simul atque Amphiona sperne,
Et varium Rhodiæ sordeat artis opus.
Hic, tibi quam format solers natura figuram,
Adspice, & Amstelia candida colla Deæ.
Adspice Romanis aliquid præstantius ausis,
Mobile quod toto corpore pondus habet.
Fortia quid spectas domitoris membra ferarum?
Herculeas damnant jam tua bella manus.
Perficilis labor est ægram domuisse puellam:
Lenior hoc monstrum subdere cura potest.
Exuvias quoque Cypris amat, clavamque manumque,
Blanda sed obsequiis commodat arma suis.

Maxime

Maxime lustrator terræ, cœlique, marisque,
Adspice, quæ possint perplacuisse domi.
Iam peregre vixisse satis. solatia tandem
Sufficiat gremio sponsa Batava suo.
Vasta nimis mundi jam contrahe regna, tuamque
Includas circo, sed breviore, viam.
Sic, ubi ab Hesperiis rediit Tirynthius oris,
Hæsit in amplexu Deianira tuo.

Ad

BALDVINVM HAMÆVM,

Medicum, Britanniam repetentem.

DVm procul opposito divisos orbe Britannos,
Regnaque jam Carolo *rege beata petis:*
Accipe, quæ medicis subscribo carmina chartis,
Carmina Barlæi signa futura tui.
Forsitan Oceani, forsan fastidia terræ
Discutiet vatis charta notata manu.
Aut placidos inter relegens hæc disticha fluctus,
Adspicies famæ scripta trophæa tuæ.
Quin etiam, veteris si sis meminisse magistri,
Hos elegos mediis pignus habebis aquis.
At vos Æolii fremitus compescite fratres,
Ne violet charum dira procella caput.
Qua vehitur meus ille rati, servatur Apollo,
Depositumque poli nobile puppis habet.
Cui sua Phillyrides, Amythaoniusque Melampus,
Cui sua Pergameus credidit ausa senex.
Sacraque præclarus pandit consulta Machaon,
Et veteres Grajûm terra reclusit opes.
Parcite bellaces Morini, dum transeat hospes,
Nuncupet & patriis debita vota focis.
Innocuæ repetunt Brittonum littora Musæ,
Nec manus Hesperii sanguinis ista rea est,

Cur noceant placido belli solennia Phœbo,
Martiaque imbelles exigat ira viros?
Non onerant nostras Eoa monilia dextras,
Fulva nec aurifero pondera rapta Tago.
Doctorum fatale malum sat parvula dos est,
Pauperiesque bonæ mentis iniqua soror.
Audiat Austriacus; debentur libera nobis
Æquora, nec Pallas partibus æqua studet:
Audiat Auriacus: scelus est vincire Camœnas;
Hic speciem Mavors impietatis habet.
At tu læta tuum generosa Britannia civem
Excipe, Battavicæ nomina prima scholæ.
Quales Cecropiis redeuntes Roma salutat
Sedibus, & plausus commodat ipsa suos.
Si caruisse dolor fuerit, matura rependet
Consilia, & celeres protrahet arte colos.
Opprobrium fatis faciet, nec vindice tanto
Negliget in leges Atropos ire novas.
Morborum genus omne potens Medicina fugabit,
Quos Tamesis refluis in mare mittet aquis.
Sic ubi Tarpeias serpens Epidaurius arces
Appulit, afflictâ cessit ab urbe lues.

In obitum THOMÆ ERPENII, Linguarum Orientalium in Academia Lugdunensi Professoris eximii.

QVi medicos nuper ploravi carmine manes,
Et magno solvi debita justa seni;
Nunc iterum in lachrymas, iterum in suspiria cogor;
Nec potuit simplex, qui nocet, esse dolor.
Nulla caret mors morte, nec est sine funere funus,
Plorantesque trahunt spissa feretra viros.
Quo superis jam thure miser placabitur orbis?
Quæ pia difficilem leniet ara Deum?

Gens vita secura sumus, mactamur iniqui,
Nec rea quod justè terra queratur habet.
Lurida terribili latè grassata flagello,
Pestiferas quassat trux Libitina faces,
Quà Latiis quondam steterat gens Martia castris.
Æquoreasque bibit Rhenus anhelus aquas.
Nunc ubi Thymbræo fumant altaria vati,
Et veneranda sibi limina Pallas habet.
Non flectunt rigidas doctorum nomina Parcas,
Nec juvat in tantis plus sapuisse malis.
Lugent Pierides, & magnis orba magistris
Iam tacitos mœrent pulpita muta sonos.
Occidit Eoi interpres facundia mundi,
Notaque Barbarico lingua sub axe silet.
Qua Batavûm populis Arabas confudit, & Indos,
Atque uno patriam noluit ore loqui,
Illa Caledonios super exaudita recessus,
Nescivit spatiis Belgica stare tuis.
Illa per Hesperias fundens sua commoda terras,
Clarius inviso nomen ab hoste tulit.
Tota renascentes stupuit Germania voces,
Et decus hoc doluit non peperisse sibi.
Adspice, quà geminas jaculatur Cynthius umbras,
Cunctaque quà surgunt sidera, cuncta cadunt.
Adspice, quà Cancri chelis supposta Syene
Sistit Apollineas, ultima meta, rotas.
Aut ubi Fessanos Numidasque amplectitur Atlas,
Crebraque Erythrais puppis inerrat aquis.
Hic potuit vox illa loqui, neglectaque primum
Scripsit in Occiduo Turcica verba solo.
Iamque procul positum Rhenus compellat Orontem.
Et nova miratur nomina factus Arabs.
Iam sua Sultano transmittit fœdera Belga,
Et socias jungunt Punica regna manus.
Iam Mahumetanæ prostant deliria sectæ,
Et male consuta relligionis opus.

Quasque vafer fuerat commentus Sergius artes,
Mixtaque Idumais dogmata nostra sacris.
Quæ sapimus reliqui, sapimus vulgaria multi:
Quæ sapuit mens hæc, rarior illa fuit.
Illa Palæstinis accendit lampada chartis,
Et docuit punctis verba notata suis.
Edidit Hollandis recutitum pervigil orbem,
Atque Syros alio fecit in orbe legi.
Cur moreris vir magne, tuosque incidis honores?
Cur leve nos Batavos deseruisse putas?
An ferus & jaculis fatalibus acer Apollo
Hac etiam nobis parte nocere cupit?
Quod potuit mea Leida nefas? quo numine læso
Tam grandis culpæ credimur esse rei?
An meliora rapit rigidi inclementia fati?
Seraque quos optent secula, prima necat?
Non trahit in levibus pelagi suspiria damnis
Navita, sed magnas naufragus optat opes.
Memnona Dardanidum pubes dum plorat ademptum,
Incolumi perstans Hectore bella gerit.
Tu moreris, pariterque tuo cum funere condis,
Proh dolor, ingenii pignora rara tui.
Sed qui tanta novis jam libret pondera curis,
Vix aliquem mœsta das superesse scholæ.
Abstulit Occasus, quas linguas protulit Ortus,
Et tumulus laudes nunc Orientis habet.
Scilicet unus Arabs potuit te stante renasci,
Vnus Arabs voluit te moriente mori.

IN

IN OBITVM PETRI PAVWII, ANATOMICI.

Prosopopœia Mortis.

Illa ego, quam fari mirabile, vivere falsum,
Non tamen è tumulo Mors rediviva loquor.
Credite mortales, fingunt contraria vates,
Inque caput nostrum jus quoque Phœbus habet.
Mutarunt en fata vices. loquor ipsa; siletque,
Cui precium laudis non leve lingua dedit.
Ille triumphatâ toties de morte disertus,
Cum spolium pelles, ossa, cadaver erant,
Hac dextrâ cadit, & fatalibus occubat umbris,
Nec potuit nostræ fallere tela manus.
Sævus in imbelles toties qui sævit artus,
Et spectacla meas publica fecit opes,
Exuvias miserorum, & siccâ morte cadentum,
Iamque semel pœnam corpora passa suam.
Vidi ego, cum plenis portaret cruda canistris
Fercula, crudeli dilacerata manu.
Vidi ego liventes extracto viscere dextras,
Vtque jacens stanti fabula factus homo est.
Parcite, Di, dixi, defunctis parcite membris,
Et pereat solers in mea frusta caput.
Terra tegat totum; post vitæ damna, cadaver,
Supplicia à miseris posthuma nulla peto.
At quoties vivos, licet arte, resolveret artus,
Raptaque de calidâ matre catella foret,
Non secus ac placidam tigris Gangetica cervam
Diripit, aut proprium perfida mater Ityn:
Indolui tam dura scholis documenta parari,
Et tam barbaricâ commoda cæde peti.

Ipsa ego, quæ toti sum terror maximus orbi,
Facta viro risus publica causa fui,
Dum me ridiculi moderantem frena caballi,
Aut bovis in pigro tergore stare facit.
Vera loquor, quæ visa sibi testabitur hospes,
Ossea ubi circis clauditur aula suis.
Desine mirari. ridet, quæ seria, mundus,
Ludicraque attonita cum gravitate stupet.
O utinam tantum nesciret fama magistrum,
Quæque tenet cineres, clauderet urna virum!
Nunc super Ausonios, super exauditus Iberos
Nominis augusta nobilitate viget.
Effugit fecunda meum Mens sola furorem,
Et post exequias clara superstes agit.
Stat decus ingeniis. fateor, cogorque fateri;
Non habet in tantum jus Libitina caput.
Morborum vel mille vices, tot dædala terra
Gramina, naturæ luxuriantis opes,
Quæ Coi docet arcta senis, quæ fusa Galeni
Pagina, quæ medicus pharmaca scripsit Arabs,
Quicquid fatales potuit tardare sorores,
Lentius & nostrum jussit adesse diem,
Et quid quæque ferat regio, quid ferre recuset,
Norat, in exitium cuncta reperta meum.
Sed quoniam invidia major post fata perennat,
Vindictæ in solo corpore signa dabo.
Quique meos toties doctè excoriavit alumnos,
Deque cadaveribus rapta trophæa tulit,
Hac pœnam mihi parte luat. quæ dextera cædes
Fecit in exuvias ingeniosa meas,
Rursus Anaxagoras atomos dissolvat in omnes,
Et secet in similes singula particulas:
In causas facunda meas quæ lingua locuta est,
Democritus Plenum findat & in Vacuum.
At caput, invisas nuribus quod prodidit artes,
Pythagoras denos dissecet in numeros.

Vosque

Vosque animæ, quarum luxavit corpora Doctor,
Infesti vobis cor resecate viri.
Rarum aliquid, ni fallor, erit. quæ membra supersunt,
Terrigenûm sectrix excoriabit humus.
Sorte pari pereat. Nemesis justissima vox est:
Æqua refert, quisquis, quod facit ipse, refert.

IN
Anum nubere parantem.

Ecquid adhuc tenero petulans illudis amori,
Et Paphio tentas bella movere Deo?
Oscula poscis anus, legesque invertis amantum,
Et cupis exemplo nubere monstra tuo.
Duceris in mæstum, gressu titubante, cubile,
Sponsaque fis, nunquam quæ potes esse parens.
Non præeunt tibi læetus Hymen, lætaque puellæ,
Deserit accensas arida flamma faces;
Non Lucina tuis aderit placidissima votis,
Nec gemitus, quales parturientis, erunt.
Et cur hoc nequeas, possum tibi dicere causam,
Delassare virum, non redamare potes.
Te Paris adspiciens laqueo se stringat amator,
Leander mediis mergier optet aquis.
Ipse tuis furias flammis præponat Orestes,
Te nisi spe mortis Protesilaus amet.
Eligat in rabidum Theseus descendere taurum,
Quam gremii indignâ parte jacere tui.
Amphitryoniades Nessi sibi toxica poscat,
Quam te victori succubuisse sibi.
Quin ruere Æneas malit per saxa, per ignes,
Saucia quam telis pectora ferre tuis.
Si tales fuerint, Briseida spernat Achilles,
Hippolytus Phædram, Phyllida Demophoon.
Te Linus adspiciat, mox detestetur amorem,
Nec sua basiolis polluat ora tuis.

Ridet Amor, ridet stolidos Cytherea labores,
Et sua prostitui sacra Cupido dolet.
Miratur calidâ Veneris flagrare favillâ
Pectora Sithoniâ frigidiora nive.
Et stupet obtusas tantum valuisse sagittas,
Et vulnus nulla cuspide posse dari.
Nunc arcus periere mei, nunc teda laborat,
Nunc precium nostri sordet honoris, ait.
Oscula libantur fœdis graveolentia labris,
Aptaque candidulis basia virginibus.
Brachia lasciva circumjicienda puellæ,
Proh dolor, extinctum penè cadaver habent.
Prensantur putres, exanguia pondera, mammæ,
Collaque mendaci vix speciosa luto.
Vivere vult alios de se, quæ proxima morti est,
Et thalamos optat, debita quæ tumulo est.
Quam plorare gravi debebat præfica lessu,
Nunc mea sed moriens carmina cantat anus.
Non hanc aurifero redimat sibi Iuppiter imbre,
Heu, nimis ignavos sperneret ille sinus.
Non illam viridi Daphne commutet Apollo,
Si fugiat; jam mox arida quercus erit.
Non foliis illam cingit viridantibus ætas,
Aut tenerum facies ornat honora caput.
Omnia marcescunt, oculi, frons, colla, lacerti,
Tempora, pes, gremium, pectora, lingua, genæ.
Exequias hæc festa puta, Sponsamque cadaver,
Quoque thoro flammas expetit, esse rogum.

Ad

Ad
CONSTANTINVM
HVGENIVM EQVITEM,
Cum è castris reduci Epithalamium Blyenburgianum ipsi offerret.

Iam dudum lituis, belliqne immixte periclis,
Spectasti patria castra Ducesque tua.
Et circum horrisono strepuerunt classica cantu,
Præliaqne imbellem detinuere virum.
Sit satis Auriacis oculos donasse triumphis,
Exigit ad curas te tua nupta novas.
Quosque legas blandos offert Barlæus amores,
Carminaque in molles officiosa thoros.
Bella gerant alii, Veneris nos scribimus ignes,
Quosque velim ludos dedidicisse, cano.
Ne tamen hæc facili noceat facundia vati,
Aut toties dictos credar amare jocos:
Scribimus inviti Paphiæ popysmata matris,
Et canit in thalamis non nisi jussa chelys.
Cogimur & blandè cupidis parere maritis,
Iamque petit versus iste vel ista meos.
Sic oneri mea Musa mihi est. sum verna Diones,
Et totum imperio mancipat illa suo.
Adspicit emeritus, quæ quondam exercuit, arma
Miles, & insolitum narrat & odit opus.
Sæpè senex cunas puerique crepundia versat,
Et Veneris tremulâ prælia voce canit.
Nos quoque languentes in nostro pectore tedas
Tollimus, & dudum gaudia spreta damus.
Stat chartis conclusus amor. non urimur ultrà.
Crede, procax non est, garrula Musa mihi est.
At tu, sanguineo Martis subducte theatro,
Mascula Barlææ basia fige tua.

Qualia in Andromaches defixit basia labris
Hector, in Æmonio Laodameia viro.
Forsan & hoc reduci carmen conducet amanti,
Et stimulos addet pagina nostra tibi.
Dumque legis rigidi teneros Prætoris amores,
Officii poteris mox meminisse tui.

Ad Doctissimum Iuvenem, HVGONEM BOXELIVM, Artium magistrum.

DVm patrios circum frendet Bellona penates,
Iamque minax etiam Breda nocere potest;
Dum resonant mediis Mavortia classica portis,
Et rediens belli præmia jactat eques:
Otia, Boxeli, *& Batavi secreta Lycæi,*
Et studium placidæ nobile pacis amas.
Phœbus amor tuus est, faciles solatia Musæ,
Ipsaque dum damnas prælia, docta paras.
Succubat exutus titulis fallacibus error,
Et verum specie jam meliore nitet.
Ingreditur prisco Grajûm sapientia fastu,
Et sua purgari dogmata Stoa stupet.
Docta Cleantheam lassat solertia turbam,
Socraticasque vigil cura reformat opes.
Sic patria vixisse cupis, sic aspera bellis
Ingenio fiet mitior Heusda tuo.
Audiet Odrysius teneræ præcepta Minervæ,
Nec rigidâ solùm casside tutus erit.
Audiet indomitus tanti documenta magistri,
Atque tuâ mores lenset arte suos.
Illic innocuo si pinges pulvere vallos,
Fictaque dimensis castra locabis agris:
Ipse suum perdiscet opus. si mœnia scribas,
Exstruet auspiciis mœnia scripta tuis.

Prælia

Prælia si timidi fugiant, hortabere dictis;
Fervida si tentent prælia, jussa dabis.
Iam patris Æneæ laudes, nunc Hectoris arma,
Æmathioque canes bella peracta solo:
Vel quibus Ausonios Cattus spoliaverit ausis,
Spreverit & Latios Belgica terra Deos.
Omnia doctrinæ flectes sub legibus. ipsos
Bellorum fas est subdere colla duces.
Formant arma Scholæ: nec Martia Palladis hasta
Negligit officii discere jura sui.
Crescite Battavicæ tantis virtutibus urbes,
Et galeas Clario condecorate Deo.
Si neget æternos belli fortuna triumphos,
Continuant vestrum pulpita nostra decus.

Ad amplissimum virum,

MATTHIAM OVERBEKIVM,

ruri, ad castra Albiniana, viventem, qua vitæ urbanæ & rusticæ discrimina describuntur.

ACcipe, quæ doctâ tibi littera mittitur urbe,
Rhenus ubi fessas sistit anhelus aquas.
Accipe, nec nostræ precium aversare Camœnæ,
Et mea sint studiis otia grata tuis.
Vrbis ego, tu ruris amans, jam dispare vita
Vivimus, atque alium ventilat aura Iovem.
Illic celsa novo surgunt tibi culmina saxo:
Et propius Superûm limina lambit apex.
Hic mihi vicino domus est non æmula tecto,
Nec meus excelso vertice fumus abit.
Illic cœlicolum spacioso fornice templa,
Hic eadem nobis, sed magis arcta, patent.
Illic demissam radunt tibi sidera terram,
Hic oriens nunquam stella, sed orta micat.

Illic æquoreis citius Sol surgit ab undis,
Atque Aurora suum deserit alma senem.
Tardius hic vehit illa diem, lucemque moratur,
Et tenebras citius vespera mæsta refert.
Non illic querulas tollit vicinia voces,
Aut hærent lateri garrula tecta tuo.
Hic anus, invalidis licet enervata lacertis,
Improba clamosa jurgia voce serit.
Illic innocuâ figis vestigia plantâ,
Hic Niobe teneros lædit iniqua pedes.
Illic molle suos tibi ver ostentat honores,
Hic nova purpurei gloria veris abest.
Illic flaventes æstas protrudit aristas,
Hic eadem sterilis munera nescit humus.
Illic fecundos Autumnus parturit hortos,
Hic Pomona suas rara ministrat opes.
Illic bruma nives terris aspergit, & agris,
Hic eadem vultu sordidiore riget.
Illic tardigradis incedit gressibus Io,
Flexipedi calcans pascua læta pede.
Illic lanigeris Corydon irascitur agnis,
Atque aries tanti dux gregis agmen agit.
Illic quadrupedum latos ferit ungula campos,
Et patiens duri vomeris hinnit equus.
Illic mane diem, & fugientis lumina Phœbi
Nunciat in medio garrula rana lacu.
Hic neque balat ovis, nec tristi vacca boatu
Ingemit, aut placidis rana coaxat aquis.
Non hic Neptuni tellus percussa tridenti,
Horrida qui spirent prælia, fundit equos.
Illic aërii mellis cœlestia dona
Ingeniosa suis sedibus abdit apis.
Illic candidulum plenâ lac verberat urnâ
Thestylis, & mixtas seligit arte dapes.
Illic grata vocant fessum mulctralia Mopsum,
Gramineoque jacet Nysa petulca thoro.

Hæc

Hæc loca damnat apis, faſtidit Theſtylis urbem;
Et quærenda foris fabrica lactis erit.
Illic ſublimi volitans ſtrepit ardea quercu:
Hic petulans celſa paſſer in æde ſalit.
Illic prata virent, Zephyruſque tepentibus auris
Florigeros pulchrâ veſte coronat agros,
Hic aliquis Tyrio maculavit murice veſtes,
Quodque alibi felis rara cacavit, olet.
Ruri garrit anas, limoſaque trinſat hirundo,
Mæſtaque jam moriens carmina cantat olor.
Vndique dulciſonis reſonat concentibus æther,
Et modulos docili gutture reddit avis.
Hic ſua vocalis vendit jentacula piſtor,
Aut merces diro carmine laudat anus.
Tiſiphonem ſimili credam mugire boatu,
Et Stygius latret talia verba canis.
Aut qui Caucaſea damnatus rupe Prometheus
Supplicii queritur triſtia fata ſui.
Illic grata quies, tacitique ſilentia ruris
Ocia dant Muſis inviolata tuis.
Illic cornipedes, agreſtia numina, Faunos,
Et timidas juxtà cernis Hamadryadas.
Hic neque Pan calamos inflat, nec gramine fuſi
Virginei fugiunt, Pane ſequente, chori.
Illic empta tuas fugiunt opſonia menſas,
Hic varias præbent cara macella dapes.
Illic peſtiferam difflat locus amplior auram,
Hic eadem, ſpatio ſed breviore, furit.
Cum tot ruricolis, cum ſint tot gaudia vobis,
Cur mea ſors diſpar cogitur eſſe tua.
Scilicet Attalico turgent tibi ſcrinia cenſu,
Attalicæ nobis non numerantur opes.
Nulla gravant inopes vatum ſeſtertia ciſtas,
Quæque natat medio dives arena Tago.
Tu tibi rus geniale facis. ſi tinniat aurum,
Ipſe tibi poterit Caucaſus eſſe domus.

In nomen uxoris BARBARÆ.

Barbara nunc mihi tu, nunc sunt tua nomina lusus;
Hic mihi, sed forsan gratior ille tibi.
Barbara Pyramidum sileat miracula Memphis.
Sic tua Bilbilicus verba poëta canit.
Barbara dicta fuit Latiæ gens nescia linguæ,
Barbara gens, quæ non Græca, vocata fuit.
Barbara forma potest vero distinguere falsum:
Barbara perfectæ fit rationis opus.
Barbara virgineos inter celeberrima cœtus,
Romana meruit relligione coli.
Sub juga jam Seres, jam barbarus isset Orontes,
Æmathii doctus carminis auctor ait.
Nec moritura canit divini Musa Tibulli
Barbara gypsatos stringere vincla pedes.
Barbara narratur venisse venefica tecum:
Hypsipyle charum scripsit ad Æsonidem.
Barbara respersa est puerorum sanguine Colchis,
Insontem jugulat barbara mater Ityn.
Barbarus est Phasis: studiis quoque barbara Thrace est.
Barbaraque Eoas vectat Erythra rates.
Barbarus est Atlas: sunt barbara mœnia Byrsæ,
Barbarus est Phalaris, barbaricusque Scinis.
Barbara Barbariæ loca sunt, vocisque ferinæ,
Totaque barbarie barbara terra riget.
Barbarico viguit Latii facundia bello,
Barbarus attonita sævit in urbe furor.
Ausonias audax cum frangeret Hannibal arces,
Moribus & victu barbarus ille fuit.
Barbara se peltis pugnans defendit Amazon,
Barbara Bellona est, Barbarus Antiphates.
Sunt & barbaricæ chlamydes, ensesque togæque,
Barbaraque in Phrygio crine tiara nitet.

Barba-

Barbara Romulidûm recreant ſpectacula menſas,
Barbaraque in Caveis beſtia bella parat.
Barbara magnanimum timuit Germania Druſum,
Senſit barbaricos Martia Roma Getas.
Dardanidæ vincunt, dum reſtat barbarus Hector.
Sternitur aſtrictis barbarus Iſter aquis.
Eſt ubi barbaries, & barbarus infremit horror.
Luxuriat latis barbara Perſis agris.
O quoties doluit Rhenus, qua barbarus ibat!
Ponitur ad patrios barbara præda Deos.
Eſt quos ſævities accuſat barbara; ſunt quos
Naufragii damnis barbara Syrtis alit.
Barbara Romanæ diſcuſsit verba loquelæ,
Reddidit & priſcas Valla latinus opes.
Turba, Camœnarum Phœbique peroſa lepores,
Nec quibus ingenium mite Minerva dedit,
Crudelis, nullaque ferox placabilis arte,
Barbara Palladiis creditur eſſe viris.
Pannonios crebrò populantur barbara fines
Agmina, Cæſareo gens inimica ſolo.
Littera frendentis rabiem teſtata moloſsi,
Bis manſueta tuum Barbara nomen habet.
Littera quam patulo gens Dorica clamitat ore,
Pandit vocali ter tua verba ſono.
Barbara regali celebrat convivia luxu
Magnificas jactans Perſa ſuperbus opes.
Barbara Idumæas jugularunt agmina cunas,
Barbara dum juſſus miles in arma ruit.
Barbarus has ſegetes & culta novalia miles,
Et Melibœe tuos depopulatur agros.
Barbara crudeli ſatiantur viſcera paſtu,
Barbaraque Indorum funera ventre latent.
Quas ſacer ille feras modulando leniit Orpheus,
Cædibus & victu barbara turba fuit.
Barbara Barbariam, & diffuſos terminat Afros
Gadibus, & calidâ terra peruſta Pharo.

Bar-

Barbara sic Grajis, sic Barbara nota Latinis.
Barbara, te vates scribit, & historicus.
Barbara, per cunctas resonant tua nomina terras.
Barbara, quàm sæva crederis apta rei!
Barbara sed toto quamvis sis nomine, solum
Oscula cum non sint barbara, mitis eris.
Barbaries nihil ista nocet. si blandula frons est,
Blandula si vox est, Barbara nulla mihi est.

EPITHALAMIVM
In nuptias
IOHANNIS BOR,
Medici.

QVem Batavis nuper medicum formavit Athenis
Phœbus, & Aonides excoluere Deæ,
Iam proprium sibi Cypris habet. procul ite Camœnæ;
Alter in Idalia poscitur arte labor.
Borriades dominæ subdit sua colla Dionæ,
Atque alia Musas virgine damnat amans.
Reddita pro Cirrha Paphos est, Helicone Cithæron,
Quemque Claros tenuit, mollior Ida fovet.
Omnia sordescunt, herbæ, medicamina, morbi;
Iamque aliquis Veneris præmia morbus habet.
Vna fugat veteres conjunx lepidissima curas,
Et facit egregias victa puella vices.
Gallia Daphneum capiti circumdedit orbem,
Nunc decorant pexas myrtea serta comas.
Scilicet ista manent doctas redimicula frontes;
His Paris, his petulans cinctus Adonis erat.
Horrida Pergamei calcantur scripta magistri,
Et nova, quæ doceat, dogmata dictat Amor.
Qualia inexpertam docuit Leander amicam,
Cum tumidis primùm sospes abisset aquis.

Qualia in Hypsipyles thalamis recitavit Iason,
Aut Paris Oenonæ dixit amica suæ.
Blanda placent, risus, oculi, thorus, oscula, tedæ,
Et si quid charum tectius esse solet,
Expetiturque Deûm toties dignata cubili
Fabrica, & in vultu dispare ludit Hymen.
Illa, graves quamvis, expugnat forma Catones,
Illa vel armatos cogit amare deos.
Illa Panomphæum celso pellexit Olympo,
Et summum aurifero miscuit imbre Iovem.
Illa suum tacitos virus diffundit in artus,
Et placido tetricos fascinat ore viros.
Pelias Argolicis cantata est vatibus hasta,
Fabula mendacis sed fuit ista soli.
Quæ ferit, & læsos eadem persanat amantes,
Forma puellarum Pelias hasta fuit.
Hanc petit, hanc circum spaciosus volvitur orbis,
Non hærent alio pondera nostra loco.
Hæc quoque, Sponse, tuis defixit spicula venis,
Eque tuo certam vulnere sperat opem.
Nec tibi jam prodest veteris sapientia Coi,
Coctaque millenis pharmaca simplicibus.
Quid centum misces uno cratere maniplos?
Imbibet hæc medicum læsa puella suum.
Quid lenire paras totidem, mala nomina, febres?
Te quoque jam febris, sed reditura, tenet.
Cur modo derivas, modo fluxus arte revellis?
Crede mihi, hac ipsa sanior arte fores.
Nunc ægrum fodis ense latus, nunc lumina tractas,
Nunc illi tremulo corde mamilla salit.
Nunc aliis lento pectus torretur ab igne;
Et tamen his etiam partibus ipse doles.
Plurima dum sanas, dum totos porrigis hortos,
Dic mihi, cur dominum negligit herba suum?
An quia mollis amor solis sua gaudia saxis
Invidet, atque hominem vult superesse sibi?

An

An quia majorum ſequimur veſtigia nati,
Et patrias artes nos quoque ſcire juvat?
An quia cum toto delirent numina cælo,
Dedecus eſt puerum plus ſapuiſſe deum?
An quia Acidaliâ volupe eſt caluiſſe favillâ,
Et tibi plus flamma hæc, quam medicina, placet?
An quia cum ſerus tibi deſeret Heſperus Oetam,
Pharmaca Machtildis non violenta dabit?
Sic tua non doctæ tranſcribis jura maritæ,
Hippocratiſque tuì neſcia ſanat amans.
Nec peccare puta; magni ſecura Galeni
Nupta Machaonium ſi tua tractet opus.
Tu titulos, tu jura dabis, tu pilea confer.
Hoc quoque Doctorum nomina juris habent.
Interea medius dum turbat fercula vates,
Et mea feſtivus carmina ridet amor,
Spumantem puerorum aliquis prælibet Iacchum;
Nam poſuit ſiccis omnia dura Deus.
Tuque animæ pars magna mea, dulciſſime Borri,
Excute Machtildi vela recincta tuæ.
Scande thorum, at qualem poſita gravitate Catonem
Conjugis in gremium credimus iſſe ſuæ.
Ipſa favens primas nox longius explicet umbras,
Et veniat rutilo lentus ab axe dies.
Surgat progenies non inficianda parenti,
Patricias cingat crebra corona fores.
Sic quoque languentis reparas diſpendia mundi;
Incola nec noſtri degener orbis eris.
Fortè aliquem, ſævum Belgis qui avertat Iberum,
Deque tua Martis fulmina ſtirpe dabis.
Adſpicis, ut cunctis annixus viribus hoſtis,
Iam patriam ſummo margine radat humum?
Obiice, quæ pugnent, animas, nova robora creſcant;
Ne pereat belli gloria, Cypris amet.
Pergama quod ſteterint, armis debetur, & ulnis;
Hectoris hìc, Hecubæ laus quoque magna fuit.

Ni

Ni toties viduos auxisset Roma penates,
Victor in hos colles Hannibal isset ovans.
Basia si cessent, fecundaque prælia vitæ,
Auriacus nullo milite tutus erit.
Solve fidem, tantus nec subtrahe pignora civis.
Cum pater es, magni nominis orsa tenes.
Tolle moras, spondet faciles Machtildis amores,
Et sua non ultrà vota timere cupit.
Nec tamen ex illa redeas malè notus arena,
Nec nimium timidus, nec nimis acer ama.

EPIGRAMMA
in eosdem Sponsos.

SI Probitas unquam casto sociata Pudori,
Iunctaque si Pietas cum Pietate fuit:
Si Gravitas potuit blandos non spernere vultus,
Formaque præclaræ præmia mentis amat:
Si Venus & parili nectuntur fœdere Pallas,
Et recubant uno Phœbus Amorque thoro:
Adspice, quos geminos sociarunt Numina Sponsos,
Exemplum dictæ nobile pacis habes.

Ad Amplis. Doctissimumque virum,
D. IACOBVM PETITIVM,
I. V. D.
vitreorum munerum datorem.

QVas mittis Venetûm, gratissima munera, merces,
Accepit facili Barbara nostra manu.
Nunc erecta nitent mediis anathemata tectis,
Et sibi bis genitus sacra Lyæus habet.
Tu fragiles transmittis opes, & dædala quantum
Artifici possit pollice dextra doces.

Cerni-

Cernimus inflexum sinuosis orbibus anguem,
Qui totum diro vertice fulcit opus.
Scilicet hic nimii damnat carchesia Bacchi,
Vinaque vipereum virus habere monet.
Ne sapiens mediis cedat prudentia mensis,
Insanum prudens bajulat hydra Deum.
Et velut implicitus sua miscet corpora serpens,
Sic mixto socios agmine Liber amat.
Lucida dispersi depingunt membra colores,
Vinaque dissimili sæpè colore placent.
Sunt hæc mundanæ fallacia gaudia vitæ,
Nec, nisi quæ frangant numina, vitra sumus.
Hæc mecum quoties cernis, dilecte Petiti,
Natales fragili è pulvere disce tuos.
Flamma levis, levior genuit tua munera fumus;
Et levis has Itali dextra rotavit opes.
Flamma eadem, cautusque minus tua disjicit hospes
Munera, nec magno nata labore cadunt.
Sic vitreâ natus pariter de stirpe misellus
Occidit, & morti se quoque debet homo.
Altius ad dignas animo consurgere curas
Nos decet, & superis figere corda locis.
Te neglecta Themis, spretus te poscit Apollo,
Et quondam studiis Pallas amica tuis.
Sat Venetis Gallisque datum. jam Curia supplex
Atque tuam meritò Patria sperat opem.
Hoc age, & iratis tandem placare Camœnis,
Et vitæ studeas præmia ferre tuæ.
Sic tibi perpetuos virtus decernet honores,
Quosque negat cæcus jam favor, illa dabit.
Sic quæ misisti, sed inania, pocula Bacchi,
Huc veniens isto numine plena bibes.

Exi-

Eximiæ eruditionis viro,

QVIRINO à CANKEBEER,

I. V. Doctori.

DVm natura suos effœta recolligit ausus,
Fessaque nascendo tempora trudit Hyems,
Iamque suos abiens Autumnus damnat hono-
Et pudor est nudum veste videre latus, (res,
Frigora dum gelidâ Boreas invitat ab Arcto,
Et laxat famulas languida bruma manus;
Ecce triumphales agitat Sapientia currus,
Egregiasque vices cum Iove diva facit.
Ipsa novos animos Pallas capit, ipsa labores
Explicat, & laudes virgo patrima suas.
Panduntur curarum ædes, panduntur honorum,
Vtraque, sed socio limine, templa patent.
Abditus ingeniis gliscit calor, ardor honesti
Inclyta magnanimæ pectora pubis agit.
Vix transit sine vate dies. lux altera, rursum
Altera Pegaseas lassat honora Deas.
Æmula Battavicas virtus exercet Athenas.
Invidiam credo nomina magna pati.
Qualis Olympiacæ miratus præmia palmæ,
Inflat equus, si, quos occupet, ante videt:
Hunc alius super, atque alius sequiturque premitque,
Et rapidis fervent concita plaustra rotis.
Viderat hæc dudum plaudentis signa Lycei;
Meque trophæa manent illa, Quirinus ait.
Ibimus, & si quis meritis locus, ibimus, inquit;
Materies laudis sit Themis una mea.
Hac Minos, justusque Solon, hac arte Lycurgus,
Nec moritura meus nomina Cæsar habet.
Hac Decius Paulusque vigent, & maximus Azon.
A serâ titulos posteritate refert.

Invenit

Invenit mens docta viam. patet omnis eunti
Iustitia, & vastos explicat illa sinus:
Innumeras legum facies, & flexile verum,
Iuraque clamosi litigiosa fori:
Quid juvet hæredem, quid spes eludat habendi,
Vt trepidi posit causa placere rei:
Quanta fides tabulis, & quali teste probentur,
Quidque queat socios dissoluisse thoros:
Temperet ut juris ratio decreta severi,
Quæ maneat sceleri debita pœna suo:
Cunctaque Cæsareis veneranda volumina sceptris,
Aptaque bellantum litibus, apta togæ.
Suspice Leida virum, & tantæ da debita fronti
Præmia, ne proprium sit sine teste decus.
Ad te tota redit plenis spectata theatris
Gloria; communi semper honore meres.
Sunt tua, quæ defert insignia; quæque coronant
Tempora, sunt curæ Pilea signa tuæ.

In Mausoleum
GVLIELMI AVRANSIORVM
Principis, quod Delphis visitur.

ADspice Nassovii saxum regale sepulchri,
Quisquis ad Auriaci nomen & arma stupes.
Hæc memor Austriacum patria indignata Philippum,
Erigit Auriaco posthuma busta suo.
Surgit in invidiam pulsis hoc marmor Iberis,
Seraque virtutum præmia Belga parat.
Lustra oculis spectator opus, vultusque pererra,
Quos labor & solers sculpsit in ære manus.
Incubat Auriaco Auriacus, sed eburneus illi,
Qui prius Albanum terruit ense Ducem.
Sic jacuit dira stratum mercede cadaver,
Cum manus innocuum sterneret emta caput.

Cerni-

Cernis, ut insideat lapidi fortissimus heros?
Illa Patris patriæ prisca figura fuit.
Talis erat, cum jura daret, cum vindice ferro
Solveret Hesperio Belgica colla jugo.
Suspice Pyramidum surgentes more colossos;
Hoc æterna Ducum gloria culmen habet.
Vndique funesta fera Mortis oberrat imago,
Exuviisque suis imperiosa riget.
Disce triumphantes Parcis succumbere dextras,
Armaque, sed fatis præripienda, geri.
Stat Pietas, sacrumque manu veneranda volumen
Gestat, & æthereas diva recludit opes.
Hoc Pietas Duce tuta fuit, potuitque sub illo
Non timidâ cœlum relligione coli.
Stat juxta Herculeo circumdata tergore virgo,
Fortiaque invicto pectora Marte gerit.
Hesperios sic ille Deos & castra fugavit,
Et valida fregit Bætica sceptra manu.
Tuque serenato Libertas aurea vultu,
Hoc libertatis vindice, pulchra nites.
Parte aliâ adversum sceleratis exerit ensem
Iustitia, & lava ponderat æra manu.
Talis Arausiades media inter prælia ductor
Asseruit Batavi jura verenda fori.
Vnaque dum Marti, Themidi manus altera servit;
Et geminos stricto vindicat ense deos.
At quæ per cunctas fundat præconia terras,
Belligeras inflat Martia Fama tubas.
Hinc puer atque illinc lachrymis indulget acerbis,
Et dolet extinctas, quas gerit ipse, faces.
Diffluat in lachrymas & acerbos Belgica planctus,
Dum subit extincti tristis imago Ducis.
Quis paria Hispano faciet? tu maxime Fili,
Ne moriare prius, quam moriatur Iber.

Illustrissimo
DOMINICO MOLINO,
Senatori Veneto, cum Hymnum in Christum, & Argo Batavam ipsi mitterem.

Vivis, & externum celebras, Moline, poëtam,
Et tibi dilectum pergis amare caput.
Nec tua Barlæi prælustris purpura cantus
Despicit, & Musa dona pusilla mea.
Prima salutiferum depingit pagina Christum,
Ingentemque pio personat ore Deum.
Altera barbaricis oneratas mercibus alnos,
Hesperiique canit grandia damna soli.
Sic modo me tellus vatem, modo possidet æther,
Nunc hominum laudes, nunc habet ipse Deus.
Iamque feror medios acer bellator in hostes,
Iam cano tranquillæ nobile pacis opus.
Iam me ficta juvant veterum mendacia vatum,
Iam modulos adflat sanctior aura meos.
Artifices distincta petunt. hic incubat auro,
Et Venetûm rutilo sculpit in ære Ducem;
Ille rates aptat pelago, docet alter amores:
Eligit ingenio quilibet apta suo.
Nobis cuncta placent, tellus, Acheronque, polusque,
Ludicra cum gravibus, tristia cum salibus.
Omnia sunt vatum, sunt unius omnia Phœbi,
Militat ad nutum machina tota meum.
Imperium Veneti spatiis diffunditis amplis,
At meus in cœlos altius Hymnus abit.
Terminat Euganeos Rhætusque & Dalmata fines,
Quaque jacet medio Candia vestra mari.
At mea in Occiduis dominatur finibus Argo,
Et spolia ex ipso Sole stupenda refert.

Tu

Tu quoque qui vastam curis prudentibus urbem,
Consiliisque regis transtra, ratesque tuis;
In carmen Moline venis. tu magne Senator
Cogeris ad leges arctius ire meas.
Quæ tibi si placeant, & si ventura placebunt,
Aonias toto fonte bibemus aquas.
Et mea, Molini nimium proh sera voluptas,
Diffluet in laudes ebria Musa tuas.

Ad doctissimum virum, BALTHASAREM BONIFACIUM, Archidiaconum Tarvisiensem.

EVganei Patres, mediis qui scribitis undis
Carmen, & Adriaco tingitis ora mari;
Et tu Pegaseâ vates redimite coronâ
Balthasar, ô Musæ gloria sera meæ:
Dicite, cur viles pretium meruere libelli?
Et Veneto nostrum teste probatur opus?
Laurigerasque inter fertis mea nomina frontes,
Et favet applausu purpura vestra suo?
Ausonii laus ista soli est, donasse poëtas.
Illo Helicon totus, totaque Cirrha loco est.
Illic Naugerii faciles in carmina Musas,
Et faciles in se sensit Hyella Deas.
Illic Virgilio certasti, Bembe, Latino;
Et clara Hippolyte Castilione fuit.
Illic Cotta suam cecinit risitque Lycorim,
Flaminiique fuit dicta Turunda jocis.
Aonios meruit Latio Toscanus honores,
Et potuit vestro Carga sub axe legi.
Hic Fracastorios, Zanchos, doctosque Camillos,
Et geminos Strozas, Capilupósque tulit.
Quæque Sadoleto, quæ Lascare terra superbit,
Quæ dedit Ascanios, Itala terra fuit.

Hic, Arioste, tuos petulans modularis amores,
Et placido reges carmine Vacca canis.
Hic per Apollineos Palearius ambulat hortos,
Inque suâ mores virgine Tonsus amat.
Quos ego si taceam, Romam spectate canentem,
Et qua Tarpeia carmina rupe fluunt.
Lauriger Vrbanus media pater urbe Quirini
Pectora Phœbæo tacta furore quatit.
Hic hedera, & sacra coëunt in Præsule mitra,
Quique Dei, vatum præsidet ille gregi;
Communesque mihi versat mens ardua curas,
Et studiis dispar non cupit esse meis.
Vestra est Calliope, Veneti, Tritonia vestra est,
Numina tot vestris plus viguere locis.
Desinite in Batavum conferre encomia vatem,
Qui rude Hyperboreo sub Iove pangit epos.
Longius Aoniis, quàm vos à fontibus absum,
Longius à Cirrha, Castaliisque vadis.
Longius à priscis vivo semotus Athenis,
Mæoniique procul patria vatis abest.
Sum procul à magni cunis tumuloque Maronis,
Nec fluis in nostros Sulmo diserte lares.
Me Vahalis, me Mosa pater, me Rhenus inundat,
Flumina Pegaseis non satis apta viris.
Hinc Permessus abest. vobis vicinior ille est,
Imminet Ionio Græcia tota mari.
Phocidos amnis abest. vobis cum deficit ille,
Totus Castalias Adria fundit aquas.

Ad eundem, immodicum Carminum meorum Encomiasten.

Non ego cum vestris ausim certare Camœnis,
Balthasar, aut Batavis vatibus ire comes.
Parce meis claras hederis postponere lauros,
Aut hominem tantis æquiparare Deis.

Parce

Parce precor graciles ad sidera tollere Musas,
Nec studiis dona grandia verba meis.
Accola Tarvisii, sit fas mihi dicere, parce
Invidiam famæ conciliare meæ.
Tutius est humiles inter reptare myricas,
Tutius Heroum nomina ponè sequi.
Cymbula, quæ tumidis pelagi confisa procellis
Navigat, has audax mergitur inter aquas.
Non ego in Ægæo pandam mea vela profundo;
Navita, qui littus seligit, ille sapit.
Non ego nubivagas Alpes, non Pelion altum
Scandere, non istâ molior ire viâ.
Præcipites metuo scopulos livoris iniqui;
Ne noceant iterum, qui nocuere semel.
Tutius in tacitæ gradiar convallibus Idæ,
Et mea depressam pagina radet humum.
Me Bavii terrent, spretique opprobria Mævi,
Et levis in tota Marzus Amazonide.
Terreor indoctâ rauci Theseide Codri,
Terrent Mygdonii tristia fata Midæ.
Et nunc Icarei subeunt discrimina fastus,
Et malè servato lapsus ab axe puer.
Plurima cum timeam, plus hoc fortasse timebo,
Ne ruat in nostrum turba diserta caput.
Turba poëtarum, secli, proh, tacta veneno,
Impatiens ulli cedere, ferre parem.
Sit satis ingenti non displicuisse Molino
Carmina, & applausus emeruisse tuos.
Sit satis, hoc gemino me dictatore probari,
Sit satis ad laudes gloria vestra meas.
Testibus his poterunt de me dixisse nepotes:
Spreta domi potuit Musa placere foris.
Dicet posteritas: inter Rhenumque Silinque
Aonias blandè concinuisse Deas.
Dicet posteritas: facili modulamine Mosam,
Medoacumque sua perstrepuisse chely.

Dicet posteritas eadem: Rhenumque Athesinque,
Et Vahalim cantus consociasse suos.
At brevius: vicina Pado permixta fuisse
Carmine Battavicis flumina fluminibus.
Denique dicet & hoc: serò coiisse suävi
Barlæum & magnum fœdere Balthasarem.

IN SATYRAM
quæ inscribitur Hieromastix,
AD
DOMINICVM MOLINVM.

FAllor? an hec nostro frendet Lucilius ævo?
Pacuviosque iterum secula sera ferunt?
Horridulum quiddam dura de nare locutus
Persius, haud alio carmine censor erat.
Quique suis risit scelerum popysmata sannis,
Et tot Romanæ probra nefanda togæ:
Perfudit simili Latium Iuvenalis aceto,
Nec potuit populi crimina ferre sui.
Mœchus, & obscena ceventes parte Quirites,
Alpheus, indocto cum Labeone Glyco,
Infamesque lupæ, & preciô nonaria prostans,
Et quæ Socraticus membra cinœdus amat,
Pamphilus, Hermogenes, & discunt templa pudere.
Hæc mordax Bavios pagina dente notat.
Hic Superos Divosque gerens in fronte sacerdos,
Hic luit haud nimium Vesta perosa virum.
Ne mirare novum, prudens Moline, poëtam,
Et Satyras vestro posse sub orbe legi.
Difficile est Satyram non scribere. desipit orbis.
Materies Satyræ plurima quisque sumus.
Pantolabos, Verres, Nomentanosque nepotes
Cantaber, Ausonius, Belga, Britannus habent.
Fabula decrepito non luditur altera seclo,
Nec nova stultitiæ est scena, sed actor abit.

IN

IN HISTORIAM
Clarissimi doctissimique viri
ISACII PONTANI,
De rebus Danicis.

Gentis Hyperboreæ dominos, populosque Trionum,
Sceptraque per Regum continuata manus,
Et formidatam Tarpejis sedibus Arcton,
Et tot Vandalico prælia gesta solo,
Posteritas, te teste, leget Pontane, nec illud
Nesciet, Augusto judice, Cimber opus.
Ingenio per regna, Duces, urbesque vagaris;
Totaque jam Thetys, totaque Vesta patent.
Sic studiis diversa placent. nunc æthera spectas,
Et procul errantes contrahis arte Deos.
Nunc patrios memoras intorto crine Sicambros,
Et seclum tenebris eruis omne suis.
Ipse etiam, Occiduis nuper bellator in undis,
Amstela, tam grandi vindice latus ovat.
Hac scribis, vir docte, tuis. Iam longius actus
Parrhasiæ celebras littora vasta plagæ,
Codanumque sinum solers metiris, & arces.
Et quondam Batavis noxia rura meis.
Scilicet hunc Regi juvat impendisse laborem,
Oceanique Deos demeruisse tibi.
Vt si terra neget precium, submurmuret æquor,
Nec si Belga satis, plus tamen Arctos amet.

In Historiam Belli Belgici
PETRI BOR,

Qvid toties vexata, furens quid Belgica possit,
Quantum pro patriis audeat illa focis:
Sustineat quam dura pati mens conscia recti,
Albano stupuit sub Duce sævus Iber.

Mitius ingenium regalibus addidit armis
Italus, & docta profuit arte magis.
Cessimus Hesperia, nostrisque erepta triumphis
Oppida Cantabrica succubuere manu.
Et mox percusso Libertas Principe mærens,
Indoluit populi fata suprema sui:
Cum nova de patriis soboles augusta favillis
Surgit, & Auriaci funeris ultor adest.
Mauritiumque sequi nostræ cœpere cohortes,
Istaque collapsum dextra capessit opus.
Gaudet Breda capi. devictas reddidit urbes
Isala, stant Frisio castra subacta solo.
Alta triumphanti paret Groninga Leoni,
Cæsareaque vetus concidit urbis honos.
Bructerus & Salii nostræ sunt nomina partis,
Et Batavûm laxis finibus arma ruunt.
Iamque prior victis redit in præcordia virtus,
Austriacasque ferox despicit illa minas.
Hæc venerande tuos, Borri vis scire nepotes,
Bellaque tam claro plurima teste legi.
It Dacibus tua dextra comes. tu prælia reddis,
Pingis & in chartis Pergama nostra tuis.
Quam cuperem sociis tua currere secula seclis
Nassovii, & junctis gressibus ire duos,
Vt victrix quem nulla Ducem Bellona fatigat,
Tu quoque non cesses, maxime Scriba, loqui.

Eximiæ probitatis ac eruditionis Iuveni,

ARNOLDO BEAVMONTIO,

de Vltima voluntate disputanti.

VLtima, Beaumonti, morientum verba Quiritum
Tuta patrocinio vidimus esse tuo,
Et morti mandata dari, legesque sepultis,
Et dominum dubiis scribere jura bonis.

Scili-

Scilicet hæredum dextras frenasse rapaces,
Et tanta dites expedit arte mori.
Non hic ad curas homini sua sufficit ætas,
Prospicit in seros anxia cura dies.
Et jam scire juvat, quæ sit fortuna nepotum,
Ac nimis ingratæ posteritatis opes.
Venturasque vices tabulis spectamus in illis,
Quas pater aut titubans scribere jussit anus.
Sollicitì morimur, quales quoque viximus antè,
Filia sit quantum, quantum habitura nurus.
Dumque graves loculos longos partimur in annos,
Credimur in terris hoc superesse modo.
Insanire libet. sequimur, quod linquimus, aurum,
Exanimesque ipso in funere jussa damus.
Et, ne de rapto dubitet mors corpore, septem
Testibus æternæ mortis adimus iter.
Nec minus ex ipsis surgunt mox jurgia bustis,
Et querulos fratres charta relicta facit.
Et dum certa alibi poscunt oracula stulti,
Egregios census curia lenta vorat.
Tu meliora tuo suades, Arnolde, clienti,
Iuraque non multum litigiosa probas.
Sed causas ratione regis, pietate tribunal,
Et fallax socia relligione forum.
Quam colis, illa Dea est. patria est, cui vivis, & æther.
Ad laudes præeunt nomina tanta tuas.
Et super hæc animum clari genitoris imago
Dum subit, hac sobolem fas erit ire viâ.
Sæpius hos monitus, Beaumonti, in pectore versa:
Hoc tibi postremum Velle *poëta loquor.*

Ad Doctissimum Iuvenem
THOMAM HONERDVM,
Licentiatum.

QVi thalamos laudesque ducum, regumq; tiaras,
Et numeris cecini busta superba meis,
Et Tartesßiacis fumantia littora flammis,
Et tot Belgarum diruta transtra manu:
Nunc, Honerde, *tibi fessis praconia Musis,*
Pauculaque in laudes pracipitata loquor.
Materies non una mihi est. nunc inseror astris,
Æthereasque alto vertice rado domos;
Nunc humilem me terra capit. sic partior orbi
Carmina. nec solum terra, nec astra placent.
Vatibus ingenium est in multas flexile partes,
Nec sacer hic una stat regione furor.
Nunc nova transactis, nunc miscent sacra profanis.
Nunc homines gaudent, nunc celebrare Deos.
Castra, duces, litui, fasces, diademata, reges,
Busta, rogi, cineres, fœdera, sponsus, amor,
Relligio, pietas, & tot cantantur amici,
Et venit in modulos femina virque suos.
Ipsa etiam heroo jam nunc mihi fulta cothurno
Depugnat pedibus Martia Sylva meis.
Nec Schola, nec nostris abeunt indicta Camœnis
Nomina, qua Themidi, qua placuere mihi.
Tu quoque jam pulchro, Iuvenis, spectande theatro,
Ingenii lusus cogeris esse mei.
Dumque per egregias legum diffunderis artes,
Consiliumque gravis pracipis omne fori:
Pilea cum titulis, cum majestate triumphos,
Et non invito carmina vate refers.
Qua tibi si placeant patriis virtutibus aucto,
Non poterunt docto non placuisse patri.

In disputationem DE HYDROPE.

Belgica, quæ mediis vivis tranquillior undis,
Belgica, quæ solis regna tueris aquis;
Belgica, quæ Vahalim, & bellacis pocula Mosæ,
Et latices Rheni prætereuntis amas;
Adspice Battaviæ juvenem. cui docta papyrus
Acria funestis prælia dicit aquis,
Fatalesque obitus occultis imputat undis,
Quasque probas, dicit displicuisse sibi.
Dissidet à domina soboles, à matre propago,
Nec loquitur votis congrua verba tuis.
Scilicet objectis hosti servamur in undis,
Tantaque sed fluxis regna tuemur aquis.
At qui nostra premunt immoti corpora fluctus,
Materiem lentæ perditionis habent.
Mille modis morimur. bibimus feralia vivi
Pocula, nec lethi longius autor abest.
Funereas haurimus aquas, immergimur undis,
Fataque distento proxima ventre latent.
Et pariter nobis urna sumus atque cadaver,
Quique tumet, funus bajulat ipse suum.
Hæc, vir docte, doces, & quæ tibi tanta paratur
Gloria, damnatis tota paratur aquis.
Sic aliis tellus, aliis bellacia debent
Æquora, & exuto carbasa rapta mari.
At gravis & tacitis crescens successibus Hydrops
Invenit ingenio præmia digna tuo.
Dumque sibi latices sitiens, tibi pilea poscit,
Nec tamen aut titulis, aut saturatus aquis.

In honorem
FRANCISCI VOSSII, I. V. D.
Ad Clarissimum virum,
GERARDVM VOSSIVM Patrem.

Tandem etiam Batavæ subeunt palatia Musæ,
Atque aliquis, Vossi, crederis esse foris:
Præmiaque ingentes solantur regia curas,
Et precium, Carolo *judice, grande refers.*
Sic scripsisse juvat; chartis cùm purpura dives
Annuit, & fulgens otia donat ebur.
Altera nunc iterum tibi gaudia parturit æther,
Dum patrium soboles æmula calcat iter.
Stat Iuvenis, totasque viris edisserit artes,
Et tetrico loquitur congrua verba foro.
Qualia legiferæ dictant consulta tiaræ,
Aut Latiæ rostris exposuere togæ.
Per titulos, laudesque tuas, natique vagaris,
Inque tuum coëunt dissita regna decus.
Auriferis alibi Tamesis tibi labitur undis:
Hic tua, quæ celebret, pignora Rhenus habet.
Diversa ratione places. prodesse paratus
In natis toties nasceris ipse tuis.
Supputet innumeras Romana potentia terras:
Supputet immensas Tullus & Ancus opes:
Hic sua diffusis numeret tentoria castris:
Hic vocet in censum jugera, rura, domos.
Vilescunt omnes numeri. cui docta propago
Personat Aonidum limina, plus numerat.

C. BARLÆI
ELEGIARVM
LIBER III.
Ad Varios, & varii argumenti.

Clarissimo viro

ADOLPHO VORSTIO

Medico & Botanico, jam jam Leida abiturus.

DVm secunda novas tellus tibi parturit herbas,
Et solitas fundit Palladis hortus opes;
Iamque tuas vernans poscit Facundia voces,
Verbaque vel toto vere diserta magis:
Nos aliô Fortuna vocat, Batavûmque Lycaeo
Surripit, & charis invida nominibus.
Et veluti Pyladen charo subduxit Oresti,
Longius à vultu me cupit ire tuo.
Imus, at hoc, Vorsti, tibi dicimus, ire coacti.
Exilio similis sors mea pene mihi est.
Dumque dolens suetis vates avellor Athenis,
Ceu profugi speciem credor habere rei.
Non mihi jam placidis Rhenus pater obstrepet undis,
Savior ad fluctus murmurat Ya suos.
Non virides circum dabitur spectare Napaeas,
Quosque Tales campos, quos habet alma Ceres.
Non, quos Leida fovet, doctis permixtus Achivis,
Palladiae potero gentis honore frui.
Pandet inexhaustam nummis Cyllenius urbem,
Et studiis dispar diva moneta meis.
Omnia vendentes inter, nunc inter ementes
Omnia, nil habeo vendere, nil emere.
At tu, dum patriis animum virtutibus imples,
Hippocratisque tui verba severa legis,
Auguriis votisque juva mea vela secundis,
Et sorti cupias non gravis esse meae.

Quamvis in geminas fatis dispescimur urbes,
Et geminis distent Rhenus & Ta scholis;
Attamen unanimes societ concordia mentes.
Sic schola, sic sedes una duobus erit.

Responsio ad Elegiam Nobilissimi viri D. GVILIELMI BARDESII, Domini in VVarmenhuysen, &c.

Venit, & Amstelios subiit tua litera portus.
Venit & hac nostrâ tacta benigna manu est.
Pierides, dixi, crescentem ornate poëtam,
Atque hedera doctum cingite fronde caput.
En, novus ingreditur Phœbi delubra sacerdos,
Et mediis vatum gloria surgit agris.
Stemmata jam sordent, proavûmque ex ordine vultus,
Et numerat versus, qui numerabat avos.
Ingenio sociantur opes, fortuna Minervæ,
Et precium ex ipso sanguine Musa capit.
Quid mihi degeneres objectas, Belga, poëtas?
Quaque canunt, vatum nomina nulla putas?
Quid totum laceris habitari Helicona puellis,
Aut turba quereris sordidiore coli?
Abstulit hunc nobis Bardesi Musa tumultum.
Nunc titulo vates splendidiore sumus.
Nos quoque jam villas, nos prædia, rura tenemus.
Hic famulis, illic imperitamus equis.
Terrarum domini terras metimur & undas.
Pandimus augustis limina porticibus.
Lambunt æthereas vatis fastigia sedes,
Vt Iove jam possit proximiore frui.
Dumque elegos scribit, pariter sua jugera scribit.
Et patrio nitidum sidere condit epos.
Desere pauperies Batavos invisa poëtas.
Nobilitas versus ingeniosa facit.

Et

Et gaudent elegis, soliti gaudere caballis,
Frena quibus Persei splendida mordet equus.
Quique rotant celeres per rura, per oppida currus,
Per Tenedon currti liberiore ruunt.
Maxime Bardesi, dudum mihi culta poësis,
Exemplo poterit plus placuisse tuo.
Nec tecum posthac elegas scripsisse pudebit.
Quaque tua, laudis sors erit illa mea.
Nobilibus compar gradiar. communia magnis
Heroum geniis sacra Deosque colam.
Sic aliquis tandem Batavis populoque videbor.
Cum dicent studiis me cöiisse tuis.
Cum lateri comes ire tuo per compita cernar,
Et pariter gressus & sociare manus.
Mox ubi per steriles ibo venator arenas,
Et canibus dabimus jussa verenda tuis,
Qualis ero. Dominum me Thestylis esse putabit,
Basiolumque meo dividet ore suum.
Cum mihi suspensa pendebit arundine piscis,
Gaudia piscanti piscis & unda dabunt.
Quà resonant avibus circum virgulta canoris,
Irruet in casses præda petita meos.
Nunc spolium mihi terra feret, nunc altior æther,
Nunc vitreæ nobis dona feretis aquæ.
Tota suo vati facilis natura patebit,
Quam toties cecinit versibus ille suis.
At tu, cum Sponsa cupies & amoribus uri,
Irruet in thalamos nostra Camœna tuos.
Quique mihi donas cœlum, terrasque lacusque
Heroo referes carmina fulta pede.
Quæ si non capiet Musarum nescia virgo;
Quæ capiet roseis basia fige genis.
Aut si basiolis quid gratius esse putabit,
Officii nolis immemor esse tui.

SUPER OBITU
Nobilissimi Iuvenis
ARNOLDI vander MYLE,
DOMINI IN ALBLAS,
Ad Nobilissimum virum
D. CORNEL. vander MYLE, Patrem.

Maxime vir, patriis clarum decus addite terris,
Tot Batavos inter conspiciende Patres.
Cujus Apollineos illustrat Fama penates,
Scriptaque non uno nomina vate tument:
Pone modum lachrymis. nimium plorare recusat,
Cui pietas lachrymas sufficit ipsa suas.
Fles natum genitor. non vult Sapientia flere,
Cum, quæ non patimur funera, fata probant.
Quem luges, mundi spatiis sublimior, annos
Calcat, & æterna lege beatus agit.
Non moritur, quisquis vixit bene. vivere solus
Desinit, ignavi cui periere dies.
Qui genuit, dolet exstinctum. sed dedolet ille,
Mortalem qui se scit genuisse sibi.
Hoc ipsum lachrymat, quod non lachrymatur ab illo,
Funera qui nati credit acerba sui.
Si periit; nec jam terris ostenditur ultrà;
Virtutum memorem jam juvat esse patrem.
Qui miserum sese esse putat, miser incipit esse,
Et dolor ex ipsa pabula morte capit.
Quem si nulla premit ratio; premit ille dolentem,
Et propius tacito vulnere corda ferit.
In stabulis rapta matrem mugire juvencâ
Cernimus. ad pastum lætior inde redit.

Luget avis, quoties nido surrepta propago est.
Attamen huic ipsi lux satis una malo est.
Quid querimur miseri? nequeunt ablata reponi.
Despicit humanas ferrea Parca preces.
Et citius deerunt lachrymæ, quam causa. dolendi
Materies nunquam justa deesse potest.
Plus homines inopina dolent. quodcunque futurum
Novimus, hoc ipsum plangere velle nefas.
Imus, magne Virûm, quo dives Tullus & Ancus.
Imus, & hac orbis vadit in orbe viâ.
Nati lege sumus; qua desinat esse, quod esse
Cœpit, & exitio gaudeat omne suo.
Cui semel accubuit mensæ, se subtrahit hospes;
Et tolli gaudet, quas amat ipse, dapes.
Agricolæ sectis tandem lætantur aristis,
Et sua mox avida munera falce metunt.
Nec periit tuus ille, Pater, Myliusque puerque.
Quem tibi terra negat sordida, Numen habet.
Hunc dederat prius, hunc repetit. concessa parenti
Poscit inoffenso pignora jure Deus.
Debitor es. sobolem cum reddis, nomina solvis.
Quique tuus fuerat, plus erat ille Dei.
Non repetit properè, sua qui, non nostra, reposcit.
Non repetit propere, qui moritura rapit.
Sat vixit, cui vita proba est. cui pessima fluxit,
Ah, nimium mundo vixerit ille diu.
Vivimus errones cuncti. quid longius illum
A patriis luges occubuisse focis?
Crassum Parthus habet, peregrinaque littora Magnum,
Et peregre ad Trojam tot cecidere duces.
Si puncto stat terra brevi, jam patria ubique est.
Nec moriens potuit non obiisse domi.
Vixit, & ingenium claras diffudit in artes,
Et scivit, poterant quæ latuisse senes.
Per cunctos animosa gradus doctrina cucurrit,
Et stupuit gressus ocyus isse suos.

Securum

Securum nunc astra tenent. formidinis expers,
Peccandi didicit dedidicisse modum.
Sub pedibus Circenque premit, fœdamque Calypsum,
Totque catenato crimina juncta choro.
Adspicit hinc dantem patriæ responsa parentem.
Adspicit hinc faciles fratris ad arma manus.
Hic atavos mediis rutilantes adspicit astris,
Et fulgentis Avi suspicit ora nepos.
Lux æterna beat juvenem. sors nescia sortis
Implet inexhaustis pectora læta bonis.
Et si quod Vatum precium est, soletur & illud:
Arnoldum Batavo non sine Vate mori.

Reverendo clarissimoque viro IOHANNI WTENBOGARDO Ecclesiastæ quondam Hagiensi, nunc exuli.

MAgne vir, & patriæ quondam florentis ocelle,
Mitior Auriaci quum foret aura ducis;
Tota cui faciles porrexit Curia dextras,
Et favit studiis nobilis Haga suis.
Cum lituos, mediique inter fera classica belli
Panderet æthereos lingua diserta sonos;
Et procul expansis figens tentoria castris,
Victoris cuperet Mars meminisse Dei:
Disce vices rerum, & placidæ solatia menti
Suffice, neve tuis sis minor ipse malis.
Excute cœlestes fœcundi pectoris artes,
Nec desint domino mitia verba suo.
Quæ legit, atque avido servat studiosa colono,
Sæpius ipsa sibi mella ministrat apis:
Nec quæ plena suis fundunt carchesia donis,
Muneribus cupiant rura carere suis.
Tu quoque, cui totum tonuit facundia Christum,
Imbibe doctrina tot documenta tua.

Sacra-

Sacraque sollicitam recreent
Et leve sit, Christo sic did
Num peregrè novus exul ag
Exulis in terris non n si
Cogitur ingentis rector secede
Quemque domi potuit p
Exulat, & medio quærit c
Exitioque Deum subtra
Assyrios exul sedit Iudæus
Et bibit insolitas advena
Seu tibi Mosa pater, seu fl
Sequana, num tanti fec
Nec tibi nox gravior, nec l
Seu Druidûm spires aëre
Omne solum natale piis. ne
Nubibus hæret avis, pis
Sors gravis exilii est, fateor
Quæ fuit, illa tibi sors l
Non tua communes præcid
Publicaque infamis dir
Non tibi fallaci subrisit Ib
Aut sacer argenti suasi
Non tibi Batavici quæsita
Aut potuit Christus dis
Causa favet. solusque fuga
Si tamen hic culpam cr
Candida simplicitas nostro
Et sapuisse minus, cred
Sobrietas invisa fuit, potu
Ardua conscripto judi
At tu magne senex, secli
Hæc animo sapiens su
Iam moriens adsuesce D
Sordeat, atque emptâ
Sperne leves Procerum v
Sperne paludata molli

V L E X

ntium sanguine saturatus.

eo toties inimice cubili,
bili Rhinocerote minor;
is olim celeberrime chartis.
a potuere tuos;
fallax subterfugis ungues,
sævas jam fugis arte manus.
fixisti rostra labellis,
ro sanguine corpus erat.
fixisti rostra puellæ,
m sanguine pastus abis.
m primò, mox lædis & illam.
num vulnus amantis amas.
orpus miscetur in uno,
quid sanguinis alter habet.
ropius propiusque còire,
te proximiore frui.
chara secreta Neæra.
tio sed breviore, duo.
lusus, captiva tenentur.
quam fessus amator habet.
n, tu dulce lupanar amantum es.
ias membra pusilla faces.
ædes templumque Deorum es.
r matre tenellus Amor.
poteris ferale sepulchrum.
mbo, te moriente, mori.
ue refers palatia Ditis.
ti corpore gemma micas.
sque trahis de sanguine sanguen,
phagi, te sitiente, sumus.
sque meo de sanguine sugis,
potus & esca mes.

Cum

Mitius ingenium regalibus addidit armis
Italus, & docta profuit arte magis.
Cessimus Hesperia, nostrisque erepta triumphis
Oppida Cantabrica succubuere manu.
Et mox percusso Libertas Principe mœrens,
Indoluit populi fata suprema sui:
Cum nova de patriis soboles augusta favillis
Surgit, & Auriaci funeris ultor adest.
Mauritiumque sequi nostræ cœpere cohortes,
Istaque collapsum dextra capessit opus.
Gaudet Breda capi. devictas reddidit urbes
Isala, stant Frisio castra subacta solo.
Alta triumphanti paret Groninga Leoni,
Cæsareæque vetus concidit urbis honos.
Bructerus & Salii nostræ sunt nomina partis,
Et Batavûm laxis finibus arma ruunt.
Jamque prior victis redit in præcordia virtus,
Austriacasque ferox despicit illa minas.
Hæc venerande tuos, Borri vis scire nepotes,
Bellaque tam claro plurima teste legi.
It Dacibus tua dextra comes. tu prælia reddis,
Pingis & in chartis Pergama nostra tuis.
Quam cuperem sociis tua currere secula seclis
Nassovii, & junctis gressibus ire duos,
Ut victrix quem nulla Ducem Bellona fatigat,
Tu quoque non cesses, maxime Scriba, loqui.

Eximiæ probitatis ac eruditionis Iuveni, ARNOLDO BEAUMONTIO, de Ultima voluntate disputanti.

VLtima, Beaumonti, morientum verba Quiri-
Tuta patrocinio vidimus esse tuo, (tum
Et morti mandata dari, legesque sepultis,
Et dominum dubiis scribere jura bonis.

Scili-

Scilicet hæredum dextras frenasse rapaces,
Et tanta dites expedit arte mori.
Non hic ad curas homini sua sufficit ætas,
Prospicit in seros anxia cura dies.
Et jam scire juvat, quæ sit fortuna nepotum,
Ac nimis ingrata posteritatis opes.
Venturasque vices tabulis spectamus in illis,
Quas pater aut titubans scribere jussit anus.
Solliciti morimur, quales quoque viximus antè,
Filia sit quantum, quantum habitura nurus.
Dumque graves loculos longos partimur in annos,
Credimur in terris hoc superesse modo.
Insanire libet. sequimur, quod linquimus, aurum,
Exanimesque ipso in funere jussa damus.
Et, ne de rapto dubitet mors corpore, septem
Testibus æternæ mortis adimus iter.
Nec minus ex ipsis surgunt mox jurgia bustis,
Et querulos fratres charta relicta facit.
Et dum certa alibi poscunt oracula stulti,
Egregios census curia lenta vorat.
Tu meliora tuo suades, Arnolde, clienti,
Iuraque non multum litigiosa probas.
Sed causas ratione regis, pietate tribunal,
Et fallax socia relligione forum.
Quam colis, illa Dea est. patria est, cui vivis, & æther.
Ad laudes præeunt nomina tanta tuas.
Et super hac animum clari genitoris imago
Dum subit, hac sobolem fas erit ire viâ.
Sæpius hos monitus, Beaumonti, in pectore versa:
Hoc tibi postremum Velle *poëta loquor.*

Ad Doctissimum Iuvenem
THOMAM HONERDVM,
Licentiatum.

QVi thalamos laudesque ducum, regumq; tiaras,
Et numeris cecini busta superba meis,
Et Tartessiacis fumantia littora flammis,
Et tot Belgarum diruta transtra manu:
Nunc, Honerde, *tibi fessis praconia Musis,*
Pauculaque in laudes pracipitata loquor.
Materies non una mihi est. nunc inseror astris,
Æthereasque alto vertice rado domos;
Nunc humilem me terra capit. sic partior orbi
Carmina. nec solum terra, nec astra placent.
Vatibus ingenium est in multas flexile partes,
Nec sacer hic una stat regione furor.
Nunc nova transactis, nunc miscent sacra profanis.
Nunc homines gaudent, nunc celebrare Deos.
Castra, duces, litui, fasces, diademata, reges,
Busta, rogi, cineres, federa, sponsus, amor,
Relligio, pietas, & tot cantantur amici,
Et venit in modulos femina virque suos.
Ipsa etiam heroo jam nunc mihi fulta cothurno
Depugnat pedibus Martia Sylva meis.
Nec Schola, nec nostris abeunt indicta Camœnis
Nomina, qua Themidi, qua placuere mihi.
Tu quoque jam pulchro, Iuvenis, spectande theatro,
Ingenii lusus cogeris esse mei.
Dumque per egregias legum diffunderis artes,
Consiliumque gravis pracipis omne fori:
Pilea cum titulis, cum majestate triumphos,
Et non invito carmina vate refers.
Qua tibi si placeant patriis virtutibus aucto,
Non poterunt docto non placuisse patri.

In disputationem DE HYDROPE.

Belgica, quæ mediis vivis tranquillior undis,
Belgica, quæ solis regna tueris aquis;
Belgica, quæ Vahalim, & bellacis pocula Mosæ,
Et latices Rheni prætereuntis amas;
Adspice Battaviæ juvenem. cui docta papyrus
Acria funestis prælia dicit aquis,
Fatalesque obitus occultis imputat undis,
Quasque probas, dicit displicuisse sibi.
Dissidet à domina soboles, à matre propago,
Nec loquitur votis congrua verba tuis.
Scilicet objectis hosti servamur in undis,
Tantaque sed fluxis regna tuemur aquis.
At qui nostra premunt immoti corpora fluctus,
Materiem lentæ perditionis habent.
Mille modis morimur. bibimus feralia vivi
Pocula, nec lethi longius autor abest.
Funereas haurimus aquas, immergimur undis,
Fataque distento proxima ventre latent.
Et pariter nobis urna sumus atque cadaver,
Quique tumet, funus bajulat ipse suum.
Hæc, vir docte, doces, & quæ tibi tanta paratur
Gloria, damnatis tota paratur aquis.
Sic aliis tellus, aliis bellacia debent
Æquora, & exuto carbasa rapta mari.
At gravis & tacitis crescens successibus Hydrops
Invenit ingenio præmia digna tuo.
Dumque sibi latices sitiens, tibi pilea poscit,
Nec tamen aut titulis, aut saturatus aquis.

In honorem FRANCISCI VOSSII, I.V.D. Ad Clarissimum virum, GERARDVM VOSSIVM Patrem.

Tandem etiam Batavæ subeunt palatia Musæ,
Atque aliquis, Vossi, crederis esse foris:
Præmiaque ingentes solantur regia curas,
Et precium, Carolo *judice, grande refers.*
Sic scripsisse juvat; chartis cùm purpura dives
Annuit, & fulgens otia donat ebur.
Altera nunc iterum tibi gaudia parturit æther,
Dum patrium soboles æmula calcat iter.
Stat Iuvenis, totasque viris edisserit artes,
Et tetrico loquitur congrua verba foro.
Qualia legiferæ dictant consulta tiaræ,
Aut Latiæ rostris exposuere togæ.
Per titulos, laudesque tuas, natique vagaris,
Inque tuum coëunt dissita regna decus.
Auriferis alibi Tamesis tibi labitur undis:
Hic tua, quæ celebret, pignora Rhenus habet.
Diversa ratione places. prodesse paratus
In natis toties nasceris ipse tuis.
Supputet innumeras Romana potentia terras:
Supputet immensas Tullus & Ancus opes:
Hic sua diffusis numeret tentoria castris:
Hic vocet in censum jugera, rura, domos.
Vilescunt omnes numeri. cui docta propago
Personat Aonidum limina, plus numerat.

C. BARLÆI
ELEGIARVM
LIBER III.
Ad Varios, & varii argumenti.

Clarissimo viro

ADOLPHO VORSTIO

Medico & Botanico, jam jam Leida abiturus.

DUm fecunda novas tellus tibi parturit herbas,
Et solitas fundit Palladis hortus opes;
Iamque tuas vernans poscit Facundia voces,
Verbaque vel toto vere diserta magis:
Nos aliò Fortuna vocat, Batavûmque Lycæo
Surripit, & charis invida nominibus.
Et veluti Pyladen charo subduxit Oresti,
Longius à vultu me cupit ire tuo.
Imus, at hoc, Vorsti, tibi dicimus, ire coacti.
Exilio similis sors mea pene mihi est.
Dumque dolens suetis vates avellor Athenis,
Ceu profugi speciem credor habere rei.
Non mihi jam placidis Rhenus pater obstrepet undis,
Savior ad fluctus murmurat Ya suos.
Non virides circum dabitur spectare Napæas,
Quosque Tales campos, quos habet alma Ceres.
Non, quos Leida fovet, doctis permixtus Achivis,
Palladiæ potero gentis honore frui.
Pandet inexhaustam nummis Cyllenius urbem,
Et studiis dispar diva moneta meis.
Omnia vendentes inter, nunc inter ementes
Omnia, nil habeo vendere, nil emere.
At tu, dum patriis animum virtutibus imples,
Hippocratisque tui verba severa legis,
Auguriis votisque juva mea vela secundis,
Et sorti cupias non gravis esse meæ.

Quam-

Quamvis in geminas fatis dispescimur urbes,
Et geminis distent Rhenus & Ya scholis;
Attamen unanimes societ concordia mentes.
Sic schola, sic sedes una duobus erit.

Responsio ad Elegiam Nobilissimi viri D. GVILIELMI BARDESII, Domini in VVarmenhuysen, &c.

VEnit, & Amstelios subiit tua litera portus.
Venit & hac nostrâ tacta benigna manu est.
Pierides, dixi, crescentem ornate poëtam,
Atque hederæ doctum cingite fronde caput.
En, novus ingreditur Phœbi delubra sacerdos,
Et mediis vatum gloria surgit agris.
Stemmata jam sordent, proavûraque ex ordine vultus,
Et numerat versus, qui numerabat avos.
Ingenio sociantur opes, fortuna Minervæ,
Et precium ex ipso sanguine Musa capit.
Quid mihi degeneres objectas, Belga, poëtas?
Quæque canunt, vatum nomina nulla putas?
Quid totum laceris habitari Helicona puellis,
Aut turba quereris sordidiore coli?
Abstulit hunc nobis Bardesi Musa tumultum.
Nunc titulo vates splendidiore sumus.
Nos quoque jam villas, nos prædia, rura tenemus.
Hic famulis, illic imperitamus equis.
Terrarum domini terras metimur & undas.
Pandimus augustis limina porticibus.
Lambunt æthereas vatis fastigia sedes,
Vt Iove jam possit proximiore frui.
Dumque elegos scribit, pariter sua jugera scribit.
Et patrio nitidum sidere condit epos.
Desere pauperies Batavos invisa poëtas.
Nobilitas versus ingeniosa facit.

Et

Et gaudent elegis, soliti gaudere caballis,
Frena quibus Persei splendida mordet equus.
Quique rotant celeres per rura, per oppida currus,
Per Tenedon curru liberiore ruunt.
Maxime Bardesi, dudum mihi culta poësis,
Exemplo poterit plus placuisse tuo.
Nec tecum posthac elegas scripsisse pudebit.
Quæque tua, laudis sors erit illa mea.
Nobilibus compar gradiar. communia magnis
Heroum geniis sacra Deosque colam.
Sic aliquis tandem Batavis populoque videbor.
Cum dicent studiis me coiisse tuis.
Cum lateri comes ire tuo per compita cernar,
Et pariter gressus & sociare manus.
Mox ubi per steriles ibo venator arenas,
Et canibus dabimus jussa verenda tuis,
Qualis ero. Dominum me Thestylis esse putabit,
Basiolumque meo dividet ore suum.
Cum mihi suspensa pendebit arundine piscis,
Gaudia piscanti piscis & unda dabunt.
Quà resonant avibus circum virgulta canoris,
Irruet in casses præda petita meos.
Nunc spolium mihi terra feret, nunc altior æther,
Nunc vitreæ nobis dona feretis aquæ.
Tota suo vati facilis natura patebit,
Quam toties cecinit versibus ille suis.
At tu, cum Sponsa cupies & amoribus uri,
Irruet in thalamos nostra Camœna tuos.
Quique mihi donas cœlum, terrasque lacusque
Heroo referes carmina fulta pede.
Quæ si non capiet Musarum nescia virgo;
Quæ capiet roseis basia fige genis.
Aut si basiolis quid gratius esse putabit,
Officii nolis immemor esse tui.

SVPER OBITV

Nobilissimi Iuvenis

ARNOLDI vander MYLE,

DOMINI IN ALBLAS,

Ad Nobilissimum virum

D. CORNEL. vander MYLE, Patrem.

Maxime vir, patriis clarum decus addite terris,
Tot Batavos inter conspiciende Patres.
Cujus Apollineos illustrat Fama penates,
Scriptaque non uno nomina vate tument:
Pone modum lachrymis. nimium plorare recusat,
Cui pietas lachrymas sufficit ipsa suas.
Fles natum genitor. non vult Sapientia flere,
Cum, quæ non patimur funera, fata probant.
Quem luges, mundi spatiis sublimior, annos
Calcat, & æterna lege beatus agit.
Non moritur, quisquis vixit bene. vivere solus
Desinit, ignavi cui periere dies.
Qui genuit, dolet exstinctum. sed dedolet ille,
Mortalem qui se scit genuisse sibi.
Hoc ipsum lachrymat, quod non lachrymatur ab illo,
Funera qui nati credit acerba sui.
Si periit, nec jam terris ostenditur ultrà;
Virtutum memorem jam juvat esse patrem.
Qui miserum sese esse putat, miser incipit esse,
Et dolor ex ipsa pabula morte capit.
Quem si nulla premit ratio; premit ille dolentem,
Et propius tacito vulnere corda ferit.
In stabulis rapta matrem mugire juvencâ
Cernimus. ad pastum lætior inde redit.

Luget

Luget avis, quoties nido surrepta propago est.
Attamen huic ipsi lux satis una malo est.
Quid querimur miseri? nequeunt ablata reponi.
Despicit humanas ferrea Parca preces.
Et citius deerunt lachrymæ, quam causa. dolendi
Materies nunquam justa deesse potest.
Plus homines inopina dolent. quodcunque futurum
Novimus, hoc ipsum plangere velle nefas.
Imus, magne Virûm, quo dives Tullus & Ancus.
Imus, & hac orbis vadit in orbe viâ.
Nati lege sumus; qua desinat esse, quod esse
Cœpit, & exitio gaudeat omne suo.
Cui semel accubuit mensæ, se subtrahit hospes;
Et tolli gaudet, quas amat ipse, dapes.
Agricolæ sectis tandem lætantur aristis,
Et sua mox avida munera falce metunt.
Nec periit tuus ille, Pater, Myliusque puerque.
Quem tibi terra negat sordida, Numen habet.
Hunc dederat prius, hunc repetit. concessa parenti
Poscit inoffenso pignora jure Deus.
Debitor es. sobolem cum reddis, nomina solvis.
Quique tuus fuerat, plus erat ille Dei.
Non repetit properè, sua qui, non nostra, reposcit.
Non repetit propere, qui moritura rapit.
Sat vixit, cui vita proba est. cui pessima fluxit,
Ah, nimium mundo vixerit ille diu.
Vivimus errones cuncti. quid longius illum
A patriis luges occubuisse focis?
Crassum Parthus habet, peregrinaque littora Magnum,
Et peregre ad Trojam tot cecidere duces.
Si puncto stat terra brevi, jam patria ubique est.
Nec moriens potuit non obiisse domi.
Vixit, & ingenium claras diffudit in artes,
Et scivit, poterant quæ latuisse senes.
Per cunctos animosa gradus doctrina cucurrit,
Et stupuit gressus ocyus isse suos.

Securum

Securum nunc astra tenent. formidinis expers,
Peccandi didicit dedidicisse modum.
Sub pedibus Circenque premit, fœdamque Calypsum,
Totque catenato crimina juncta choro.
Adspicit hinc dantem patriæ responsa parentem.
Adspicit hinc faciles fratris ad arma manus.
Hic atavos mediis rutilantes adspicit astris,
Et fulgentis Avi suspicit ora nepos.
Lux æterna beat juvenem. sors nescia sortis
Implet inexhaustis pectora læta bonis.
Et si quod Vatum precium est, soletur & illud:
Arnoldum Batavo non sine Vate mori.

Reverendo clarissimoque viro IOHANNI WTENBOGARDO Ecclesiastæ quondam Hagiensi, nunc exuli.

MAgne vir, & patriæ quondam florentis ocelle,
Mitior Auriaci quum foret aura ducis;
Tota cui faciles porrexit Curia dextras,
Et favit studiis nobilis Haga suis.
Cum lituos, mediique inter fera classica belli
Panderet æthereos lingua diserta sonos;
Et procul expansis figens tentoria castris,
Victoris cuperet Mars meminisse Dei:
Disce vices rerum, & placidæ solatia menti
Suffice, neve tuis sis minor ipse malis.
Excute cœlestes fœcundi pectoris artes,
Nec desint domino mitia verba suo.
Quæ legit, atque avido servat studiosa colono,
Sæpius ipsa sibi mella ministrat apis:
Nec quæ plena suis fundunt carchesia donis,
Muneribus cupiant rura carere suis.
Tu quoque, cui totum tonuit facundia Christum,
Imbibe doctrinæ tot documenta tuæ.

Sacra-

Sacraque sollicitam recreent oracula mentem,
Et leve sit, Christo sic didicisse pati.
Num peregrè novus exul agis, qui debitus astris
Exulis in terris non nisi nomen habes?
Cogitur ingentis rector secedere mundi,
Quemque domi potuit pertimuisse, fuit.
Exulat, & medio quærit cunabula Nilo,
Exitioque Deum subtrahit ipse Deus.
Assyrios exul sedit Iudæus ad amnes,
Et bibit insolitas advena tantus aquas.
Seu tibi Mosa pater, seu flexus pocla ministrat
Sequana, num tanti fecerit ista Cato?
Nec tibi nox gravior, nec lux minus æqua diei est,
Seu Druidûm spires aëre, seu Batavûm.
Omne solum natale piis. nec semper iisdem
Nubibus hæret avis, piscis inerrat aquis.
Sors gravis exilii est, fateor. sed nescia culpæ
Quæ fuit, illa tibi sors levis exilii est.
Non tua communes præcidit dextera census,
Publicaque infamis diruit æra manus.
Non tibi fallaci subrisit Iberia quæstu,
Aut sacer argenti suasit iniqua furor.
Non tibi Batavici quæsita potentia regni,
Aut potuit Christus displicuisse minor.
Causa favet. solusque fugæ prætexitur error.
Si tamen hic culpam criminis error habet.
Candida simplicitas nostro proscribitur orbe,
Et sapuisse minus, creditur esse nefas.
Sobrietas invisa fuit, potuitque probari
Ardua conscripto judice tuta fides.
At tu magne senex, secli contemptor & avi,
Hæc animo sapiens suggere dicta tuo;
Iam moriens adsuesce Deo. tibi Belgica tandem
Sordeat, atque emptâ mobilis aula fide.
Sperne leves Procerum vultus, trabeasque, ducesque,
Sperne paludatæ mollia verba togæ,

Nec

Nec te falsiloquæ moveant convitia turbæ,
Aut nimis in laudes lingua diserta tuas.
Sufficiat Christum populo monstrasse, nec ultra
Hæc mea vota tuis addere vota velis,
Te recti soletur amor, me solor eodem.
Convenit ille mihi, convenit ille tibi.

PETRO BRUGMAN,
CUM
I. V. D. publicè renunciaretur.

Continuant nostræ Iuvenum præconia Musæ,
Nec residem patitur Leida jacere chelyn.
Poscimur ad cunctos, Phœbo indignante, triumphos.
Iamque petit versus ille vel ille meos.
Calliopes sum verna mea, & liberrima quamvis,
Attamen officio mens mihi serva suo est.
Sicelides Divæ, si me fecisse poëtam
Non pudet, hanc artem dedidicisse velim,
Autori gravis illa suo est: vilescimus ultrà,
Et facilis vates arguor esse nimis.
Sæpè, per Elæos meruit qui præmia campos,
Liber ab Elæo pulvere currit equus.
Herculis ad postem fixis Veianius armis
Otiaque & longa tempora pacis amat.
Non semper gravibus taurus desudat aratris,
Et reficit fessas languida bruma manus.
Solve fatiscentem, rector Thymbraee, poëtam.
Sacramus foribus barbita nostra tuis.
Reddo chelyn, reddo fidibus tibi plectra remissis,
Relliquias istas vatis & artis habe.
Dum, Brugmanne, *tuo applaudam postremus honori,*
Amplius hoc Musas nolumus ore loqui.

Nobi-

Nobilissimo viro
FREDERICO GUNTHERO,
Daniæ Regi à Secretis.

Maxime vir, quem Gallorum stupuere decentem
Pulpita, & antiquo Cecropis ore loqui,
Quàm tibi diversis nunc currit moribus ævum,
Quam placidis distant turbida sceptra scholis.
Quàm tibi prælectus jam plus adamatur Achilles,
Dum similes format mens generosa Duces.
Quàm sunt dissimilis Regum Phœbique labores.
Quàm titulis surgit celsius aula suis.
Nos tamen ad Cimbros imus, tenuisque professor
Arctoum sterili carmine limen adit.
Inter ebur, trabeas inter, proceresque Ducesque
Ista leges curis inferiora tuis.
Nil moror. hæc etiam regni majoris imago est,
Ad mea Pegaseas jussa venire Deas.
Scribere quæ cupias totumque effingere Phœbum,
Et numeros castris disposuisse suis.
Hæc mea nobilitas, hæc nostra gloria Musæ,
Hæc fortis species ambitiosa mea est.
Jam ride, vir summe, meus nugatur Apollo,
Ut Boreum lepido leniat ore Iovem.
Ut Batavûm discant salibus mansuescere Cimbri,
Et mea non tristi carmina fronte legant.
Si tua tot passim vacat indulgentia doctis,
Barlæo liceat te quoque posse frui.

PVLEX

duorum amantium sanguine saturatus.

PVlex parve, meo toties inimice cubili,
Pulex terribili Rhinocerote minor;
Pulex Socraticis olim celeberrime chartis.
Metiri saltus qua potuere tuos;
Qui celeres matrum fallax subterfugis ungues,
Iamque oculos, sævas jam fugis arte manus.
Nuper acuta meis fixisti rostra labellis,
Et saturum nostro sanguine corpus erat.
Nuper acuta meæ fixisti rostra puellæ,
Innocuoque iterum sanguine pastus abis.
Bis latro, me miserum primò, mox lædis & illam.
Ac gemini alternum vulnus amantis amas.
Corpore sic nostrum corpus miscetur in uno,
Alteriusque aliquid sanguinis alter habet.
Cogimur amplecti propius propiusque cöire,
Concubituque in te proximiore frui.
Tangor & hic tango chara secreta Neæræ.
Vrimur hic, spatio sed breviore, duo.
Basia, complexus, lusus, captiva tenentur.
Quo fugiat nusquam fessus amator habet.
Tu leve prostibulum, tu dulce lupanar amantum es.
Occultant Paphias membra pusilla faces.
Parvule tu pulex, ædes templumque Deorum es.
Quo socia colitur matre tenellus Amor.
Tu fieri amborum poteris ferale sepulchrum.
Possumus hic ambo, te moriente, mori.
Tu niger es, nigrique refers palatia Ditis.
Totaque fulgenti corpore gemma micas.
Cum bibis, alteriusque trahis de sanguine sanguen,
Vah, Anthropophagi, te sitiente, sumus.
Cum bibis, ulteriusque meo de sanguine sugis,
Vah facinus, fio potus & esca mei.

Cum laſcive ſalis, ego tunc & amica ſalimus.
Miramurque duos nos ſaliiſſe pedes.
Cum ſcelerate lates mammis, genibuſque ſinuque,
Credimur his etiam nos latitare locis.
Parvule tu, parvis pedibus ſubnixe viator,
Bajulus es gemini corporis, ipſe levis.
Parvule, cum caperis capimur, terimurque miſelli.
Quæque tua eſt, eadem ſors quoque noſtra manet.
Quam vereor, vitrone mox claudamur in uno,
Corpora quo cerni turgidiora ſolent.
Tunc ego, tunc fiam ſpectanti fabula mundo,
Tunc poterit cerni mixta puella mihi.
Qualis cum Venerem vinclis ſtrinxiſſet ahenis
Mulciber, illa Deûm fabula facta fuit.
Quiſques es, hoc precor avertas à pulice cædem,
Hoc pignus digitis dilacerare cave.
Qui faxis, geminos audax homicida trucidas.
Exime nos primum, mox homicida neca.
Si nolis, me latro neca. pars illa ſuperſit
Pulicis, in qua vel ſola puella latet.
Sic aliquid noſtri forſan reſtabit in illa,
Et vitæ potero reddier ipſe meæ.
Omen habet caſus. thalamo ſociabimur uno,
Claudere quos uno pulice fata volunt.
Parte aliqua juncti, totis jungemur amantes
Corporibus. totos pars ſua quæque trahet.
Pronubus hic pulex noſtro præludit amori.
Hic juncti ſalva virginitate ſumus.
Laxius expandam, cum lectus amabit, amorem.
Qui nunc anguſta pulicis æde latet.
Latius expandam mea brachia, brachia quæ jam
Se vix exili ſede movere queunt.
Tunc erimus veri, non ficti in pulice, amantes.
Baſiaque expanſus maſcula quæret amor.

In-

In Hollandiæ Australis,

à Doctissimo viro

IACOBO vander EYCK,

I. V. Doctore descriptæ, partem aquis mersam.

QVi legis hac lector; Batava dispendia terra,
Et proavûm mærens grandia damna legis:
Tot mersas pelago terras, populosque domosque,
Et malè terrarum jugera tuta Deis.
Viderat has clades, & prisci incommoda secli
Eyckius, & patria naufraga busta sua.
Nominaque ut sensit tenebris & fluctibus abdi,
Et rerum memores vix superesse notas,
Surgite, ait, veteres, Faunorum pradia, villa,
Alteraque exstinctis vita resurgat agris.
Quos mersistis aqua, chartis signantur in istis,
Prateritosque legunt secula nostra dies:
Si quid in has juris Thetys habet improba terras,
Imperium tanta diluet hora Dea;
Temporaque amissas reddent venientia sedes,
Quaque natant, lucrum posteritatis erunt.
At liber hic tarde gradientes occupat annos,
Et decus antiqui contrahit omne soli.
Non ultra Neptune noces. quodcunque relictum est,
Aut periit, vidtu non pereunte damus.
Scribimus hic Merva dominos, Mervaque fluenta,
Totque paludati jura superba Ducis;
Quosque capit fines, Roveri sub fascibus, Auster,
Multaque Battavia regna sepulta mea.
Sic pelagi rabiem, sic Divûm eludimus iras,
Et prosunt charta, dum nocuistis aqua.

EPIGRAMMATA.

Nobilissimo Viro
D. CORNELIO vander MYLE,
EQUITI, &c.
Cum libelli mei fata & casus enarraret.

DUm mea ad Euganeas transmittis carmina sedes,
Sola patrocinio carmina tuta tuo :
Invida vix natum damnat fortuna libellum,
Et foliis virus credit inesse meis.
Et jam pestiferâ Venetûm malè clauditur aulâ,
Sordidaque Aonias umbra recondit opes.
Quid primum, Vir magne, querar? gens Martia bello
Non unâ nobis sit ratione nocens.
Dumque timet Superûm pœnas, incusat eosdem,
Et stolida Musas suspicione gravat.
Quàm mea non facili se judice causa tuetur,
Quàm sunt ingenio fata severa meo!
Impurus Batavo credor, Venetoque: priorque
Indignè dominum vexat, at ille librum.

Nobilissimo Viro
D. CORNELIO vander MYLE,
Equiti, &c.

MAgne vir, & Batavi celebris tutela Lycei,
Quo duce Palladiæ floruit artis honos :
Qui genus & proavos claris virtutibus anteis,
Et laudem doctæ nobilitatis habes :
Accipe sed facili Parnassia munera vultu,
Innocuumque tui protege vatis opus.
Si Venetûm spectasse patres regumque tiaras
Laus fuit, & magnos visere Borbonios ;

Iamque serenatâ Princeps tibi fronte Batavus
Annuit, & tantos pergis amare Deos:
Hoc precor: ut, voces inter Regumque Ducumque,
Cum Musis etiam sit tibi cura loqui.

In nummos argenteos, Cæsarum imagines exhibentes, nuper Voorburgi in ruderibus repertos.

D*Vm rudis effossæ scrutatur viscera Vestæ*
Rusticus, & ditem versat anhelus humum,
Eruit antiquo celebrata numismata seclo,
Nesciaque occultas dextera prodit opes.
Adspicit ignotum priscis mortalibus orbem
Infami squallens Martia Roma situ.
Invida Cæsareos fœdarunt tempora vultus,
Et Latios caries rasit iniqua duces.
Sordent Phœbææ, victricia signa, coronæ,
Et fugiunt spatiis nomina trusa suis.
Non Princeps vultus ostendit Nerva serenos,
Nec nativa senex ora Severus habet.
Cernitur exesâ Batavis gens Flavia lauro,
Et patrio dispar Commodus ingenio:
Helvius imperii dudum aspernatus honores,
Polluit invisis tempora cana notis.
Explicat ipse suos etiam Trajanus honores,
Atque alium post se non sinit esse parem.
Quos venerata fuit dominos urbs celsa Quirini,
Cernimus, & nostro sceptra inimica solo.
Repperit hos Batavus, quondam quos horruit, orbis,
Victoresque stupet Belgica terra suos.
Hos metuens aliquis speluncis abdidit atris,
Et secum voluit nomina tanta mori.
Non patitur Fortuna nefas. quo claruit orbe
Italus, hoc iterum cernier orbe cupit.
Debebit nummo precium, cui Cæsar amatur.
Quantula Romulidûm præmia ductor habet.

I. NEOPORTIO
in Galliam abeunti.

Cui gravitas perspecta domi est, moresque severi,
Verbaque Belgarum digna supercilio;
Celtarum jam adsuesce sonis, facilique loquelæ,
Aptaque amatorum gestibus ora refer.
Quàm distat Gallo Batavus! levis ille, celerque est:
Hic sua sed pigrâ pondera librat humo:
Et numerat lentè voces, quas Sequana fundit,
Quæque rapit Ligeris nomina, Mosa trahit.
Ille suis secunda petit carchesia me sis:
Huic super angusto garrula lingua mero est.
Ille miser vacuam multùm suspirat ad arcam:
Hic salit, & quamvis sit levis ære, canit.
Ille sacer Bromio, sacer alter Amoribus ardet.
Et geminos perdunt vina Venusque viros.
Hunc furor, illum armat ratio. morosior ille est,
Blandior hic mores perficit arte suos.
Nec leve discrimen faciunt braccæque comæque,
Et caligæ, & doctâ barba resecta manu.
Cunctorum Batavi mimi sumus: extera multum
Gens placet, & sordent, quæ placuere domi.
Jamque redux patrios ignorat Belgica mores,
Paucaque dedidicit quæ mala, plura refert.

Ad
EVERARDVM VOSCVYL,
ex Theologo medicum.

Læta salutiferi docui præconia Christi,
Primaque res Superûm pendere cura fuit.
Crimina dissecui, populo peccante, Machaon;
Et medicam sensit plebs malesana manum.

Tunc

Tunc animæ curator eram; divinaque nostro
Affulsit miseris civibus ore salus.
Languida nunc poscunt nostræ solatia dextræ
Corpora, & humanam plurimus æger opem.
Sic sanare mihi semper, propriumque mederi est,
Et, dum sors medicum non sinit esse, creor.
Altera scripta placent, atque altera pharmaca. cœli
Arbiter ex tardis fecibus optat opes.
Quid rides Fortuna? juvat concedere fatis;
Solamenque mali non leve, posse pati.

Ad Doctissimum Iuvenem HENRICVM THIBAVTIVM, I. V. Doctorem.

CVr rapidos, Natura, stupes Hyperionis ignes?
Totque per æthereas sidera rapta domos?
Cur rapidum Tanain, rapidum miramur Araxem,
Quasque ciet celeres grandius æquor aquas?
Isthmia cur jactant veloces compita currus?
Quoque ruant Hiero, Strepsiadesque gradu.
Cur celeres medio miramur frigore Finnos?
Missaque Parthorum tela retorta manu?
Hæc sua mirari miracula desinat orbis:
Quo spatio velox mens quoque currat, habet.
Adspice, per vastas rapitur Thibautius *artes,*
Et celer ingenio fervidiore ruit.
Quem vix carceribus dimissum vidimus ipsis,
Palladio adspersum pulvere meta capit.
Tempora sedulitas, ipsos prævertit & annos,
Satque habuit studiis annumerasse dies.
Non hunc currentem fallax remorata Calypso est,
Sirenumque leves detinuere chori.
Nec sua Titanis porrexit pocula Circe,
Aut Paphos in curas traxit amica suas.

Fraudibus Hippomenes rapidam Schœneida tardat,
Ille suum rectis passibus urget iter.
Quoque prior virtus, properat jam gloria cursu,
Cæsareoque Themis cingit honore caput.
Accipe præclari specimen, Toxander, Ephebi,
Quemque tibi format terra Batava virum.
Quæ distincta fluit, juveni confunditur ætas,
Quique puer sapuit, prævenit arte senem.

In Nisam, pro Nisa, elatam.

D*Um fera Palladiam latè grassata per urbem*
Ipsa suis crescit mors furibunda malis,
Accipe posteritas lepidos in funere casus;
Materiam risus sufficit ipse dolor.
Mortua funesto recubabat Nisa feretro,
Et pullis aderat pompa vocata togis.
Iam Nisa loculos fervens excusserat hæres;
Servataque alibi sollicitarat opes.
Quæ facerent lætas Cerealia pocula mensas,
Clauserat in serum provida cura diem.
Iam Nisam tumulus, Nisam vespillo petebat,
Poscebat pretium præfica mœsta suum.
Cum pater extremùm visurus funera Nisæ,
Attonitus Nisam pernegat esse suam.
Altera defertur, simili sed nomine, Nisa,
Alteraque exequias turba secuta facit.
Ipsa thoro recubans, fallacis funeris offas,
Et mortis gustat posthuma dona suæ.
Ipsa bibit vivens, quas hæres emerat, undas;
Quemque suo tumulum scripserat ære, fugit.
Error habet gemitus, errant in funere sumptus,
Falluntur tumulus, præfica, pompa, toga.
Creditus abscedit: fit, qui non creditus, hæres:
Hic gaudet factus lautior, ille dolet.

Sic tristem socco commutat Nisa cothurnum,
Et tragicum læto fine coronat opus.
Invida si vivos mors fallere novit amicos,
Miraris vivis, Lector, abesse fidem?

IN PHYSICAM GILBERTI IACCHÆI

ad imitationem istius Claudiani:

Iuppiter in parvo cum cerneret æthera vitro, &c.

IVppiter ut parvo descriptum in cortice mundum
Vidit, & immensas, quas habet orbis opes,
Ardua miratus docti molimina sensus,
Dixit ad indigetes talia verba Deos:
Huccine mortalis progressa scientia cura?
Iam meus, heu, vili venditur ære labor.
Naturam, causæ genios, motumque locumque,
Et semper fluxos temporis articulos;
Mistaque, & aërio nascentia spectra theatro,
In tabulas sapiens transtulit arte suas.
Æmula decertant foliis elementa sub iisdem,
Alternantque suas morsque salusque vices.
Sanctius hic animal mentisque capacius altæ
Præsidet, & rerum sceptra capessit Homo.
Infima cum superis coëunt æterna caducis,
Vastaque naturæ corpora lector obit.
Iamque novi spectans Ratio compendia mundi
Gaudet, & exiguo tempore cuncta capit.
Quid miror solos humeris qui fulsiit axes?
Qui cœlum & terram fulsiit unus, adest.

IN
METAPHYSICAM
Clarissimi Viri
GILBERTI IACCHÆI.

QVi modò Natura spatium dimissus in amplum,
Hanc dederas spatio sed breviore capi,
Nunc super ingentis flammantia mœnia mundi,
Vastaque Natura corpora raptus abis.
Ignea vis animi major se attollit in annos,
Nec desiderii stat satur ipsa sui.
Fastiditur humus, nec tantis sufficit ausis,
Et novus in Superûm quaritur arce labor.
Angelicos regina choros Sapientia pandit,
Et cœli tacitas diva recludit opes.
Pulchra Boni facies, & sponte adamabile Verum,
Cunctaque qua crassa nomina mole carent,
Hic referunt obscura suos te vindice sensus;
Vixque aliud, quod jam mens meditetur, habet.
Vnus adhuc toto restabat in orbe Creator,
Et tua quod caperet pagina, Numen erat.
Scribitur ecce Deus, sed non nisi nomen & umbra;
Discitur, at quid sit, nescia terra stupet.
Qualis ad illustrem cœcutit noctua Phœbum,
Quemque videt clarum non capit agra diem.
Omnia vestigas mortali pervia cura,
Atque, aliqua saltem qua datur ire, ruis;
In tua dum Iacchae redis primordia, quique
Principium est, Sophia sit quoque meta tua.

Ad

Ad CONSTANTINVM HVGENIVM, cum Itinerarii sui Italici copiam mihi fecisset.

QVas tu cunque vias pedibus, sum mente secutus,
Et potui peregrè lector, & esse domi.
Vidimus externas nullo discrimine gentes;
Nec mihi vel currus, vel fuit unda gravis.
Non coram infido tremui latrone viator,
Aut nocuit capiti roscida Luna meo.
Visa fuit mediis suspensa periscelis astris,
Illa Palatini fascia clara ducis.
Nec tamen aut gressus mansere pericula nostros,
Aut fessum timidi detinuere gradus.
Tecum Teutonicas etiam conscendimus Alpes,
Alpinæ nobis nec nocuere nives.
Et tetigi Allobrogas, nec noxia nomina Rhætos,
Nec fuit infestus Adria sævus aquis.
Ora mihi videor Venetûm spectasse Senatus,
Nec tamen absentes erubuere genæ.
Hæc ego dum lustro Batavis tranquillus in oris,
Et tua securum pagina monstrat iter,
Exilii spatia ampla mei, Vir magne, tuique,
Et procul à patria dissita regna lego.
Vivimus extorres pariter, Superûmque remoti
Sedibus, in terris gens peregrina sumus.
Restat iter magnum. Cælum properamus ad unum.
Hæc patria, hæc totum possidet aula Deum.
Illic perpetui current in secula menses,
Nec breve fastorum dextera scribet opus.

Illic sub pedibus, tellus, mare, sidera, reges,
Oppida, terra, duces, aula, Senator erunt.
Quique mihi narras levium spectacula rerum,
Adspicies vitæ non pereuntis opes.
Ipse ego, dum sedes istas & limina verso,
Alterius moneor jam meminisse viæ.

In effigiem Caroli Quinti Cæsaris à CONSTANTINO HVGENIO metallo donatam.

QValis laurigeras, victricia tempora, frontes
Exhibuit populis urbs Tiberina suis,
Seu fusum fuit illud opus, seu malleus artis
Autor adoratos pressit in ære Duces:
Talis apud Batavos veteres Hugenius artes
Reddit, & hoc seclo deteriore sapit.
Ingenium nuper torni rapuere, rotæque,
Et phialam doctæ disposuere manus.
Ipsa suas stupuit formas mutabilis arbor,
Lignaque tum poterant plus placuisse sibi.
Iam cœptis animosa suis mens ista metallo
Incubat, atque novis artibus æra domat.
Dextera Praxitelis, Polycleti industria, solers
Mentor in hoc uno nunc coïere viro.
Adspice cælato nostratem Cæsara plumbo,
Adspice, materiam nobile vincit opus.
Quos timuit vultus Germania, Gallus, & Afer,
Quos timuit vultus Roma superba, vides.
Constantine, tibi Carolum debemus. at illum
Fingere tu solus cum ratione potes.
Scilicet ingentem qui Cæsara nomine reddis,
Hoc titulo proprios reddis in ære Deos.

Ad Ornatiſs. & Matheſeos peritiſſimum Iuvenem,

D. IOHANNEM HEVRNIVM, I. V. D.

HEurnius æthereos ſtudio dum permeat orbes,
Totque Deos geſtit noſcere, totque Deas;
Iamque hic Erigonen, hic clarum Cephea ſpectat,
Quaſque micans numerat Caſſiopeja faces,
Et medio pulchram Andromedam miratur Olympo,
Proximaque Arctois Gnoſia ſerta locis,
Pleïadum jubar, & radiantes nocte capillos,
Sideraque in celebres officioſa nurus:
Totus in Aſtræa defigens virgine vultus,
Subſtitit ad Dominæ præmia tanta ſuæ.
Teque ſequar Grajæ gentis decus, inquit: & illos,
Quos colis, affectat mens ſtudioſa lares.
Ibimus, &, Decios illac, Pauloſque ſecutus,
Hos etiam greſſus per tua regna feram.
Quà pater Alciatus, juſti dictator, & æqui:
Marſilioque ſuum gloria ſtravit iter.
Quaque paludati referens decreta Senatus,
Curtius applauſu poſteritatis ovat.
Dixerat, & ſpacium Iuris dimiſſus in amplum,
Cæſareas leges, magnaque verba capit.
Nec minus æternis gradientes legibus ignes,
Cælicolûmque domos luſtrat, & ora Deûm.
Dumque per immenſos Themidos diffunditur hortos,
Alter in Vraniæ poſcitur arte labor.
Sic geminæ placuere Deæ. nunc colligit unus
Præmia doctrinæ non peritura ſuæ.
Quique laboranti patriæ ſuffragia reddet,
Tandem etiam, cælo judice, ſidus erit.

In Appendicem ORTELII & ATLANTIS editam à GVILIELMO BLAEVIO.

Astra Deosque suis quondam cervicibus Atlas
Fulsit, & tantum vertice gessit onus.
Herculeæ juvere manus, jamque iste duobus
Nixa fuit cæli machina semideis.
Ex illo tremuere humeri, cervixque duorum,
Roboraque heroas destituere suos.
Tertius accurrit portando Blaeuius orbi,
Et gemina librat maxima regna manu.
Quod Mauri potuere leves, quod sedula Grajûm
Pectora, non Batavus, non sibi Belga negat.
At Batavo jam crevit onus. pars altera mundi,
Addita terrarum portio magna fuit.
Addidit Occasus Pariam, Chilenque, Peruque,
Trusaque in immensos æquora tota sinus,
Guianæque domos, dorsisque immanibus Andes,
Victaque jam nostrâ littora vasta manu.
Sustinuit mundum rector Maurusius unum,
Hic mundos audet sustinuisse duos.

Egregio ac Docto Iuveni D. NICOLAO BOGARDO, Cum I. V. Doctor, circa Caniculæ exortum, crearetur.

Magne minorque Canis, quorum jam lucida surgunt
Sidera, & arentes flamma perurit agros;
Torrida dum vestris precium fervoribus æstas
Accipit, & vultus induit illa novos:
Cernite Battavicâ juvenem de gente renasci,
Splendidaque in patrios nomina ferre lares.

Hunc

Hunc etiam ſuus ardor habet, doctamque per urbem
Nobilior laudum ventilat aura facem.
Vritur Aſtraæ ſoboles, nec diſsidet aſtris,
Diſsimileſque ſibi non ſinit eſſe Deos.
Reſpondet natura ſcholæ, mens fervida cœlo,
Alter & alterius flagrat in igne calor.
At poſtquam ingenio magni ceſſere labores,
Actaque per Themidos templa juventa fuit:
Præmia reſtabant, & claris debita factis
Pilea, & auguſtæ ſyrmata longa togæ.
Quæ tibi dum lætis confert, Bogarde, *triumphis*
Patria, & hos plauſus, non ſine vate, probat:
Suſpice, quos ardens Procyon tibi temperat, ignes,
Et, quos jam cecini, plus venerare Canes.
Nos decus in terris aliquod muſſamus; at illi
Latratu titulos per ſua regna ferent.

Ampliſſimo doctiſſimoque Viro
D. IACOBO vander STRATEN,
fervente mercatu Valckenburgico.

STat ſonipes, laxiſque ferox ſpectatur in agris,
Multaque virtutis dat documenta ſuæ.
Curritur, & quamvis nullo fera buccina cantu
Præcinat, audacis terga premuntur equi.
Ille jubas, aliuſque annos examinat emtor,
Collaque & argutum cum brevitate caput.
Eſt cui lenta placent alto veſtigia greſſu,
Quæque tegit totos pendula cauda pedes.
Diverſa ratione placent. merx ipſa caballus
Hinnit, & hinnitu ſe probat ipſa ſuo.
Fervent in ſtabulis operæ, per compita fervent,
Fitque forum pridem vomere ſciſſus ager.
Imus & immixti denſis, Stratene, catervis,
Grande tuæ paſsim cernimus artis opus,

Quadrupedum rabiem, nec duris sueta lupatis
Ora, nec in gyros currere docta suos.
Cernimus, at rerum ignari, tantique laboris,
Ignari quâ sint frena regenda manu.
Tu propera, gnarusque forum spectator oberra;
Et medios inter sis mihi doctor equos.
Tu mores geniumque doce, quid turpe, quid aptum,
Quam bene venalis vel male currat equus.
Quem deceant maculæ, cervix erecta, minaxque,
Quem pes, quem feritas, quem sua crura probent.
Quæ benè si discam, potero mox Castor haberi,
Si malè, Bellerophon pulverulentus ero.

In Psalmos Epico Carmine redditos à Doctissimo Viro IEREMIA HOLTZLINGIO, exule.

IEssæi numeros, & sacri carmina vatis,
Et quondam profugi flebile Regis opus:
Otia sceptrorum, facilesque in vota tiaras,
Aptavit fidibus Scotia docta suis,
Et cecinit seris victura poëmata seclis,
Qualia majestas postulet ipsa Dei.
Submisere suos Alpina cacumina cantus,
Et voluit præstans se quoque Beza legi.
Barbita quin etiam Lesboa tetenderat Auson,
Flaminio dulces tunc iterante modos.
Vltima ne tantis desit Germania curis,
Fatidicum, Holtzlingo vate, resumit opus.
Et sancto cum Rege dolet, queriturque, gemitque,
Et sortis repetit tristia fata suæ,
Regnorumque vices, raptumque è crinibus aurum,
Verbaque sollicitum quæ pia fudit ebur.
Exulis autoris liber est. ne spernite Belgæ,
Materies domino convenit illa suo.

Iam

Iam quoque proscriptis cedunt diademata sceptris,
Et vates, profugo Principe, mœsta canit.

IN NVPTIAS
Nobilissimi viri,
D. ADRIANI MYLII,
Domini in Bleskens-grave, &c.
Et Nobilissimæ
AGATHÆ RAEPHORSTIÆ.

BElligeræ cessate acies, cessate cohortes
Barbarica crudas tingere cæde manus.
Poscit Amor belli veniam. non moribus istis,
Non opus ingenio, Mars furibunde, tuo.
En, Dux vester amat, placidúque satelles amoris
Sub Paphiâ nullo militat ære Deâ.
Ducitur, armatas solitus ductare phalangas,
Et Veneris supplex poscit amator opem.
Imperiosa duci dux est. dominumque Dione
In sua, neglecto Principe, castra vocat,
Hic ubi basiolis cedunt imbellibus enses,
Terribilesque domant murmura blanda tubas.
Pugnat ubi pellax oculus, sunt fulmina risus,
Tela joci, lusus prælia, signa fides;
Campus ubi laudum thorus est, victoria victi,
Et nutus speciem belligerantis habent.
Hac meus insolita Mylius *desudat arenâ,*
Hic alias partes conjugis acer agit.
Non hic ad sævæ Mavortia mœnia Sylvæ,
Aut portas pugnat, Mosa superbe, tuas.
Non latus Auriaci *jam claudit, & illa fatigat*
Oppida, quæ magno succubuere Duci,
Non illi bellator equus, non spicula cordi,
Quaque tegat clausum cassis ahena caput.

Hasta

Hasta jacet, marcetque ferox rubigine ferrum,
Nec gladios acuit, qui solet antè, furor.
Diluit hos ipsos Raephorstia *sola furores,*
Et Martem facili mitigat arte suum.
Vna cataphractos virguncula lætior artus
Exuit, & dicit, sic placuisse ducem.
Qualis cum domita rediit Tyrinthius Hydrâ,
Ivit in amplexus, Deïanira, tuos.
Tunc arcus periere, truces periere sagittæ,
Pigraque sub primo limine clava stetit.
Talis, devictâ post fata miserrima Trojâ,
Demophoon pulchram Phyllida victor amat.
Quam dispar, generose Myli, *sors versat amantem,*
Quam distant studiis miles amorque suis.
Nassovio *parere labor; labor alter, amori.*
Hic jubet; & fieri quod volet, ille jubet.
Ille focos patriamque tibi commendat & urbes,
Hic causam timidæ virginitatis agit.
Ille suos ciet ære viros, ciet ille procando,
Ille minax cuneis imperat, ille salax.
Ille suos armatus obit, obit alter inermis.
Nec timet has ipsas, quas timet ille, faces.
Cum vigiles gaudet Fredericus *ducere noctes,*
Horret ad audaces Cynthia mœsta manus.
Cum tibi præscribit vigiles Cytheræia noctes,
Ridet ad audaces Cynthia læta manus.
Mane ubi purpureo Palantias exit amictu,
Belliger obsessas verberat ille domos.
At tibi formosos cum Phosphorus advehit ignes,
Otia tranquillus pronuba lectus habet.
Sæpius Odrysiæ rubuerunt sanguine dextræ,
At Veneris nunquam sanguinolenta fuit.
Nil huic cum gladiis vel iniqui cuspide ferri,
Tela quatit facili non violenta manu.
Quos tibi componit genialis cura capillos,
Threïcii turbat sævior aura Dei.

Quæ

Quæ geris in thalamis jam serica pulcher amator,
Sunt nimium castris hæc speciosa tuis.
Hic tibi fulgentem succingit baltheus ensem,
Horridaque excelso vertice crista riget,
Hic tibi magnanimum circundant vilia corpus
Tergora & impavida pectora pelle tegu.
Secula venturis Bellona nepotibus aufert,
Vnus amor curam posteritatis habet.
Hoc precio bellator amas. non busta petuntur,
Sed recubans lecto digna puella tuo,
Sed faciles in amore oculi, risusque salesque,
Atque aliquid, tacitus quod veneratur amor.
His studiis Myliæ *repara dispendia gentis,*
Et veteres soboles noscere discat avos,
Mirarique senem, quo Præside Curia quondam
Publica pro rostris verba locuta fuit;
Mirarique senem, quo nuper vindice felix
Floruit in mediis terra Batava malis;
Mirarique patrem, qui nunc Patriæque suisque,
Qui mihi, qui Musis, Nassovioque *vacat.*
Illa renascentes pelago sibi surgere terras,
Et prisca videat nobilitatis opes,
Submersosque Deos, eversaque templa procellis,
Et super infuso rura sepulta mari.
Illa per ingenuas animum circumferat artes,
Et discat, voluit quæ didicisse pater.
Cum tibi fœcundi voces mea cura Lycæi
Panderet, & Graja dogmata multa Scholæ,
Nunc mores hominum, nunc actos nubibus ignes,
Quæque capit laxo machina vasta sinu,
Et dubiæ rationis opus; quæ regula verum,
Quæ notet argutos ingeniosa dolos.
Hæc tua progenies cum noverit omnia, dicam:
Ille studet pulchrè filius, ille sapit.
Hic reget egregiis patrum virtutibus orbem,
Et populis reddet jura severa suis,

Aut

Aut formidato frameas opponet Ibero,
Et tumidi spernet jussa superba Tagi.
Sic tua venturi relegent exempla nepotes,
Quæque domus series, hæc probitatis erit.
Descendent Mylio Mylii, *quos ipse probabit*
Livor, & in Batavûm commoda nata fides.
Interea totis Agatham *complectere votis,*
Et dic: illa mei summa laboris erit.
Illa Neæra mea est. aliam non poscat Achilles,
Hanc sibi Priamides postulet Andromachen.
Hæc prudens Tanaquil, hæc est formosa Lacæna,
Hæc erit amoto conjuge Penelope.
Hæc mihi per galeam libabit basia, tunc cum
Fessus ab hostili strage redibo domum.
Hæc thoraca gravem digitis dissolvet & arma,
Et gladios condet, barbara tela, meos.
Et dicet: mihi quem salvum jam redditis hostes,
Salvus in imbelles involet ille sinus.
Quique alibi pugnavit, amet securus amantem,
Et spolia in labris quærat amica meis.
Sic discerne Myli *lituos, & amator amores.*
Non est hostis idem vulnus, amoris idem.
Non acies, non palma eadem. diversa putantur
Præmia militiæ, præmia conjugii.
Hoc unum simile est. amat intervalla Cupido,
Nec benè Mars semper, nec benè pugnat amor.
Et Bellona suos amat & Cytherea receptus,
Ista novos animos sumit, & illa novos.
Quid jocor? expectant Sponsam pilenta rotæque,
Totus & à vestro currus amore calet.
Rura calent, ipsa circum torrentur arenæ,
Et ruit in Veneres cerva lepusque suas.
Qua graderis veheris que, chorus sub ultat amantum,
Ille rapit Dryopen ocyus, ille Chloën,
Mopsus Cymothoën, Galateam diligit Ægon.
Flamma verecundæ conjugis urit agros.

Afflat equos domini furor, &, fervente magistro,
Acrius ad visam Cyllarus ardet equam.

In obitum Clarissimi Viri

PETRI CHRISTIANI BOR,

Historiarum belli Belgici scriptoris.

S*Cripserat in cunctas dispersa volumina terras*
Borrius. *exanguis scripserat ista senex.*
Bella, Duces, calamoque trucem titubante Philip-
Scripserat, & tanti semina prima mali: *(pum*
Vexatamque fidem flammis, despecta Potentum
Fœdera, quasque tumens respuit Aula preces;
Et conculcatas Albano Preside leges,
Et quæ vana sibi regna parabat Iber;
Scripserat Auriacos & abacti Principis arma,
Et Patriæ sensim colla levantis onus;
Oppida victa manu, manantes sanguine campos,
Et quas justa sibi subdidit ira faces:
Restabant placidæ mitissima tempora pacis,
Quaque breves Martem detinuere moræ.
Dum scribit, dum bella procul proscribit & enses,
Dum pacata fluit pagina multa viro:
Dum properat, speratque malis fixisse quietem:
Et Patriæ lætos commemorasse dies:
Labitur è manibus calamus. jam jamque fatiscens
Tranquillæ nequiit scribere pacis opus.
Nempe vetant Superi. nec, quæ concessa senectæ
Pax fuit, hanc chartis impetrat ille suis.
Sic decuit, fluxæ meditantem tempora pacis,
Æterna fessum velle quiete frui.

IN NVPTIAS
Amplissimi viri,
D. IACOBI BICKERI,
Præstantissimæque Virginis
CHRISTINÆ de GRAEF.

PRocedit cum Marte Venus. servamur utroque.
Hæc thalamos Batavis asserit, ille solum.
Dum Princeps Dux castra movet, Bickere, *pro-*
Ordirisque novum latus amator opus. *(caris,*
Hactenus Eois duxisti tempora curis,
Et fuit officiis India tuta tuis.
Defensique lares Phœbi messesque Sabææ,
Quaque Moluccarum fundit opimus ager.
Publica curasti. jam, quæ non publica, curas.
Et privata tibi Sponsa Venusque placet.
Extera curasti & peregrinis nota sub oris.
Nunc Sponso conjux quæritur apta domi.
Qui victam vidit Sol, te moderante, Malaccam,
Iam videt Arctoo te recubare thoro.
Blandaque Christinæ *defigere basia labris,*
Basia vel summis invidiosa Diis.
Quæ ratis Amstelias pelagi per cærula merces
Vexit, amatorum jam tibi monstrat iter,
Et terras alias aperit, Cyprumque Paphumque,
Quaque pharetratus possidet arva puer.
Non hic thura Arabum, gemmasq; aut cinnama spera,
Sed teneræ gratas posteritatis opes.
Seu puer Ascanius primis tibi ludet in annis,
Oscula seu matri parva Creusa dabit.
His opibus mox dives eris. sunt illa cubilis
Præmia, & hoc voto credimur esse viri.
Patritios veneror thalamos. hinc Filia magni
Consulis, hinc frater Consulis alter amat.

Eximiique thoro fasces sociantur in uno,
Laudataque diu nunc cöiere domus.
Non solùm vestra est hæc copula. jungimur unà,
Spemque suæ cives utilitatis habent.
Nubere, privatum est. sed cùm nupsere regentum
Pignora, præsidium publica causa capit.

IN NVPTIAS
Amplissimi viri,
D. IOHANNIS HEEMSKERKII,
I. V. Doctoris, Poëtæ eximii & Scabini,
& lectissimæ Virginis,
ALETHÆ BEVNINGIÆ.

I*Am Venus*, Heemskerki, *celebrem respexit amantem.*
Deque suo tandem vate triumphat Amor.
Vinceris Arcadiæ scriptor, thalamique professor
Discis & in dominæ proficis ore tua.
Quæ monstrasti aliis, nunc sunt tibi norma procandi.
Doctor amatorum regula facta sui est.
Quos risus sibi finxit, amat. quæ basia chartis
Pinxit, ab insigni virgine vera capit.
Quam mutat Citherea viros. laudata poëtis
Libertas toties, displicuisse potest.
Me sequeris, vir docte. faces accendimus ambo.
Et gessi, quæ jam tu geris arma, prior.
Expetit optatis stringi Doctrina catenis.
Et miser est sapiens, quem puer odit Amor.
Si Tibi Nasonis placuit, si blanda Catulli
Pagina, si potuit Lesbia grata loqui;
Si Fido Pastore tua fax subdita flamma est;
Si Petrarcha suis jussit amare modis;

Iulia-

Iulia si Batavi docuit te verba Secundi ;
Si docuit modulos Rossa Britanna suos ;
Omnibus his plus est Beuningia, *Cypride virgo,*
Vnica tot vatum syrmate plus Aletha *est.*
Cujus in amplexu Venus omnis & omnis inerrat.
Gratia, nec pulchra dote Minerva gravis.
Tralusere thoro tituli, tedaque tribunal,
Et Themis in laudes officiosa tuas.
Iudicis hæc partes, partes dedit illa procantis,
Et permixta togæ nomina Sponsus habes.
Sic das jura reis, sic das responsa maritæ,
Nec simili cunctis conditione places.
Vivere vult aliis, quisquis bonus audit. amando
Prosumus. & patriæ commoda nupta juvat.
Quàm cuperem , Sponsam quàm tu benè semper ama-
Tam te peccantes semper amare reos. *(bis,*

Ad Præstantissimum Doctissimumque Iuvenem,
D. IOH. ab HELLEMONT,
Cum I.V.D. publicè renunciaretur.

SIc Schola Arausiaco præludit nostra Lyceo,
Formandisque vacant Rhenus & Ya viris.
Primitias tibi, Leida, *damus. Tu præmia messis*
Sufficis, & toto das Helicone frui.
Amstelia pressis subsidunt sedibus artes ;
At tua sublimis culmina Pallas habet.
Hic prætexta sapit. Tibi plenos imbuit annos,
Et sua persuadet jura forumque Themis.
It gradibus Doctrina suis. succeditur illi.
Ingenioque puer, fit ratione senex.
Talis in antiquas missus Romanus Athenas,
Creditur in Graiis plus sapuisse Scholis.
Quem Iuvenem Sophiæ monitis præstruximus; illum,
Leida, *facis titulo splendidiore coli,*

Cæsa-

Cæsareum munis, præstans Helmonde, *tribunal.*
Ausoniosque aptas ad tua rostra Duces.
Sic tibi, sic magnæ Batavûm bis nasceris Urbi;
Dum prodesse bonis vis, nocuisse malis.
Ipsa tui testis jam nunc Astræa laboris,
Imponit capiti pilea digna tuo,
Et cupit hac cunctis augusta in luce videri,
Quæ poterunt patriis perplacuisse focis.
Est sua Majestas studiis, lux, pompa, triumphus.
Doctoresque vehunt Fama rotaque suos.
Consul ades, doctique vides, Bickere, *nepotis*
Præmia, & hoc natum grande sorore decus.
Cum Tibi nutabit fessis cervicibus æther,
Fas erit, hunc humeros substituisse novos.
Et veluti mediis volucris Phœbæa favillis
Surgit, & ex ipso pulvere vita redit;
Post cineres Fax illa tuos clarescet, & ipsis
Verticibus laudum, celsior ibit avis.
Exemplis serpit probitas, cognataque virtus
Hæredes etiam gestit habere suos.

Ad Amplissimum, præstantissimum doctissimumque Virum

D. CORNELIVM GRAEF,

cum secundis nuptiis uxorem duceret castissimam lectissimamque Virginem

CATHARINAM HOOFT.

O*Ptime, quique tuis,* Gravi, *mea tempora lenis*
Vocibus, & jam nunc candidiora facis;
Quam levis est fluxa de virginitate triumphus.
Quam leve non tactas bis tetigisse genas.
Quam res parva suæ vectigal solvere Sponsæ,
Fœmineaque virum simplicitate frui.

Hoc

Hoc Corydon cum Rege poteſt. hanc calluit artem,
Qui rudis indoctas pavit Alexis oves.
Multorum eſt, preſſiſſe thorum. ſunt obvia cunctis
Oſcula. nec multum ponderis Hymen habet.
Ludit in audaci facilis natura cubili,
Quodque facit, nulla cum ratione facit.
At thalami leges, & caſta noſſe marita
Munia, quidque viro debeat illa ſuo:
Et momenta domus & perſpexiſſe labores,
Hic Rhodus, hic ſaltus creditur eſſe tuus.
Cuncta vides, Vir docte. vides permixta ſerenis
Triſtia, nec Zephyris jugiter ire ratem:
Non ſemper ridere Deos, aut dura minari,
Sed nitidos aliqua nube rigere dies.
Scis, ut frena manu geſtet ſtimuloſque Cupido,
Nunc Veneris laxet, nunc remoretur opus.
Scis, quàm blanda novæ placeat facundia Sponſæ,
Quàm non auſteri verba Catonis amet.
Nec dominam ſervamque petis. partiris habenas,
Sic tamen, ut titulo ſplendidiore regas.
Cum laudanda facit, dices majora videri.
At mala ſecurus diſſimulabit amor.
Scis, quæ cura piæ ſobolis, qua flectier arte
Debeat Aſcanii vis animoſa tui.
Scis, lecto nuptiſque ſuum conſtare decorum,
Præſentemque thori partibus eſſe Deum.
Eſt thalamis ſua relligio, ſunt ſacra preceſque.
Et Paphias adflat ſanctior aura faces.
Adſpice. ſubridet tali Catharina *marito,*
Et tacito ſecum, quæ loquor, ore probat.
Quam benè ſe tenero prudentia junxit amori:
Vt quæ gignet amor pignora, cura regat.

IN NVPTIAS
Doctissimi Viri
D. IOHANNIS COLINII, I. V. D.
Et Lectissimæ Virginis,
IDÆ ANTONIÆ.

C*Hare mihi semper, placidæ nunc charior* Idæ,
Scande maritalem, docte Coline, *thorum.*
Nec tua Cæsareæ remorentur tempora voces,
Verbaque consultis imperiosa suis.
Instituit *te Sponsa virum,* Digestaque *format*
Altera, quæ Veneris comprobet ipse puer.
Illa tibi mandata dabit, legesque cubili
Sat faciles conjunx figet & accipiet.
Pandectæ *sordent veteres. nova jura resurgunt,*
Qualia in Idaliis dat Citheræa jugis.
Codice *jam misso, Paphias ducenda per artes,*
Mitius in Batavis explicat Ida *forum.*
Sunt regnis sua jura, rei, tutela, tribunal.
Omnia quæ thalamis cernis inesse tuis.
Sponsa rea est. Sponsæ tu tutor amabilis. ipsa
Conjugii gratum forma tribunal habet.
Tu judex simul & gemini patronus amoris,
Pro te, pro socia virgine verba facis.
Ambo victores, ambo te præside victi,
Sic vinci cupitis, vincere sic cupitis.
Lis brevis est, totam dirimunt cum basia litem,
Et causam coram conjuge sponsus agit.
Optima causidici sors est, ubi sponsa clientis
Nomine causidicum nuncupat ipsa virum.
Cum precium dictæ non sunt sestertia causæ,
Sed precium lecti tota marita datur.

Cum Cæsar prætorque silent, & Baldus & Azo,
Solaque sit dubii regula juris Amor.
Nil hæc rostra timent, aut si timuisse putantur,
Hoc unum, gaudent quod voluisse, timent.
At vos, qui geminos læti aspectatis amantes,
Hæc mecum thalamis ingeminate novis.
Ida, Themis *sociant dextras, & fœdere jungunt:*
Hæc laudata fori vocibus, illa thori.

IN NVPTIAS

Amplissimi Viri,

PEL. à GROOTENHVYSEN;

Et Lectissimæ Virginis,

ELISABETHÆ DVNIÆ.

Quem pridem patriis juvenem nutrivit in undis
Amstela, *quem nostræ mox docuere Scholæ;*
Quem Themis immensos Iuris deduxit in hortos,
Et valuit Latii Cæsaris ore loqui:
Iam nobis das, Haga, *virum. sic serpere virtus*
Gaudet & ex magno nata parente trahi.
Non satis est vixisse sibi. sic vivimus orbi.
Quisquis obit partes conjugis, ille sapit.
Cælibe nil vitâ pejus. nec terra nec æther,
Nec pia posteritas, quod tibi debet, habet.
Conjugis officium præstas? jam sperat Olympus,
Quem beet, & civem Patria læta novum;
Curia, qui lites dirimat; qui castra sequatur,
Mars pater. & causam posteritatis agis.
Vinceris exemplis, Pelegromi, *grandibus. & jam,*
Ecce, tuus, socio Principe, gliscit amor.
Non sequeris pugnando Ducem, sectaris amando.
Obsequiique gravem non cupis esse modum.

Dunia

Dunia si poterit formâ placuisse marito,
Non poterit formâ displicuisse viri.
Quin decus Astræa thalamis fulgebit in ipsis,
Splendidiorque Patris nomine Sponsus eris.
Inter rostra capis Sponsam. at ferventior optet,
Te Sponsi partes expediisse, cliens.
Causa thori potior. fas expectare clientem.
Hoc quoque, jus nuptæ reddere, juris opus.
Tolle faces, Prætor, *Paphias. jam pone secures.*
Ambulet Amsteliâ liber in urbe reus.
Dum Venus amplexu gaudet, dum vita paratur
Basiolis, homines non cupit illa mori.

IN NVPTIAS
Amplissimi Clarissimique Viri
CORNELII BOYI,
Advocati, & Poëtæ,
Et Præstantissimæ Virginis
ANNÆ de BLOCKLANDT.

SAt rostris Themidique datum. Nil litibus ultrà
Est opus, aut querulo, Boye *diserte, foro.*
Nil nisi mite decet Sponsos. Præscribat Adonis,
Quæ placeant nuptæ mollia jussa tuæ.
Cæsareæ sileant voces. procul ite severi,
Nomina per terras imperiosa, Duces.
Non agitur jam causa rei, non scena clienti
Panditur, aut dubium disputat Aula nefas.
Certè alium virgo te Dordracena salutat,
Quæ Paphiæ tecum fœdera pacis amat.
Lex amor est, lex cura thori, lex cura nepotum.
His titulis surgunt altera jura tibi.
Curia consulto Paphos est, Astræa Dione,
Pro prætore Venus, Cæsare latus Hymen.

Mutat verba fori Blocklandia, *mutat honores;*
Et tanta columen te cupit esse domus.
Hæc tibi dum nubit, Phœbo nupsisse videtur,
Et Themidis pariter virginitate frui.
Nubite vos aliæ, vulgari sorte, puellæ;
Sit satis hoc, homini se sociasse viro.
Quæ Phœbi Themidisque hæret complexibus Anna,
Una Deo conjux jungitur, una Deæ.

IN NUPTIAS
Præstantissimi Viri,
D. IOHANNIS vander POL,
I. V. L.
Et laudatissimæ Virginis,
ELISABETHÆ VOCKESTAERT.

Pollio, *doctorum titulis involveris, & te*
Altius eximii gloria tollit Avi.
Cujus adorandum loquitur facundia Christum,
Et decus assertæ relligionis habet.
Pollio, *nobilium titulis involveris, & te*
Kerckhovius *clarum nobilitate facit.*
Cujus Arausiaca virtus sese explicat Aulâ,
Et Batavos pergit demeruisse Duces.
Hæc aliena putas. viridi nunc pulcher in avo,
Luminibus fulges, Sponse beate, tuis.
Et propriis lætam thalamis inducis Elisam,
Et decus à tanta virginitate capis.
Dum Sol in Iaculis, tuus est in Virgine Titan.
Scilicet hoc hominum sidere gaudet amor.
Stat Venus, & nuptis geniales porrigit ignes,
Et sponsum propius vellet adesse sibi.
Luna jubet faciles vobis procedere menses,
Et mutet flammis Endymiona tuis.

Iuno favet, vobisque volet Lucina vocari,
Et sobolis castos implet amore sinus.
Ipsa Themis, Iurisque tui germana sacerdos,
Hunc tibi ab æthereo conficit axe diem.
Dumque suo legum lances suspendit alumno,
Intus Acidalias vibrat amica faces.
Optime, tot superos inter jam Sponsus haberis,
Et tuus ipsa Deûm limina tangit amor.
Cœlicolûm sunt festa, quibus tibi ducitur uxor.
Nomina virtutum numina quæque reor.
Relligio, doctrina, fides, candorque pudorque,
Hæc sunt conjugii sidera clara tui,
Dique Deæque omnes. quos inter ludere vates
Carminibusque adsum dicere læta meis.
Distinguunt nos, Sponse, Scholæ. distinguimur ambæ
Fluminibus, geminos Amstela Rhenus habent.
Sed Sponso tibi gratari, bene velle, precari,
Unus officium credimus esse Scholæ.

IN NUPTIAS
Clarissimi Viri,
IOH. FRED. GRONOVII,
I. V. D. Historiarum & Eloquentiæ in Illustri Daventriensium gymnasio Professoris.

Non tibi jam celebris lustrantur pulpita Romæ,
Aut legitur scriptis Bibliotheca suis.
Impiger occultas non jam scrutaris in artes.
Aut dubii petitur lectio rara loci.
Non veterum cippos spectas & saxa viator.
Quæque oculos fugiat littera cæca tuos.
In sponsa labor & notis natura labellis
Sudat & hic novitas officiosa placet.

Casta, decens, facilis, res est rarissima, conjunx.
Et sua femineus gaudia cippus habet.
Gronovi, *tabula est ingentis femina mundi.*
Ingenio terras, sidera mente gerit.
Iupiter est & Luna suo mutabilis ortu,
Nunc aliquid Veneris, nunc Phaëtontis habet.
Saturnum non læta refert, lætissima Phœbum.
Mercurio similis lingua diserta Deo est.
Tellurem fecunda refert. nunc ignea flammis
Æstuat & socio conjuge fervet amans.
Æquora sunt iraque breves & murmura. cùm vult,
Blanditias nobis tota serena facit.
Lactea flumen habet. gemini sunt ubera montes,
Cùm sobolem genitrix parturit, hortus erit.
Sic, cùm sponsa Tibi, totus simul obtigit orbis.
Hæret in amplexu machina tanta tuo.
Cum sponsus, mundi Dominus rectorque crearis,
Et nova, sed socia conjuge, sceptra capis.
Docte Vir, hac fruere. & mundum dum perspicis illum,
Nunquam lecta aliis, optima multa leges.

IN OBITVM
Generosissimi Herois
MARCHIONIS de GESVRES,
ictu lapidis, in obsidione THEONVILLANA infeliciter exstincti.

QValis in Æacidem quondam mors invida Pyrrhum
Sæviit, & letho saxa dedere Ducem,
Cum debellatam rueret moriturus in urbem,
Sterneret & tantum sors inopina caput:
Talis in obsessas dum virtus Gallica portas
Fulminat, & trepida bella Theone gerit,
Victorem Fortuna rapit. non succubat hosti
Gesurius. *infelix verberat ora lapis.*

Quod

Quod nequiit Bellona, facit casusve Deusve.
Fracta silex magi[illegible]iciosa Duci est.
Iam Mavors rationis eges. florente juventa
Grande decus belli surripis ipse tibi.
Ante annos Fabiumque necas, Deciumque trucidas,
Et cœptum famæ sistis iniquus iter.
Luge Atrebas, Fontarabia lugete peremtum.
Nuper ubi Getici cruduit ara Dei,
Vulneraque illustri bis sex in corpore fixit.
Vulnera, Romanus qualia miles amet.
Non fregere Ducem carcer, non vincula Gandæ.
Libera mens, ipso in carcere, Regis erat.
Succubuere Duces Ducibus. gravis Hector Achilli,
Hic Paridi. Paridi, Pyrrhe, cruentus eras.
Turno Troïus Æneas. tua gloria Geuri *est:*
Nullius in terris succubuisse manu.

IN NVPTIAS

Clarissimi Viri

D. MATTHÆI VOSSII,

Historiographi, & Bibliothecarii.

QVam tibi se Fortuna probat. quàm justior ætas
Nuncupat ingenio nomina digna tuo.
Crescis & in nostri laudes attolleris ævi,
Et varius docto vertice ludit honor.
Iam tibi Palladiæ creduntur scrinia turbæ,
Tutaque stat curis Bibliotheca tuis.
Mox Batavûm annales & priscis eruta seclis,
Totque Ducum, dubio judice, fata notas;
Et Procerum mandata facis. qui gesta suorum,
Et Proavos cupiunt, te memorante, legi.
Et regum Comitumque dies & libera scribi
Imperia, & validas in sua bella manus.

Historici partes imples, calamoque disertus
Per veterum tabulas & monumenta rapis.
Nec pateris cœca mersum caligine verum,
Publicaque infami facta jacere situ.
Hos titulos Doctrina dedit. nunc munus amantis,
Et placidi partes Sponsus amoris obis.
Alteraque indulget peramica vocabula Cypris.
Qualia Sponse tibi Protesilae dedit,
Andromachesque viro, & Thetidis gavisa marito,
Vel tibi Läerta, vel Menelae tibi.
Historiam jam nupta facit. virguncula mollis
En, locuples, Vosi, *Bibliotheca tibi est.*
Vultus ubi, facilesque oculi, risusque jocique,
Basia & amplexus pagina grandis erunt.
Qualibet officium tibi pars præscribet amandi.
In sola vastum fronte volumen habes.
Hic antiqua leges: quàm sint sine lite marita,
Cum cupidos aperit Vespera prima thoros.
Quàm sit blanda mora impatiens & temporis uxor,
Nec velit ex Ithaca longius ire virum.
Quàm cupiant pulchra matres de prole vocari,
Et nata de se posteritate frui.
Hic nova multa leges: seriemque & grata nepotum
Nomina, basiolis lucra petita novis.
Vt se casta, decens, verâ virtute Iohanna
Explicet, & Frisio ventilet igne tuum.
Nec sexu, nec stirpe, sua nec degener urbi,
In celebres Soceri digna venire lares.
Hæc, Vosi, *tua sunt. hæc volve volumina pernox.*
Sponsa tibi Flaccus, Sponsa Catullus erit,
Et facilis Naso & lepido sermone Tibullus,
Cumque voles, dulci carmine Callimachus.
Felix, cui facit annales amplexibus uxor.
Felix, cui tota est Bibliotheca thorus.

IN ANATOMIAM Clarisſimi Viri ADRIANI SPIGELII, Patavini Profeſſoris.

Horrida mortalis ſpectacula cernite ſcenæ,
Fruſtaque, queis miſerè dilaceratur Homo.
Vita Saluſque iſtis habitant in partibus, & quæ
Vita hominum, ſeſe mors quoque parte locat.
Adſpice, qui temet neſcis, ferale cadaver,
Nexaque centenis oſsibus oſſa ſtupe.
Illa tuæ ſunt fulcra domus, tabulata trabeſque.
Hæc ſunt ingenii ſtamina dura tui.
Exuviæ tantæque rigent velamina molis.
Et quæ cuncta tegit molliter oſſa, cutis.
Carnea compages ſequitur, motuſque magiſter
Muſculus & facili pondera lege movet.
Currunt innumeris venarum flumina rivis,
Et membris præbent pabula læta ſuis.
Viſcera viſceribus famulantur & ordine pulchro
Officium varia quodlibet arte facit.
Summa tenet Ratio, tunicis ſecura cerebri,
Et quia ſideribus proxima, ſola ſapit.
Palpitat æterno Cor implacabile motu,
Et media prudens ſe regione locat.
Eſt, quæ bile tumet ſtatio, quæ nutrit amores,
Eſt, ubi ren ſalſas ejaculatur aquas.
Fecundos matrona ſinus oſtendit. & illa
Humani generis capſula prima patet.
Quæ reges Priamoſque habuit, Brutoſque Duceſque,
Et quos fullo ſuos dixerit eſſe lares.
Singula miramur. ſtomachi jecoriſque labores.
Et diſtincta ſuis viſcera mille locis.
Hæc ſupplex Natura vide, fabrumque potentem
Suſpice & artifices hic venerare manus.

Tingite pictores tabulas, & pascite vestris,
Deliciis domini, lumina imaginibus.
Ista mundum sanant tabulæ. diversa Creator,
(Vera loquor, gentes) Spigeliusque *facit.*
Totum hominem Deus hos ipsos compegit in artus.
Totum hominem nostro destruit ille bono,
Et tantum dissolvit opus. ne spernite, quavis
In tabula cerni se cupit ipse Deus.
Has ubi scæva, dolens, lævis conspexit ocellis,
Credidit Impietas, se Ratione regi.

IN NVPTIAS
Amplissimi Viri,
D. IOHAN. ab HELMONT,
I. V. D.
Et eximiæ Virginis
MARGARETÆ RAEPHORST.

I*Am ridet pharetratus Amor. devicta puella est.*
Non arcus Puero, non periere faces.
Vince arces, Frederice *pater, castella domosque.*
Victoris Sponsi gloria major erit.
Invitos hostes subigis. Raephorstia *sponte*
Vincitur, & gaudet sic minor esse viro.
Ingentem nuper complevimus ignibus Vrbem,
Gaudiaque innumeris incaluere focis.
Nunc thalamis, Helmonde *, tuis satis una duorum*
Flammula, nec facibus pluribus ardet Hymen. (est
Flandria surreptas queritur sibi flebilis arces.
Margaris *exultat se tibi Sponsa dari.*
Margaris *Amstelia sidus geniale juventæ,*
Et patriæ primus Virginitatis honor.
Adspice, ut ignotas Veneris suspiret in artes,
Vt timeat casta simplicitate pudor.

Ut gravis innocuos morum reverentia vultus
Ornet, & illecebris forma decora suis.
Talis magnanimi quondam fuit Hectoris uxor
Andromache, Phrygios jam subitura thoros.
Talis erat clari conjux illustris Ulyssis,
Talis erat Latio Porcia nupta Duci.
Sint fuerintque Duces illæ. meus æquat amantes
Amstela Cecropidûm Romulidûmque nurus.
Omnia concurrunt, virtus, fortuna, venustas.
Capsula multijugi Margaris *ista boni est.*
Hæc est forma Pudicitiæ, candoris imago.
Emicat hoc ipso nubilis ore fides.
Maxime, qui tantæ meruisti, Sponse, maritæ
Oscula, legales dic procul ire Deos.
Iuridicosque patres, & vestræ arcana Minervæ,
Murmuraque ingrati litigiosa fori.
Hæc aliena suis credit Citheræa puellis.
Longè aliud poscit pronuba virgo forum.
Cæsar ubi nullas leges, sed dictat amorum
Mater, & admota basia fronte capit.
Quisque sua est actor causæ, non judice litis
Hic opus, aut dictis, Triboniane, tuis.
Omnis in amplexu vis est & gratia juris.
Et titulos faciunt basia mille novos.
Pandectas alias legis, insuetasque Novellas,
Et Digesta tuus mollia versat amor.
Verbaque amatorum repetit tibi. qualia quondam
Hypsiphyle charo scripsit Iasonidæ.
Penelopæ princeps Ithacus, Briseis Achilli,
Aut Grajo nubens Laodamia viro.
Gallia te pulchras nuper deduxit in urbes,
Perque Britannorum regna viator eras.
Lustrabas non visa foris. nunc extera sordent
Omnia. quæ possit sola placere, domi est.
Illa comes lateri, cupidis te adspectat ocellis.
Et toto cupiat te generosa frui.

Ad Nobilissimum
ADRIANVM PLOOSIVM,
cum filiam ipsi peperisset uxor.

SI te magne patrem, Ploosi, natura fefellit,
Et spes elusit filia nata tuas,
Non tamen illa tuum fallet sors læva poëtam,
Possum etiam cunis Virginis apta loqui.
Femina masque mihi nullo discrimine habetor.
Convenit hic Musis, nec minus illa, meis.
Filiola est. gaude genitor. fortè illa Catonis,
Forsitan hæc Læli nobilis uxor erit.
Filiola est. ride genitor. pulcherrima res est,
In thalamis illam basia posse pati.
Filiola est. lætare pater. nubente puella,
Mox profuga fies virginitate socer.
Tu quoque jam pridem victuris aucta gemellis
Ploosia, femineæ nomina gentis ama.
Non illam tumidis mergent irata procellis
Æquora. nec sævi militis ense cadet.
Matris cura suæ charis adolescet in ulnis
Tutior, ad jussus officiosa tuos.
Turba salutantum foribus præludet in ipsis.
Teque volent centum demeruisse proci.
Illa tuo incedet lateri comes. illa labores,
Et placido curas diluet ore tuas.
Torva viris frons est. in blandis læta puellis
Frons nitet, & forma nos meliore juvant.
Hanc cum conspiciet Veneri maturus amator,
Illa meis, dicet, morsbus apta Venus.
His oculis patriæ radiat virtutis imago.
Omnis in hac fulget virgine matris honos.
Temperat innocuos generosa modestia mores,
Et facili mixtus simplicitate pudor.

Talis,

Talis, summe virûm, voveo tibi filia crescat.
Sic, studeat patri, sic placuisse Deo.
At cum filiolum, Ploosi, genuisse vacabit,
Scribam filiolo mascula verba tuo.
Lusimus ob natam plectro leviore puellam.
Gigne marem. gravius moliar autor epos.

Ad Illustrissimum D. IOH. OXENSTERNIVM, cum Legati munere apud Batavos & Anglos fungeretur.

OXsterni, mediis venit tua missa Britannis
Litera, amicitiæ nuntia fida tuæ.
Venit, & ut tetigi, ac cera labente reclusit,
Illa novi dixi pignus amoris erit.
Hic radiat clemens Gothicæ virtutis imago,
Ingeniique fidem pagina docta facit.
Ter legi, & quoties legi, defixa tabellis
Oscula, ne dubita, terque quaterque dedi.
Sic ubi Mecænas Flacco respondit amicè,
Multa Venusini gaudia vatis erant.
Scriberet ingenti quoties Augusta Maroni
Dextra, Maronææ plus sonuere tubæ.
Tu me, tu tepidas jam pridem ad carmina Musas,
Alloquio recreas, vir generose, tuo.
Iamque aliquis videor, quem tu dignaris amare,
Et melior, tanto judice, fama mihi est.
At mea qui facili perlustras otia vultu,
Et malè quæ nobis nata fuere, legis,
Excusa scriptum fato perjore libellum,
Cum fluerent studiis tempora dura meis.
Iam princeps me Belga colit. nunc inclyta magni
Axelii soboles carmina nostra legit.
His ducibus feriam sublimis sidera vates
Vertice, & ulterius forte poëta ferar.

Cum Cæsar prætorque silent, & Baldus & Azo,
Solaque fit dubii regula juris Amor.
Nil hæc rostra timent, aut si timuisse putantur,
Hoc unum, gaudent quod voluisse, timent.
At vos, qui geminos læti aspectatis amantes,
Hæc mecum thalamis ingeminate novis.
Ida, Themis *sociant dextras, & fœdere jungunt:*
Hæc laudata fori vocibus, illa thori.

IN NUPTIAS
Amplissimi Viri,
PEL. à GROOTENHUYSEN;
Et Lectissimæ Virginis,
ELISABETHÆ DUNIÆ.

Quem pridem patriis juvenem nutrivit in undis
Amstela, *quem nostræ mox docuere Scholæ;*
Quem Themis immensos Iuris deduxit in hortos,
Et valuit Latii Cæsaris ore loqui:
Iam nobis das, Haga, *virum. sic serpere virtus*
Gaudet & ex magno nata parente trahi.
Non satis est vixisse sibi. sic vivimus orbi.
Quisquis obit partes conjugis, ille sapit.
Cælibe nil vitâ pejus. nec terra nec æther,
Nec pia posteritas, quod tibi debet, habet.
Conjugis officium præstas? jam sperat Olympus,
Quem beet, & civem Patria læta novum;
Curia, qui lites dirimat; qui castra sequatur,
Mars pater. & causam posteritatis agis.
Vinceris exemplis, Pelegromi, *grandibus. & jam,*
Ecce, tuus, socio Principe, gliscit amor.
Non sequeris pugnando Ducem, sectaris amando.
Obsequiique gravem non cupis esse modum.

Dunia

Dunia si poterit formâ placuisse maritæ,
Non poteris formâ displicuisse viri.
Quin decus Astrææ thalamis fulgebit in ipsis,
Splendidiorque Patris nomine Sponsus eris.
Inter rostra capis Sponsam. at ferventior optet,
Te Sponsi partes expediisse, cliens.
Causa thori potior. fas expectare clientem.
Hoc quoque, jus nuptæ reddere, juris opus.
Tolle faces, Prætor, *Paphias. jam pone secures:*
Ambulet Amsteliâ liber in urbe reus.
Dum Venus amplexu gaudet, dum vita paratur
Basiolis, homines non-cupit illa mori.

IN NUPTIAS
Amplissimi Clarissimique Viri
CORNELII BOYI,
Advocati, & Poëtæ,
Et Præstantissimæ Virginis
ANNÆ de BLOCKLANDT.

SAt rostris Themidique datum. Nil litibus ultrà:
Est opus, aut querulo, Boye *diserte, foro.*
Nil nisi mite decet Sponsos. Præscribat Adonis,
Quæ placeant nuptæ mollia jussa tuæ.
Cæsareæ sileant voces. procul ite severi,
Nomina per terras imperiosa, Duces.
Non agitur jam causa rei, non scena clienti
Panditur, aut dubium disputat Aula nefas.
Certè alium virgo te Dordracena salutat,
Quæ Paphiæ tecum fœdera pacis amat.
Lex amor est, lex cura thori, lex cura nepotum.
His titulis surgunt altera jura tibi.
Curia consulto Paphos est, Astræa Dione,
Pro prætore Venus, Cæsare lætus Hymen.

Mutat verba fori Blocklandia, *mutat honores*;
Et tanta columen te cupit esse domus.
Hac tibi dum nubit, Phœbo nupsisse videtur,
Et Themidis pariter virginitate frui.
Nubite vos aliæ, vulgari sorte, puellæ;
Sit satis hoc, homini se sociasse viro.
Quæ Phœbi Themidisque hæret complexibus Anna,
Vna Deo conjux jungitur, una Deæ.

IN NVPTIAS
Præstantissimi Viri,
D. IOHANNIS vander POL,
I. V. L.
Et laudatissimæ Virginis,
ELISABETHÆ VOCKESTAERT.

POllio, *doctorum titulis involveris, & te*
Altius eximii gloria tollit Avi.
Cujus adorandum loquitur facundia Christum,
Et decus asserta relligionis habet.
Pollio, *nobilium titulis involveris, & te*
Kerckhovius *clarum nobilitate facit.*
Cujus Arausiaca virtus sese explicat Aulâ,
Et Batavos pergit demeruisse Duces.
Hac aliena putas. viridi nunc pulcher in ævo,
Luminibus fulges, Sponse beate, tuis.
Et propriis lætam thalamis inducis Elisam,
Et decus à tanta virginitate capis.
Dum Sol in Iaculis, tuus est in Virgine Titan,
Scilicet hoc hominum sidere gaudet amor.
Stat Venus, & nuptis geniales porrigit ignes,
Et sponsum propius vellet adesse sibi.
Luna jubet faciles vobis procedere menses,
Et mutet flammis Endymiona tuis.

Iuno

Iuno favet, vobisque volet Lucina vocari,
Et sobolis castos implet amore sinus.
Ipsa Themis, Iurisque tui germana sacerdos,
Hunc tibi ab æthereo conficit axe diem.
Dumque suo legum lances suspendit alumno,
Intus Acidalias vibrat amica faces.
Optime, tot superos inter jam Sponsus haberis,
Et tuus ipsa Deûm limina tangit amor.
Cœlicolûm sunt festa, quibus tibi ducitur uxor.
Nomina virtutum numina quæque reor.
Relligio, doctrina, fides, candorque pudorque,
Hæc sunt conjugii sidera clara tui,
Dique Deæque omnes. quos inter ludere vates
Carminibusque adsum dicere læta meis.
Distinguunt nos, Sponse, Scholæ. distinguimur ambæ
Fluminibus, geminos Amstela Rhenus habent.
Sed Sponso tibi gratari, bene velle, precari,
Vnius officium credimus esse Scholæ.

IN NVPTIAS
Clarissimi Viri,
IOH. FRED. GRONOVII,
I. V. D. Historiarum & Eloquentiæ in
Illustri Daventriensium gymnasio Professoris.

NOn tibi jam celebris lustrantur pulpita Romæ,
Aut legitur scriptis Bibliotheca suis.
Impiger occultas non jam scrutaris in artes.
Aut dubii petitur lectio rara loci.
Non veterum cippos spectas & saxa viator.
Quæque oculos fugiat littera cæca tuos.
In sponsa labor & notis natura labellis
Sudat & hic novitas officiosa placet.

Casta, decens, facilis, res est rarissima, conjunx.
Et sua femineus gaudia cippus habet.
Gronovi, *tabula est ingentis femina mundi.*
Ingenio terras, sidera mente gerit.
Iupiter est & Luna suo mutabilis ortu,
Nunc aliquid Veneris, nunc Phaëtontis habet.
Saturnum non læta refert, latissima Phœbum.
Mercurio similis lingua diserta Deo est.
Tellurem fecunda refert. nunc ignea flammis
Æstuat & socio conjuge fervet amans.
Æquora sunt iræque breves & murmura. cùm vult,
Blanditias nobis tota serena facit.
Lactea flumen habet. gemini sunt ubera montes,
Cùm sobolem genitrix parturit, hortus erit.
Sic, cùm sponsa Tibi, totus simul obtigit orbis.
Hæret in amplexu machina tanta tuo.
Cum sponsus, mundi Dominus rectorque crearis,
Et nova, sed socia conjuge, sceptra capis.
Docte Vir, hac fruere. & mundum dum perspicis illum,
Nunquam lecta aliis, optima multa leges.

IN OBITVM
Generosissimi Herois
MARCHIONIS de GESVRES,
ictu lapidis, in obsidione THEONVILLANA infeliciter exstincti.

QValis in Æacidem quondam mors invida Pyrrhum
Sævit, & letho saxa dedere Ducem,
Cum debellatam rueret moriturus in urbem,
Sterneret & tantum sors inopina caput:
Talis in obsessas dum virtus Gallica portas
Fulminat, & trepida bella Theone gerit,
Victorem Fortuna rapit. non succubat hosti
Geurius. *infelix verberat ora lapis.*

Quod

Quod nequiit Bellona, fecit casusve Deusve.
Fracta silex magn[illegible]ictiosa Duci est.
Iam Mavors rationis eges. florente juventa
Grande decus belli surripis ipse tibi.
Ante annos Fabiumque necas, Deciumque trucidas,
Et cœptum famæ sistis iniquus iter.
Luge Atrebas. Fontarabia lugete peremtum.
Nuper ubi Getici cruduit ara Dei,
Vulneraque illustri bis sex in corpore fixit.
Vulnera, Romanus qualia miles amet.
Non fregere Ducem carcer, non vincula Gandæ.
Libera mens, ipso in carcere, Regis erat.
Succubuere Duces Ducibus. gravis Hector Achilli,
Hic Paridi. Paridi, Pyrrhe, cruentus eras.
Turno Troïus Æneas. tua gloria Geuri *est:*
Nullius in terris succubuisse manu.

IN NVPTIAS

Clarissimi Viri

D. MATTHÆI VOSSII,

Historiographi, & Bibliothecarii.

QVàm tibi se Fortuna probat. quàm justior ætas
Nuncupat ingenio nomina digna tuo.
Crescis & in nostri laudes attolleris avi,
Et varius docto vertice ludit honor.
Iam tibi Palladia creduntur scrinia turba,
Tutaque stat curis Bibliotheca tuis.
Mox Batavûm annales & priscis eruta seclis,
Totque Ducum, dubio judice, fata notas;
Et Procerum mandata facis. qui gesta suorum,
Et Proavos cupiunt, te memorante, legi.
Et regum Comitumque dies & libera scribi
Imperia, & validas in sua bella manus.

Historici partes imples, calamoque disertus
Per veterum tabulas & monumenta rapis.
Nec pateris cæca mersum caligine verum,
Publicaque infami facta jacere situ.
Hos titulos Doctrina dedit. nunc munus amantis,
Et placidi partes Sponsus amoris obis.
Alteraque indulget peramica vocabula Cypris.
Qualia Sponse tibi Protesilae dedit,
Andromacheſque viro, & Thetidis gavisa marito,
Vel tibi Läerta, vel Menelae tibi.
Historiam jam nupta facit. virguncula mollis
En, locuples, Vossi, *Bibliotheca tibi est.*
Vultus ubi, facilesque oculi, risusque jocique,
Basia & amplexus pagina grandis erunt.
Qualibet officium tibi pars præscribet amandi.
In sola vastum fronte volumen habes.
Hic antiqua leges: quàm sint sine lite maritæ,
Cum cupidos aperit Vespera prima thoros.
Quàm sit blanda mora impatiens & temporis uxor,
Nec velit ex Ithaca longius ire virum.
Quàm cupiant pulchra matres de prole vocari,
Et nata de se posteritate frui.
Hic nova multa leges: seriemque & grata nepotum
Nomina, basiolis lucra petita novis.
Ut se casta, decens, verâ virtute Iohanna
Explicet, & Frisio ventilet igne tuum.
Nec sexu, nec stirpe, sua nec degener urbi,
In celebres Soceri digna venire lares.
Hæc, Vossi, *tua sunt. hæc volve volumina pernox.*
Sponsa tibi Flaccus, Sponsa Catullus erit,
Et facilis Naso & lepido sermone Tibullus,
Cumque voles. dulci carmine Callimachus.
Felix, cui facit annales amplexibus uxor.
Felix, cui tota est Bibliotheca thorus.

IN

IN ANATOMIAM
Clarissimi Viri
ADRIANI SPIGELII,
Patavini Professoris.

Horrida mortalis spectacula cernite scenæ,
Frustaque, queis miserè dilaceratur Homo.
Vita Salusque istis habitant in partibus, & quæ
Vita hominum, sese mors quoque parte locat.
Adspice, qui temet nescis, ferale cadaver,
Nexaque centenis ossibus ossa stupe.
Illa tuæ sunt fulcra domus, tabulata trabesque.
Hæc sunt ingenii stamina dura tui.
Exuviæ tantæque rigent velamina molis.
Et quæ cuncta tegit molliter ossa, cutis.
Carnea compages sequitur, motusque magister
Musculus & facili pondera lege movet.
Currunt innumeris venarum flumina rivis,
Et membris præbent pabula læta suis.
Viscera visceribus famulantur & ordine pulchro
Officium varia quodlibet arte facit.
Summa tenet Ratio, tunicis secura cerebri,
Et quia sideribus proxima, sola sap.t.
Palpitat æterno Cor implacabile motu,
Et media prudens se regione locat.
Est, quæ bile tumet statio, quæ nutrit amores,
Est, ubi ren salsas ejaculatur aquas.
Fecundos matrona sinus ostendit. & illa
Humani generis capsula prima patet.
Quæ reges Priamosque habuit, Brutosque Ducesque,
Et quos fullo suos dixerit esse lares.
Singula miramur. stomachi jecorisque labores.
Et distincta suis viscera mille locis.
Hæc supplex Natura vide, fabrumque potentem
Suspice & artifices hic venerare manus.

Tingite pictores tabulas, & pascite vestris,
Deliciis domini, lumina imaginibus.
Hæ mundum sanant tabulæ. diversa Creator,
(Vera loquor, gentes) Spigeliusque *facit.*
Totum hominem Deus hos ipsos compegit in artus.
Totum hominem nostro destruit ille bono,
Et tantum dissolvit opus. ne spernite, quavis
In tabula cerni se cupit ipse Deus.
Has ubi scæva, dolens, lævis conspexit ocellis,
Credidit Impietas, se Ratione regi.

IN NVPTIAS
Amplissimi Viri,
D. IOHAN. ab HELMONT,
I. V. D.
Et eximiæ Virginis
MARGARETÆ RAEPHORST.

IAm ridet pharetratus Amor. devicta puella est.
Non arcus Puero, non periere faces.
Vince arces, Frederice *pater, castella domosque.*
Victoris Sponsi gloria major erit.
Invitos hostes subigis. Raephorstia *sponte*
Vincitur, & gaudet sic minor esse viro.
Ingentem nuper complevimus ignibus Vrbem,
Gaudiaque innumeris incaluere focis.
Nunc thalamis, Helmonde *, tuis satis una duorum*
Flammula, nec facibus pluribus ardet Hymen. (est
Flandria surreptas queritur sibi flebilis arces.
Margaris *exultat se tibi Sponsa dari.*
Margaris *Amstelia sidus geniale juventa,*
Et patria primus Virginitatis honor.
Adspice, ut ignotas Veneris suspiret in artes,
Vt timeat casta simplicitate pudor.

Vt gravis innocuos morum reverentia vultus
Ornet, & illecebris forma decora suis.
Talis magnanimi quondam fuit Hectoris uxor
Andromache, Phrygios jam subitura thoros.
Talis erat clari conjux illustris Vlyssis,
Talis erat Latio Porcia nupta Duci.
Sint fuerintque Duces illæ. meus æquat amantes
Amstela Cecropidûm Romulidûmque nurus.
Omnia concurrunt, virtus, fortuna, venustas.
Capsula multijugi Margaris *ista boni est.*
Hæc est forma Pudicitiæ, candoris imago.
Emicat hoc ipso nubilis ore fides.
Maxime, qui tanta meruisti, Sponse, marita
Oscula, legales dic procul ire Deos.
Iuridicosque patres, & vestra arcana Minervæ,
Murmuraque ingrati litigiosa fori.
Hæc aliena suis credit Citheræa puellis.
Longè aliud poscit pronuba virgo forum.
Cæsar ubi nullas leges, sed dictat amorum
Mater, & admota basia fronte capit.
Quisque sua est actor causæ, non judice litis
Hic opus, aut dictis, Triboniane, tuis.
Omnis in amplexu vis est & gratia juris.
Et titulos faciunt basia mille novos.
Pandectas alias legis, insuetasque Novellas,
Et Digesta tuus mollia versat amor.
Verbaque amatorum repetit tibi. qualia quondam
Hypsiphyle charo scripsit Iasonidæ.
Penelopæ princeps Ithacus, Briseis Achilli,
Aut Grajo nubens Laodamia viro.
Gallia te pulchras nuper deduxit in urbes,
Perque Britannorum regna viator eras.
Lustrabas non visa foris. nunc extera sordent
Omnia. quæ possit sola placere, domi est.
Illa comes lateri, cupidis te adspectat ocellis,
Et toto cupiat te generosa frui.

Nunc niveos in te mores, nunc suspicit ipsam
Pallada. nunc, veluti Cypris Adonin, habet.
Iam Themidi nupsisse putat. jam forma procantem
Afficit, & pulchri membra Phaonis amat.
Tot fulges, speciose, bonis, tot cernis honesti
Nomina, & à proavis stemma decusque capis.
Vos titulos laudesque ambo confundite, donec
Posteritas illas sentiat esse suas.

IN NVPTIAS
Amplissimi Viri,
D. HENRICI IONCQVERS.
Et Præstantissimæ Virginis
MARIÆ de GEER.

DVm tibi promissus, bellacem puppibus Arcton
Instruit & Sueoni porrigit arma, Socer,
Balthicaq; adversis depugnant æquora transtris,
Et minus a Batavo milite Cimber ovat:
Te Veneris, Ioncquære, *puer, te mitior afflat*
Aura & in amplexus trudit inermis Amor.
Nec te pugnantem tua Geeria, *poscit amantem,*
Et Paridem propius gaudet adesse suum.
Bella gerant alii. nobis jam, Sponse, Cupido
Ventilet Idalias, te praeunte, faces.
Nil furias Regumque minas irasque moramur,
Et bellatrices fulmineasque rates.
Suavius ingenium Sponsis. si fulmina nuptis
Poscimus, haud atrox oscula fulmen habent.
Arrident tibi vernantes in amoribus anni,
Et peragit partes Gratia quaque suas.
Cypris tota tua est. oculi, vox militat illi.
Et foculus primo flagrat ab igne tuus.
Ipsa Iuventa suis ardet generosa favillis.
Non opus hic flabris, Æole, saeve, tuis.

Tendi-

Tenditur in nervos arcus jaculisque pharetra
Turget & officium sponte puella facit.
Conspirant cuncta Veneres. sua qualibet arma
Sufficit, in nullas insidiosa neces.
Hac placidos donat mores, hac pabula amori
Porrigit, & doctis risibus illa fovet.
Illa verecundum suadet pingitque pudorem.
Hac nimios thalamo mandat abesse metus.
Quaque docet, qua vos ambos nescire negamus.
Et tamen hac jam vos sit simulare satis.
Albis *in insignes alibi consentit amores,*
Et totam vobis se volet esse Paphon.
Longius in Sueonum terras celeberrima vadunt
Basia & absenti perplacuere Patri,
Qui dum se sceptri curis & jussibus usque
Occupat, hos optat latius ire dies.
Et genero Sponsam facilem, me Vate, precatur.
Quaque loquor tacita gaudia mente probat.
Optime, non Italûm terras nec Gallica lustra
Regna, nec in longas, Sponse, vagare plagas.
In Maria *totum tua sors jam possidet Orbem.*
Qua spectasti alibi, sunt tibi cuncta domi.
Sponsa tibi cælum est. quod fas tibi volvere semper.
Sponsa tibi centrum, cum volet, Orbis erit.
Lumina sunt stella, queis te perstringet amantem.
Luna, Venus tibi si quæritur, illa tua est.
Terrarum sinus in gremio est. montesque mamilla,
Et fontes facient lactea membra suos.
Hoc cælo, his terris habita. fæcunda nepotum
Pullulet hoc ipso sidere posteritas.
Et me, qui viduus vagor & sic jactor, in Orbe
Persimili tecum vivere velle, puta.

Ad Nobilissimum
ADRIANUM PLOOSIUM,
cum filiam ipsi peperisset uxor.

SI te magne patrem, Ploosi, natura fefellit,
Et spes elusit filia nata tuas,
Non tamen illa tuum fallet sors læva poëtam,
Possum etiam cunis Virginis apta loqui.
Femina masque mihi nullo discrimine habetor.
Convenit hic Musis, nec minus illa, meis.
Filiola est. gaude genitor. fortè illa Catonis,
Forsitan hæc Læli nobilis uxor erit.
Filiola est. ride genitor. pulcherrima res est,
In thalamis illam basia posse pati.
Filiola est. lætare pater. nubente puella,
Mox profuga fies virginitate socer.
Tu quoque jam pridem victuris aucta gemellis
Ploosia, femineæ nomina gentis ama.
Non illam tumidis mergent irata procellis
Æquora. nec sævi militis ense cadet.
Matris cura suæ charis adolescet in ulnis
Tutior, ad jussus officiosa tuos.
Turba salutantum foribus præludet in ipsis.
Teque volent centum demeruisse proci.
Illa tuo incedet lateri comes. illa labores,
Et placido curas diluet ore tuas.
Torva viris frons est. in blandis læta puellis
Frons nitet, & forma nos meliore juvant.
Hanc cum conspiciet Veneri maturus amator,
Illa meis, dicet, morsibus apta Venus.
His oculis patriæ radiat virtutis imago.
Omnis in hac fulget virgine matris honos.
Temperat innocuos generosa modestia mores,
Et facili mixtus simplicitate pudor.

Talis,

Talis, summe virûm, voveo tibi filia crescat.
Sic, studeat patri, sic placuisse Deo.
At cum filiolum, Ploosi, genuisse vacabit,
Scribam filiolo mascula verba tuo.
Lusimus ob natam plectro leviore puellam.
Gigne marem. gravius moliar autor epos.

Ad Illustrissimum
D. IOH. OXENSTERNIUM,
cum Legati munere apud Batavos & Anglos fungeretur.

OXsterni, medius venit tua missa Britannis
Litera, amicitiæ nuntia fida tuæ.
Venit, & ut tetigi, ac cera labente reclusi,
Illa novi dixi pignus amoris erit.
Hic radiat clemens Gothicæ virtutis imago,
Ingeniique fidem pagina docta facit.
Ter legi, & quoties legi, defixa tabellis
Oscula, ne dubita, terque quaterque dedi.
Sic ubi Mecænas Flacco respondit amicè,
Multa Venusini gaudia vatis erant.
Scriberet ingenti quoties Augusta Maroni
Dextra, Maronææ plus sonuere tubæ.
Tu me, tu tepidas jam pridem ad carmina Musas,
Alloquio recreas, vir generose, tuo.
Iamque aliquis videor, quem tu dignaris amare,
Et melior, tanto judice, fama mihi est.
At mea qui facili perlustras otia vultu,
Et malè quæ nobis nata fuere, legis,
Excusa scriptum fato pejore libellum,
Cum fluerent studiis tempora dura meis.
Iam princeps me Belga colit. nunc inclyta magni
Axelii soboles carmina nostra legit.
His ducibus feriam sublimi sidera vates
Vertice, & ulterius fortè poëta ferar.

Sce-

Sceptriferos cecini reges, diademata, fasces,
Et Carolo potui non aliena loqui.
Ivimus in laudes nobis morientis Iēsu,
Materiesque fuit carminis ipse Deus.
Gustavi tumulos & grandem flevimus umbram.
Et lauris crevi, dux Frederice, tuis.
His tetricas fessi studiis discussimus horas,
Hæ nobis artes, hæ placuere scholæ.
Bella gerant alii, nos Martis scribimus iras
Tutius, & Phœbi dulce probamus opus.
Belligeras pernox exercet cura coronas.
Oppida nunc rapiunt, nunc sibi rapta dolent.
Oppida nulla capit vates, nulla oppida perdit.
Securus Musas invocat ille suas.
Cumque vocat veniunt, illoque loquente loquuntur,
Cumque cupit magna relligione tacent.
Sic mihi vita fluit sic currunt suaviter anni,
Et videor fato liberiore frui.
Calliope regina mihi est, sunt carmina census,
Regna joci, calamus sceptra, corona favor,
Et modica famæ precium. si laurea desit;
Sufficiant fronti quercea serta meæ.
Tempus erit, cum te thalamis & virgine pulchra
Et Taphiis vinclis illaqueabit amor.
Tunc tibi Barlæa trans æquora vasta Camœna
Federa conjugii prosperiora canent.
Tunc tibi blanda loquar, spatiisque immanibus absens,
Arcessam Clarias in tua vota Deas.
Tum memorem mittam sinceri pectoris arrham,
O tibi si veniat lætior ista dies.
Interea Legate redi, missisque Britannis
Ad Sueones remea, cum favet aura, tuos.
Illic si pigeat Batavi meminisse poëtæ,
Non tamen hic potero dememinisse tui.

Ad
ADRIANVM TOLL,
MEDICVM.

QVisquis in humano defigis corpore vultum
Sospes, ab humano corpore disce mori.
Vivimus, & vita miseri torquemur ab ipsa.
Et dolor haud una nos ratione necat.
Iam caput afflictum est, jam tinnit iniquior auris,
Nunc oculos grando, nunc premit uva gulam.
Hic gemit, hic presso gravius sub pectore tussit,
Ille putrescentes bajulat æger aquas.
Huic titubans lingua est. illi vestigia nutant.
Hic riget, hic sitiens æstuat, ille tremit.
Nunc natura foris, nunc intus fracta laborat.
Et domino adversa est pars sua quæque suo.
Corpus iners trahimus centum cruciabile morbis,
Membraque diversus singula tortor habet.
Adspexti miseros, Tolli studiose, sagaxque
Opposuit tantis se tua cura malis.
Tu fera morborum sapiens examina pellis,
Et vita nobis das meliore frui.
Tu pœna nos parte levas. tu tempora mortis
Fatalesque tua protrahis arte dies.
Nempe, cupis certis decurrere legibus ævum.
Et nos, neglecta condicione, mori.
Sic sapis, & magnis sanas rationibus ægrum,
Et medici suades jussa probare sui.
Hinc veterum libros attritaque verba repurgas,
Consiliisque juvas secula pigra tuis.
Ecquid opus Cöum mediis excire procellis,
Pergameoque senem sollicitare solo?
Ecquid opus Batavos Epidauro arcessere numen?
Ista tuus per te numina Rhenus habet.

Ad
MARTINUM TOL,
IURISCONSULTUM.

Siccine selectos, gratissima munera, flores
Mittis & in bulbis numina clausa suis?
Qualia ab Eois transmisit barbarus oris,
Et Phrygio primùm nata fuere solo.
Qualia per rigidam distincta coloribus Hellen
Hellespontiacis luxuriantur agris.
Allobrogas tetigi, preciosaque verba Coronas,
Quique Gigantea flos gravitate tumet.
Aut titulis Sol magne, tuis radiisque superbit
Æmulus, & tantis vult comes ire Diis.
Singula dum lustro propriis distincta figuris,
Sollicita Gemmas mox tetigere manus.
Et dixi, non has dives mihi donat Hydaspes,
Sed Tolli bonitas officiosa mei.
Quæ cum sæpè mihi profundet gemmula gemmas,
Barbara non emptas nostra stupebit opes.
Per te dives ero, Pelopasque Midamque lacessam.
Et strepet ad flores lingua diserta tuos.
Inde loquor: qui mente capis cœlumque Deosque,
Sideraque ingenio liberiore notas,
Qui numeros dubiique tenes tot dogmata quanti,
Et Themidos juxta jura severa legis,
Iam Superos Divosque tuis scrutaris in hortis,
Atque oculis coram numina picta vides.
Quotque mihi donas, non uno nomine, Tulpas,
Tot per te missos credar habere Deos.

In Historiæ Belgicæ
PETRI BOR,
TOMUM IV.

QVid longum vexata, furens quid Belgica posit,
Quantum pro patriis audeat illa focis:
Sustineat quam dura pati mens conscia recti,
Albano stupuit sub duce sævus Iber.
Mitius ingenium regalibus addidit armis
Italus, & docta profuit arte magis.
Cessimus Hesperia, nostrisque erepta triumphis
Oppida Cantabrica succubuere manu.
Et mox percusso Libertas Principe mærens
Indoluit populi fata suprema sui;
Cum nova de patriis proles generosa favillis
Surgit, & Auriaci funeris ultor adest:
Mauritiumque sequi nostræ cœpere cohortes,
Istaque collapsum dextra capessit opus.
Gaudet Breda capi, devictas reddidit urbes
Isala, stant Frisio castra subacta solo.
Alma triumphanti paret Groninga Leoni,
Cæsareæque vetus concidit urbis honos.
Bructerus & Salii nostræ sunt nomina partis,
Et Batavûm laxis finibus arma ruunt.
Iamque prior victis redit in præcordia virtus,
Austriacasque ferox despicit illa manus.
Hæc Venerande tuos Borri, vis scire nepotes,
Bellaque tam claro plurima teste legi.
It ducibus tua dextra comes. Tu prælia reddis.
Pingis & in chartis Pergama nostra tuis.
Quàm cuperem sociis tua currere secula seclis
Nassovii, & iunctis gressibus ire duos.
Vt victrix quem nulla Ducem Bellona fatigat,
Tu quoque non cesses, maxime scriba, loqui.

In prælium Flandricum ab eodem PETRO BOR descriptum, Tomo V.

Flandria, fatalem Morinûm reminiscere cladem,
Sparsaque per campos busta cruenta tuos.
Cum pater Auriacus, cum toto littore turmas
Cantaber, adversis opposuere globis.
Cum levis augusto belli Fortuna theatro
Visa fuit gemino summa fuisse Duci.
Hinc tumulos inter, (nos Belga vidimus) inde
Æquoreos inter castra stetere Deos.
Non patuit pelago fuga. Vastis sistimur undis,
Et Batavos jussa destituere rates.
Cogimur in pugnam. & sic desperasse saluti est.
Quamque negat Tethys, monstrat arena viam.
Oceano dum miles abit, sibi vindicat agros.
Et satis est, terra belligerante frui.
Certavere acies, densisque hæsere maniplis,
Et pedes immissis obstitit acer equis.
Signa meant remeantque, premunt eademque premun-
Et partes obeunt ordo furorque suas. (tur,
Linquimus à tergo solem ventosque ferentes.
Obruitur nimio Flander Iberque die.
Vincimus, & tantis Mavors successibus hærens,
Colligit Auriaco sparsa trophæa suo.
Ante pedes vexilla jacent, aquilæque ducesque,
Totaque dant victas castra subacta manus.
Stat sonipes, Alberte, tuus. salvoque magistro,
Se victi pignus Principis esse dolet.
Iamque aliquis terras dum vomere scindit, in istis
Ossa notat proavûm semisepulta locis.
Hæc memorat nostri bellatrix pagina Borri,
Hæc memorat senio deficiente senex.

Redde dies, primamque refer Medea juventam.
Expedit, hoc veri vindice, bella geri.

Ad Senatorem
R. HONERDVM,
cum Epigrammatis suis in Nummos Belgicos patrocinium nostrum posceret.

NE pete Barlæi, vates clarissime, plausum.
Ne pete de nostro lumine, Phœbe, facem.
Quæ tu summa putas, quæ nubibus æmula censes,
Sunt humili nobis carmina nata loco.
Ludimus hæc inter medias, Honerde, paludes,
Hic ubi pro Clariis stagna bibuntur aquis.
Tu potius propior Superis, nunc prælia regum,
Nunc canis Auriaco parta trophæa Duci.
Aut Tartessiaci convellis jura tyranni,
Et patriæ memoras spemque metumque tuæ.
Tu canis æternis inscripta poëmata nummis,
Quæ mea sunt, charta mox pereunte legis.
Non ego Tyndaridûm sum sidus amabile fratrum,
Tyndaridûm potius sum malefida soror.
Si sequeris, Syrtes inter peritura voraces
Damnabit cursus naufraga Musa meos.
Tun' Boream metuis? si carmina Zoilus afflat
Optima; tu flatus, Æole, sperne leves.
Qui totam recreas vatum concentibus aulam,
Vere novo spiras dulcius & Zephyro.
Sit tua, patroni, & Barlæi causa, clientis.
Sic potero à populo simplice fortè legi.
Si mihi sufficiet faciem sumsisse patroni,
Non ero. non satis est officiosa loqui.
Vera loquar. post te Batavos Honerde, relinquis,
Et tua quid vates carmina grande sonant.
Si regeras, hæc me nimis officiosa loquutum,
Inveniam, nummo vera loquente, fidem.

Ad

DOMINICUM ABRAHAMI FEENSTRA,

cum I. V. D. renunciaretur.

Qualis ab accenso volucris Titania busto
Eoum nitidò suspicit ore jubar,
Et patriis surgit vultu meliore favillis,
Et vegetum ex ipso pulvere robur habet:
Talis in hoc, Frisii, genitor redivivus alumno
Fulget, & ex ipso funere lucra capit.
Excipit exstinctum soboles erecta parentem,
Excipit atratos lux speciosa dies.
Si cineres, si busta, gemens si præfica sordet,
Nunc comes ingentis gloria lætitiæ est.
Iam gemitus compescit honos, titulique dolorem
Et Themis, in laudes officiosa novas.
Tu, qui jura reis & magna edicta loqueris,
Hoc age, ne dicant te tua jura reum.
Illas sperne manus, quæ dant, ut plura reportent.
Nec causæ, doctor, sit tibi cura malæ.
Ne dominis studeas fari responsa duobus,
Nec limen pulsent actor & inde reus.
Dic justum, seu sceptra velint spretique ligones.
Paupertas zelo stet quoque tuta tuo.
Iura etiam miseris majestas scripsit, & unum
Divitibus pandit pauperibusque forum.
Sic sancta poteris Themidi placuisse, Feenstra.
Et studium juris, relligionis erit.
Sic coram magno cum dices Iudice causam,
Te Pietas ultrà non sinet esse reum.

In

In
ATLANTEM NOVVM
GVILIELMI BLAEV.

CLauditur angustis terrarum machina chartis,
Et faciem mundi parva papyrus habet:
Contrahit immensos hominum solertia fines,
Quaque patent spatiis grandibus, arcta notat.
Incubat in Vestam Nereus, in Najada Faunus,
Areaque adversos continet una Deos.
Sol oritur, tabulisque iterum demergitur istis,
Et Zephyros læva respicit Vrsa suos.
Discordes coiere plagæ. non prælia gentes,
Aut posita Mavors casside bella gerit.
Dissideant quamvis populi, non dissidet insons
Pagina, nec diro sanguine charta madet.
Ambulat hic profugo placidus latrone viator,
Et sicco tumidas tramite calcat aquas.
Dumque domi est, Rhodopen & celsas transilit Alpes,
Et procul ingenio liberiore ruit.
Cuncta videt, scriptumque vigil dum permeat orbem,
Hinc hominum curas suspicit, inde Dei.
Æquora portari manibus miratur & urbes,
Et mundum digito totaque regna geri.
Atque ait: illa Deus fecit, manus æmula sculpsit,
Mens stupet, extrudit venditor, emptor habet.
Non solum nunc terra Ducum est, pervenit ad omnes,
Tot precio terras jam quoque pauper emit.

Pro-

Propempticon ad IOACHIMVM WICHEFORTIVM, cum Hamburgum peteret.

Æole parce meo, nec sis crudelis amico,
Per vada, per fluctus, Æole, sterne viam.
Parcite præcipites, (sunt vatum vota,) quadrigæ,
Nec dilecta mihi lædite membra rotæ.
Quem vehitis, meus est. præsens hic delitet absens.
Irruet in geminum sors nocitura caput.
Sin minus ista movent, moveat te blandula conjux.
Improba res, teneras lædere velle nurus.
Parcite Boschardo. Boreæ si flabra nocetis,
Quid meruit nullo tacta Maria viro?
At tua cum, Smitthi, venient ad tecta sorores,
Oscula cum dederis plurima, plura dabis.
Sin renuas, in te stringam mea carmina vates,
Et malè te dicam parcere basiolis:
Si renuas, quæcunque minus tu basia figes,
Post reditum, salvis omnibus, ipse dabo.

Ad Legatos Federatorum Ordinum, componendis bellis inter Poloniæ & Sueciæ reges missos.

Parcite Nereides, nostro dum littore solvunt,
Quas placidæ pingit pacis oliva, rates.
Neve procellosos in carbasa trudite fluctus,
Ne violet sacros dira procella viros.
Legatos, Neptune, vehis, dilectaque Belgi
Corcula, tot patriæ lumina clara meæ.
Ne celebres exstingue faces. si murmurat unda,
In Morinos potiùs murmuret unda tuos.

Quos vectas, si jura capis, lasisse profanum est.
Lex etiam summos obligat ista Deos.
Cum Latia veherent Epidauri numina puppes,
Composuisse suas dicitur aquor aquas.
Has quoque, cum blanda promittant commoda pacis,
Fac, Neptune, Notis mollibus ire rates.

Ad Illustrissimum Virum
ROCHVM HONERDVM
Senatorem, Legatum.

MAgna minorque fera, dubiis sperata carinis
Sidera, & ambiguo lumina fida mari,
Pandite fulgentes meliori lampade flammas,
Et media clarum reddite nocte diem.
Depositum praluſtre damus. jam noster Apollo
Navigat & toto cingitur Oceano.
Et terras urbesque videt cessisse suorum,
Littoraque ex oculis longius ire suis.
Si Thamara vos fata movent, hoc vindice vivunt,
Et precium tanti criminis Ammon habet.
Si tabulas frangi Superûm vidistis ab alto
Æthere, qui tabulas reddidit autor, adest.
Dum suus antennis labor est, dum mugit Orion,
Et petulans summos verberat unda foros,
Scribit, & Aoniis permiscet fluctibus undas,
Et Zephyros vates tensaque vela canit.
Qua mare, qua moveant immania corpora causa,
Quis ratibus timidas sollicitarit aquas,
Cur regat attentam virtus magnetica puppem,
Cur ruat adversis pontus & aura plagis.
Dum scribit, dum vela elegis spirantibus implet,
Currit inoffensa lata carina via.
Et properat gaudetque suis successibus, & se
Castaliis credit leniter ire vadis.

Nullæ ratim sentina premit, nec nautea sordet.
Cur? fontes aperit Pegasus ipse suos.
Carmina prora facit. jam dictant carmina puppes,
Iam galeam scandunt carmina, rostra legunt.
Versiculos tabulata sciunt, in funibus hærent,
In tremula varium pyxide carmen habes.
Ludunt in transtris numeri. capit anchora vatem.
Ipse etiam tersum navita carmen olet.

Illustri Viro
ANDREÆ BICHÆRO,
Legato ad Vistulam.

Vistula, si nostras Cererem transmittis in oras,
Si Batavûm toties fert tibi lucra fames,
Si tecum Eoas mutat meus Amstela merces,
Et piper à nobis & pia thura refers,
Excipe pacato venerandum flumine pignus,
Et vitreas coram consule sterne Deas.
Dic, mea præclarus tendit per regna Senator.
Dic: illo Themidis pectore sacra latent.
Dic: magnam placidis moderari legibus urbem,
Dic: studiis illum pandere templa piis.
Ingeniis monstrare viam, decernere Musis
Otia, nec Batavi spernere vatis epos.
Non alio magnus poterat sub judice causam
Sarmata, non alio dicere teste Gothus.
In quo candor, amor patriæ coïere fidesque,
Consilium prudens, sollicitusque timor,
In quo sacra trucem obiurgat concordia Martem,
Non poterunt reges non coiisse duo.

Illu-

Illustri Viro
IOACHIMO ANDREÆ
Legato.

SArmata, qui laxis habitas fortissime campis,
Et nunc Moschorum cæde recente cales,
Et vos, qui magno Sueones sub Principe nuper
Alpinas clypeis penè bibistis aquas:
Huic Cynea mansueta precor date tempora fandi,
Et tanti memores pendite verba viri.
Si pacis decreta placent, pro pace loquetur.
Et gladios rastris obruet, arma togis.
Sin rigidi placet illa ferox Mavortis arena,
Scribet in hoc ipso pulvere: bella cave.
Bella cave, quicunque cupis tibi tuta manere,
Regna diu, & sceptris consuluisse tuis.
Vos reges sapite, & dubiis ne credite fatis.
Ancipites jactus alea Martis amat.
Certius imperii majestas pace tenetur,
Libertas armis quæ venit, arma timet.
Hac Frisii consulta dabunt. advertite, Regna.
Qui volet alterutri cedere, victor erit.

Ad Illustrem Virum
R. HONERDUM,
Legatum.

CUm pelago terraque tuas jam divide curas,
Docte senex, pelago dum meditaris iter.
Æquora te credant, quamvis minus apta, poëtam.
Consiliis sapiat Sarmatis ora tuis.
Hic ludas, ubi Naiades cum Phorcide ludunt.
Et Siren lepidos audiat aqua sonos.

Hic ſapias, ubi regali ſapit aula paratu,
Et niveum fulgens purpura ſcandit ebur.
Quà graderis, tanti duplex perſona Batavi eſt,
Seu vatis partes, ſeu ſapientis obit.

Ad
P. HOOFDIVM,
Satrapam Muydenſem.

IAm me Rhenus habet, jam me deſerta Creuſa
Detinet, & vultu faſcinat una ſuo.
Illa mihi menſam ſternit, non empta reponit
Fercula & innocuas officioſa dapes.
Dat lapathum, Samiæque fabas opprobria menſæ,
Et coctum lentè læta miniſtrat olus.
Prandeo lactucas, quas parco adſperſit aceto,
Et quibus illecebras pinguis oliva facit.
Odimus hic madidas animantum ſanguine carnes,
Nec teneras ſævi dilaceramus oves.
Non petit inſontis jugulum trux ſica columbæ,
Aut gallina meæ victima cruda gulæ eſt.
Pythagoræ norma ſolis hic vivitur herbis,
Nec mea barbarico menſa cruore madet.
Hic ego verſiculis horas diſtringo, meaque
Hoſpitis optato parcius ore fruor.
Teſſela cum veſtros intrabit magna penates,
Teſſela cum veſtrum ſollicitabit ebur,
Teſſela cum docti referet tibi carmina Taſſi,
Teſſela cum dicet, quid ſit amare, Tibi,
Teſſela cùm virides nectet de fronde coronas
Atque artes cupiet promere docta ſuas:
Accurram, viduaque manus amplectar amicè,
Baſiolumque tibi Teſſela blanda dabo.
Baſiolum, quod Iuno mihi, quod Cypris & ipſe
In cœlis magnus Iupiter invideat.

In masculos versus
ANNÆ MARIÆ
SCHVVRMAN,
quibus Trajectinæ urbi novum Academiæ decus gratulatur.

Parturiunt jam bella scholas, lituosque tubasque
Inter, Apollineas fabricat Aula domos.
Nascitur, & mediis Sapientia gliscit in armis.
Nec Iove, sed Getico patre renascor, ait.
It Ducibus doctrina comes, cum milite Phœbus
Ambulat, & Clarias vindicat hasta Deas.
Ipsa novos juxta gradiens Bellona magistros,
Mitigat ingenii vim rabiemque sui,
Et cuperet pugnare minus. nisi templa focosque
Acer & indomitus sollicitaret Iber.
Excusa est jam mitra loqui. ruit æmula laudum,
Et valida pubes ambitione calet.
Migrant in terras Superi, pietasque Themisque,
Ingentemque sonant pulpita sacra Deum.
Nec cessat Medicina loqui. formantur in artes
Pectora & effigiem cuncta scientis habent.
Nos fecit natura rudes. cultura, laborque
Expolit. hæc hominem cura secunda facit.
Bis gigni debet Sapiens. bis reddier orbi.
Nec nisi cum poterit se genuisse, sapit.
Quod stamus Batavi, Phœbo debemus & armis,
Hanc geminam supplex Belgica poscit opem.
Auriacus quod servet, habet; quod servet, Apollo.
Hic animos nobis asserit, ille lares.
Trajectine, tuis cœptis intervenit Anna.
Annuit augurio nobilis Anna suo.
Iam redit & virgo. redeunt miracula terris.
Pone videt vates ire puella suos.

Desinimus nos esse viri. fit virgo, quod olim
Nos fuimus. vatum nomina virgo rapit.
Iupiter hanc dona sexu meliore puellam.
Vel dic, attonitis omnibus, esse Deam.
Pallada dic. non quæ tremebundam concutit hastam,
Sed quæ nascentem concutit ore Scholam.

In prædium Amplissimi humanissimique Viri

LAVRENTII BAECKII.

PRædia felicis, Batavo sub sidere, Baecki,
Prædia carminibus nunc celebranda meis,
Ruricolæ salvete lares, salvete penates,
Queis superûm cunctas gratia donat opes:
Hic locus, hic divûm domus est. hæc regna Napææ,
Hæc socia petulans Phyllide Faunus amat.
Hic Corydon, hic apta viro Galatea procatur.
Et grave fastidit virginitatis onus.
Alma Ceres circum tumidis se tollit aristis,
Triptolemus totis luxuriatur agris.
Ipsa Pales herbas pecori, lac sufficit agnis,
Atque aries tanti dux gregis agmen agit.
Turgida fecundis Pomona virescit in hortis,
Et niveum verno pingit honore caput.
Flora nitet, foliisque suos inscribit amores,
At Venus in propriis hæret amica rosis.
Quas dum mœsta videt, veteres reminiscitur ignes,
Exitioque dolet pulcher Adoni tuo.
Lenes æquoreis descendunt collibus undæ
Et streperis torrens labitur inter aquis.
Torrens Näiadum labor & nutricula somni,
Quo cupiat cerni nuda Diana sibi.
Nec procul Arctois Tethys admurmurat undis,
Nereaque amplexu basiolisque fovet.

Fundit Tya lacus & priscam verberat urbem,
Quæ vetus à Bavarûm nomine nomen habet.
Hæc inter, venerande senex, dum numina vivis,
Et senio donas otia tuta tuo,
Dum spectare tuos concedis Vatibus hortos,
Et tuus Aoniis rivulus exit aquis,
Vive diu. nec enim fatis concedere fas est,
Cujus habent cunctos rura beata Deos.

Ad Senatorem

R. HONERDVM.

CVius Hyperboreum nuper facundia Martem,
Et reges potuit composuisse duos:
Ad Batavos Honerde, redis, & Apolline plenus
Sub Batavo placidum sidere condis epos.
Plus me vate cales. nobis nunc omnia languent,
Cum viduo jaceam sarcina pigra thoro.
Barbara cum fatis cessit, cessere Camenæ,
Pieriæque simul dispeririere faces.
Friget amor. frigent veteres sub pectore flammæ,
Stringitur insolito mens thalamusque gelu.
Hæc vatis fortuna tui est. cum conjuge surgit.
Imperat ingenio conjugis aura meo.
Ite Senatores, Barlæo quærite sponsam.
Sic poterit vobis, sic caluisse sibi.

In tumulum Nobilissimi Viri

GVLIELMI de BEVEREN,

Consulis Dordrechtani, Toparchæ Strevelshouchii, Quæstoris Australis Hollandiæ, mortui XV. Kal. Sext. 1631.

COnditur hoc tumulo probitas, Prudentia busto,
Et cineri pietas ingemit ipsa suo.
Quæ toties patriæ juvit facundia causam,
Hic silet, & Beveri plus volet ore loqui.

Stant urnæ juxta proavûm: qu:n marmore in isto
Hæredem priscæ nobilitatis habes.
Quam, si stemma neget, poterat virtute mereri.
Non solum titulos invenit illa, facit.
Nunc Quæstura viro, nunc dives traditur Auster.
Nunc fasces offert urbs veneranda suos.
Lustra decem attonito dictat consulta Senatu,
Vitaque Battaviæ, non fuit acta sibi.
Legatis responsa refert. per castra, per enses,
Auriaco vadit belligerante comes.
Iam pia civiles placidè mens temperat æstus,
Publica mox monitis mollibus æra juvat.
Iam petit à sociis Marti stipendia terris,
Nassovioque parat robur & arma Duci.
Tempora sic belli, sic flexit tempora pacis,
Et modo plus lauri, plus placuere togæ.
Ipse fatiscentes Batavus cum cerneret annos,
Flevit, & hæc tumulo posthuma verba dedit:
Quam leve collapsis patriæ decedere rebus!
Hic voluit patria non nisi stante mori.

In Barbari floris, quem Tulipam vocant, variam fortunam.

STultitiæ gens sacra sumus. vilescimus omnes,
Dum precium vanæ credimus esse rei.
Nil magnum jam Persa dabis, nihil accola Gangis.
Sordet in Eoo gemma reperta mari.
Heliadum crustas grandi suspendimus auro,
Visaque quantivis conchea bacca fuit.
Sardius in digitis micuit, preciosaque regum
Vicit honoratos purpura chrysolithos.
Nunc herbæ florisque decus prægrande putamus,
Et citius nobis interitura placent.
Barbara res omni Batavis preciosior auro est.
Barbara res cunctas una lacessit opes.

Barbara res monadum siliqua leviore valorem
Ponderat, atque atomos æstimat ære suas.
Linea, segmentum, macula, color, area, thyrsus
Invidiam titulis nominibusque creant.
Non ignota loquor. census brevis adspicit in se
Hortulus, & Pelopum more talenta locat.
Invenit in foliis miros facundia sensus,
Et loquitur florum verba superba pater,
Scipiadasque Duces & tanta vocabula jactat.
Et venit in partes discolor Otto novas.
Quin numerat, qua luce cadat, qua creverit; & quot
Fecunda trudat pignora matre solum.
Dediscit textrina suas, quas noverat, artes.
Caussidicus non vult floris amore loqui.
Cum fabro lapicida vacat. delirat arator,
Et mediis fullo segnis oberrat agris.
Nauta ratem damnat. pereunt tot munia civi.
Dum furor hos omnes unus & error habet.
Scilicet in vili crescunt sestertia testâ,
Et multum ignavis, ditibus esse licet.
Quæ dum cuncta videt fallax Rhamnusis in hortos
Exspuit, & dominos perdidit una suos.
Et flori precium & cunctos decussit honores,
Depositumque Deûm nobile, vile fuit.
Mutantur cum flore togæ, textrina, labores,
Et resides lassat sordida lana manus.
Tum ridens ait; ô cives, flos vota fefellit,
Non alia est fluxi scena futura boni.
Excidit è precio flos barbarus. excidit auro,
Qui stolida dives condicione fuit.

Ad Amplissimum Virum
IOACHIMVM WICHEFORTIVM,
lætitiæ datorem.

Nunc alios, Ioachime, capit tuus Amstela fasces,
Nunc alio nobis Consule rostra patent.
Cessant terribiles, vacuo Pratore, secures,
Nec trepidos poscunt jura severa reos.
Adspice, Pieria claudunt delubra sorores.
Nec sua jam fessus verba professor amat.
Delassata graves damnat Sapientia voces,
Et mea VVicforti, pulpita muta silent.
Quid faciam? jam mensa tibi, jam sternitur, ecce,
Inter Apollineos sobria mensa viros.
Tu mea, tu facili recrea convivia vultu,
Tu cupias cœtus Tullius esse mei.
Laxet inoffensam locuples facundia linguam,
Et lentum docto murmure falle diem.
Sic noster diceris amor. sic gratior hospes
Pellicies Clarias in mea vota deas.
Lætitiæ vinique dator, tua dona pitissa.
Muneribusque velis latior esse tuis.
Dant superi, gaudentque datis. qua vina Lyaus
Et dedit & primus repperit, ipse bibit.
Quid mihi tu totum spumantia pocula Rhenum
Sufficis & Bromio turgida vasa Deo?
Blanda placet vindicta. tuis mergêris in undis,
Inque tuum flectam munera missa caput.
At mox, cum socia discedes conjuge, dicam:
Maxime vir, carò stat tibi noster amor.

IN NVPTIAS ANTONII MATTHÆI

IVRISCONSVLTI,

Et Lectissima Virginis,

ANNÆ PONTANÆ.

EN, gelidas inter fervet Citherea procellas,
Nec Veneris Flevi temperat unda faces.
Et licet invisis rigeat sub Piscibus æther,
In medio gliscit Cypria flamma gelu.
Ipse sacer Themidis custos effeminat annum,
Et toto quamvis frigore cinctus amat.
Sic exlex grassatur Amor. non tempora brumæ,
Non rabidi tardant pronuba cœpta canes.
Omnia tempestiva putat. glaciemque nivesque
Officiis credit non aliena suis.
Scilicet exacuunt Paphias contraria flammas,
Et calor opposito fortius hoste calet.
Dumque foris frigescit amans, plus æstuat intus,
Et magis in læva parte mamilla salit.
Ite laborata tetrico sub Consule leges,
Ite procul streperi verba severa fori.
Præsul vester amat. dicit jam jura Cupido,
Et Venus à docta fronte tributa petit.
Curia fit thalamus, præses festiva Dione,
Materies litis basia, sponsa rea est.
Actoris partes sponsus capit. exigit Annam,
Et titulo dicit conjugis esse suam.
Non hic sollicitus differt responsa Senator,
Aut lento repunt improba jura gradu.
Prævertit Citherea moras. quam postulat, actor
Occupat, & cœlo judice victor habet.
Quam benè Palladis jam nubit filia patris,
Quam benè Palladio jungitur illa viro.

Spes erit, ut, docti sociant dum fœdera, causas
Progenies nolit dissimulare suas.

In Artem Nauticam
ELIÆ HERCKMANS.

QVos terras habitare Dii voluere, solumque,
Et sicca Numen vivere jussit humo,
Terribiles habitamus aquas; audaxque propago
Iäpeti medio degimus Oceano.
Exprobrare Iovi libet, atque illudere fatis,
Et formidata quærere mortis iter.
Fluctus habet terra dominos, adspergimur undis,
Nostraque (prô) fragili pondera lintre natant.
Inter monstra, feras, & diri pignora Nerei,
Et tot vasta truci corpora nata mari,
Tot scopulos Syrtesque inter, dum sævit Orion,
Et Notus adverso turbine bella gerit,
Iactatur securus homo, & formidinis expers
Sideribus cingi se videt & pelago.
Trabs domus est, unda hospitium, ferus accola Triton,
Flabra viam monstrant puppibus, astra regunt.
Sic procul à patria longinquis sistimur Indis,
Et populi nobis & nova regna patent.
Hic pugnare juvat, totisque occurrere castris,
Hic modicis bellax Mars furit in tabulis.
Hic Bellona tonat, mergitque & mergitur una,
Et fragiles sorbet flamma inopina rates.
Adspice tantarum coram spectacula rerum,
Natalesque tuos, nauta severe, lege.
Dum grandes scriptor populis narrare labores
Incipit & puppis fata stupenda tua,
Dic mecum: quanta est humana industria mentis?
Quis labor & mediis vis animosa malis?
Per fluctus inventa via est. hoc restat, ut ipsos
Tandem aliquis pennâ tentet adire Deos.

In Librum
IOH. BEVEROVICII
de Termino vitæ.

Nascimur & morimur, longos peccamus in annos,
Et tamen hos annos Parca severa secat.
Succedit miseræ tandem sua Vespera vitæ,
Et fugiunt ævo deficiente dies.
Bulla sumus, levis umbra sumus, ludusque Deorum,
Quæque fluit, tacitis clepsydra fluxit aquis.
Materiam lethi bibimus. cum vescimur, ecce,
Tabula quæ vitæ, dant alimenta neci.
Ipso mors suo dente crepat. quaque ambulat orbis
Incola, se circum busta rogosque videt.
Cuncta ruunt, gaudentque suis nascentia fatis,
Et circo redeunt vitaque morsque suo.
Hac inter magnas agitat discordia mentes,
Et totas lassat fabula docta Scholas.
Hic sua fatali suspendit stamina filo,
Inque suas partes numen & astra vocat,
Nec moritur sine lege Deûm. metuentior alter
Contrahit has ipsas amplificatque moras.
Huic fati modus arbitrium est. moriturque caditque
Cum libet & vitam condicione tenet.
Insignes animæ, tantam decidere litem
Queis vacat, & doctæ pandere mentis opus:
Vivite & extremæ calamum donate senectæ.
Nec grave sit vobis talia sæpe loqui.
Vivite concordes & ab ipsa discite morte,
Optatæ toties pacis inire viam.
Desinat adversas sectari Ecclesia voces,
Atque animos Christo jungat amica fides.
Seu fatum seu culpa diem determinet, æquum est
Hac quoque nobiscum jurgia posse mori.

IN OBITVM DIONYSII VOSSII, ad Patrem.

IAm tibi Scaligeri donant solatia patres,
Docta quibus soboles occidit ante diem.
Iam sua præclustres objectant funera Douzæ,
Et præmatura pignora rapta manu.
Magnorum sors illa virûm est, clarissime Vossi,
Et lachrymas jungunt nomina tanta suas.
Sat vixit, misero quem virtus eximit ævo,
Nec memor ingenii fama latere sinit.
Cœperat huic ingens Latium debere juventa,
Et Taciti rerum maxima more loqui.
Græcia solertes tali sub vindice voces,
Priscaque dictabat verba disertus Arabs.
Vna Palæstinos versans industria patres,
Nunc tibi Iudæum, nunc dabat illa Syrum.
Chaldæusque senex isto sapuisset alumno,
Maimonidesque suum mox stupuisset opus.
Confudit linguas Lachesis, quæque omnibus æque,
Et poterat fari dissona, muta silet.
Quid juvenem fletu decoras? qui redditus astris
Iam propior Iuni suspicit ora nepos,
Et jam sub pedibus quicquid mortale beatus
Calcat & hoc ipsum, te lachrymare, vetat.
Si talem genuisse juvat, concede Tonanti.
Et magno pignus nobile crede Deo.
Præsecuit spes ille tuas. sed spondet, eodem
Patre tibi rursum crescere posse novas.

Ad
I. WILLICHIVM,
Equitem Palatinum & poëtam Cimbrorum.

Willichi, medios inter qui carmina Cimbros
Scribis, & Arctoa frigora sæva plaga:
Insere te vatem populis rigidoque sub axe
Palladia pergas gentis honore frui.
Si tibi regali bellatrix purpura vultu
Annuit, & precio nobilitatis ovas;
Iura Palatina si dantur splendida terra,
Et mores Equitum regula prisca docet:
Majus erit vatis precium. plus esse poëtam,
Thymbraeoque patri perplacuisse, reor.
Illa tibi possunt regum donare corona.
Hac sunt magnorum munera sola Deûm.
Vatibus occultum gliscit sub pectore numen,
Et sua cœlesti semina stirpe trahunt.
Sunt nobis Phœbus genitor, Musaque sorores.
Castaliis vates ora rigamus aquis.
Vina bibant reges. nobis Permessidos unda,
Et toto lapsus fons Helicone fluit.
Emineant sceptris reges. hac gloria nostra est,
A nobis regum sceptra Deosque cani.

IN NVPTIAS PETRI BOR,
Reip. Vltrajectinæ à secretis.

Dic mihi, cur sociam, Borri, de rure maritam
Poscis, & in mediis basia quaris agris?
Nec, qua turrigeras graditur matrona per urbes,
In thalamis patitur gaudia prima tuis?

An,

An, quia desertas habitarunt numina silvas,
Credis in his ipsis sedibus esse Deas?
An, quia rura colit pulchra cum Phyllide Thyrsis,
Hic quoque formosam Phyllida Thyrsis amas?
An strepitus aviumque inter modulamina censes
Vestra magis tuto murmura posse tegi?
An tibi lascivus formam monstrabit amandi
Passer & ad leges te volet ire suas?
An, ubi permiscent hederæ sua brachia, disces
Brachia in amplexus illaqueare tuos?
Fortè vides illic cupidas errare capellas,
Aut aries tanti dux gregis agmen agit.
Aut sua dum nectunt insontes rostra columbæ,
Exemplum raptæ virginitatis habes.
Iudice me, vir summe, sapis. per rura, per agros,
Frondes inter amet, quisquis amare volet.
Seria scribe domi & pleno discussa Senatu
In tabulas alibi publica verba refer.
Illic nota fides patribus, prudentia, virtus,
Et partes obeat dextera docta suas.
Ruri sterne thorum, ruri tibi debeat Anna,
Omnia sunt illic lusibus apta magis.
Hic hic terra ferax & tot nutricula frugum
Conjugibus mira fertilitate prait.
Ambulet in clausa Consul vel Episcopus urbe,
Liberior patulo sub Iove sponsus eris.

IN NUPTIAS DANIELIS ARMINII MEDICI.

LEgerat Arminius medicæ secreta Minervæ,
Et res Hippocrati sex placuisse suo.
Has inter Venus alma fuit. Tu blandula, dixit,
Tu mihi naturæ filia prima places.

Abdita

Abdita discutiant modici contagia motus,
Et sua sit fessis partibus apta quies.
Aura fuget morbos, alimentaque seligat æger,
Et potu cupiat conveniente frui.
Insanas hebetet somni clementia febres.
Et sit quæ gignat, quæ levet ira malum.
Vna mihi poterit Sponso Citheræa mederi.
Vna mihi medio restat in igne salus.
Vulneribus sanor, sævique Cupidinis arcu:
Nec, nisi sic læsus convaluisse queam.
Vt flammis Salamandra, meis in amoribus uror
Integer, & quanquam fractus amore, levor.
Cum mihi virginitas, cum flos arescet amanti,
Ordiar excussa virginitate virum.
Cuncta placent, tedæ, thalami, cum matre Cupido,
Basiaque è teneris sæpe petita genis.
Dixerat hæc Sponsus. cum cincta potentibus herbis
Affatur medicum sic Medicina suum:
Longum vive tuis, Iuvenum doctissime, fatis,
Et Mariæ studeas sæpe placere tuæ.
Sed Veneri, diffide, precor. quæ lenta, probatur.
At brevis est, nimium quæ violenta fuit.
Interdum spectator eris, non actor amoris.
Hæc sunt doctrinæ dogmata prima tuæ.
Si longi poscunt placidissima pharmaca morbi,
Hic quoque rem poteris restituisse morâ.
Fabula sit populo medicus, cum factus amator
Ipse suæ jam mox postulat artis opus.

In secundas Nuptias Amplissimi Viri, CORNELII GRAEF.

OPtime, quique tuis, Gravi, mea tempora lenis
Vocibus, & jam nunc candidiora facis;
Quam levis est fluxa de virginitate triumphus,
Quam leve non tactas bis tetigisse genas.

Quàm res parva suæ vectigal solvere sponsæ.
Femineaque virum simplicitate frui.
Hoc Corydon cum Rege potest. hanc calluit artem,
Qui rudis indoctas pavit Alexis oves.
Multorum est pressisse thorum. sunt obvia cunctis
Oscula. nec multum ponderis Hymen habet.
Ludit in audaci facilis natura cubili,
Quodque facit, nulla cum ratione facit.
At thalami leges & casta nosse marita
Munia, quidque viro debeat illa suo:
Et momenta domus & perspexisse labores,
Hic Rhodus, hic saltus creditur esse tuus.
Cuncta vides, vir docte. vides permixta serenis
Tristia, nec Zephyris jugiter ire ratem:
Non semper ridere Deos aut dura minari,
Sed nitidos aliqua nube rigere dies.
Scis, ut frena manu gestet stimulosque Cupido,
Nunc Veneris laxet, nunc remoretur opus.
Scis, quam blanda novæ placeat facundia Sponsæ,
Quam non austeri verba Catonis amet.
Nec dominam servamque petis. partiris habenas.
Sic tamen, ut titulo splendidiore regas.
Cum laudanda facit, dices majora videri.
At mala securus dissimulabit amor.
Scis, quæ cura piæ sobolis. qua flectier arte
Debeat Ascanii vis animosa tui.
Scis lecto nuptisque suum constare decorum.
Præsentemque thori partibus esse Deum.
Est thalamis sua relligio. sunt sacra precesque
Et Paphias adflat sanctior aura faces.
Adspice, subridet tali Catharina marito.
Et tacito secum quæ loquor, ore probat:
Quam benè se tenero prudentia junxit amori,
Ut quæ gignet amor pignora, cura regat.

SOCII-

SOCIETAS
INDIÆ OCCIDENTALIS
CHRISTOPHORO ARTISOSKIO,
militiæ in Brasilia Præfecto, ob res feliciter gestas gratias agit.

Pugnasti, Dux magne, domi, & te milite sensit
Sarmata Rex istas prævaluisse manus.
Te Duce succrevit nostro fiducia Marti,
Et potuit per te vincier hostis Iber.
Pro Batavûm imperio, pro libertate stetisti.
Quæque mihi, melior credita causa tibi est.
Hac Europa tibi loquitur. nunc latius exit
Nuncia militiæ fama corusca tuæ.
Per mundos vexilla rapis. per sidera victor
Arma quatis totis dissita sideribus.
Expandis cum Sole decus. quibus occidit ille,
Altius Artisoski gloria surgit aquis.
Per te aliis terris, aliis habitamus in undis,
Atque alio patriam cernimus orbe dari.
Auspiciis patuere tuis portusque sinusque,
Et dominos arces deseruere suos.
Per te succubuere duces, castella, domusque,
Et veterem famulans despicit ora Tagum.
Te ductore rudis populus, te præside recti
Barbaries cœpit displicuisse sibi.
Littora, rura procul, fluvios amnesque tenemus,
Qua spatium sibimet fecit iniqua fames.
Iam Tartessiaco per te deciditur auro.
Et tua regales cura flagellat opes.
Addita sunt nobis, periertunt lucra Philippo.
Non ultra Hispanis dulcibus esse licet.
Sacchara sunt juris Batavûm. non hostibus illa
Verna parat. Belgis colligit illa meis.

Hinc

Hinc tua in Occiduis scribuntur nomina lignis,
Et peregrina tuum canna susurrat iter.
Trans mare, trans fluctus extrema vivis arena.
Si possent, cuperent te quoque saxa loqui.
Se victos gaudent populi. metuendus amaris.
Quaque prius timuit Barbarus arma, probat.
Sic superasse pium est. sic regnavisse decorum.
Cum pietas illum, qui regit, ipsa regit.
Ast ego tantorum moderatrix summa laborum,
Ante tuos pono fulgida dona pedes.
Virtutis monumenta tuæ. circumdaris auro
Condecoratque suum Curia nostra Ducem.
Sis felix. Regique tuo dum redderis, arma
Fac placeant illi, quæ placuere mihi.

In Historiam Geldricam, à Clarissimo viro D. IOH. ISACIO PONTANO, descriptam.

EN, vetus intorto rursum se crine Sicamber
Explicat, & Latiâ cæde cruentus ovat.
Ausoniasque aquilas & formidata Quiritum
Signa legens chartis erigit illa suis.
Pugnant ad Vahalim populi, Rhenusque bicornis
Asserit antiqui jura verenda soli.
Si cadit, Augusti dextra cadit. inclyta gaudet
Geldria Romano succubuisse Duci.
Et mundi Domino fasces submittit & arma.
Nec nisi devicto vincier orbe cupit.
Qui Cimbros scripsit calamus, regesque Trionum,
Iam terræ scribit sceptra Ducesque suæ.
Et vultus regni varios mutataque narrat
Nomina & autores Gelduba prisca tuos.
Scilicet haud uno celebris sub Principe tellus
Paruit. illa Ducis, Cæsaris illa fuit.

Imperio

Imperio differt populus. Tu, maxime scriptor,
Prælia, fortunas, tempora, gesta notas.
Vincitur, & toties victrix inclaruit armis
Geldria, sed Geldro defuit, illa legi.
Cum Mavorte decus famæ partiris. & urbes
Expugnasse Ducum est, scribere posse Tuum.

Ad Illuſtrem nobilemque Virum
IOHANNEM SCOTVM
Tarvaſium, Cancellariæ Scoticæ directorem, cum Poëtas Scotos edi curaret.

SCote, Caledonii sidus venerabile regni,
Celsior, hoc dici, quod minus esse putas,
Os Caroli, Borei locuples facundia sceptri,
Quo tria vel possent regna loquente loqui:
Quam tua nunc nostris illuxit gloria terris,
Quam volupe est Batavo te quoque teste legi.
Ecce, renascentes coëunt, ceu federe, Musæ,
Et vario pulchrum carmine surgit opus.
Quod loquitur, natale solum est. tua Scotia Cirrha est.
Exulat hoc omnis vox peregrina libro.
Per te Parrhasiis Helicon conscenditur oris,
Aoniique faces ordinis Vrsa quatit.
Tu Phœbi delubra moves. tu pectora vatum
Concutis, & motu fervidiore rapis.
Permessis se lympha tuis abscondit arenis.
Barbara nec veterem Græcia Delon habet.
Transfers, Scote, Deos. transfers loca, numina, montes.
Te propè jam Tenedon quærit Apollo suam.
Ac veluti Dictynna vagis prælusitat astris,
Ducis Apollineum Phosphorus ipse chorum.
Quam gaudent se regna regi. cum Regis & uni
Credita Pegasidum causa laborque viro est.

Ad Ampliſſimum Virum
ROCHVM HONERDVM
Senatorem.

Vivimus & medios inter juveneſcimus hoſtes,
Et veteri Danai ſtamus, Honerde, loco.
Nil rabies me ſacra movet. nihil officit illi,
Qui geminum triplici muniit ære latus.
Sum paſſus graviora. leves ſprevíſſe libellos
Quam leve. cum chartis tot periere minæ.
In foliis furor eſt. hærent in cortice pugnæ,
Tantaque deficiens bella papyrus habet.
Fulminet & totis cumulet convitia plauſtris
Bructerus, inque meum dirigat arma caput.
Succedant Troës Rutulis, Batavoque Sicamber,
Hic gladios frendens porrigat, ille faces.
En, galea tegor, & defendor caſſide recti.
Quo mea mens ictus arceat, intus habet.
Allobrogas minus eſſe puto. non iſta moramur
Nomina. ſunt ſordes, docte Lemanne, tua.
Cum mea larvati proſcindunt nomina Fabri,
Denſaque conglomerant ſcommata, non moveor.
Quæ Trajectinis loquitur petulantia ſcamnis,
Rideo. non ad me pertinet iſte labor.
Invidiæ cum tela petunt, virtutibus obſto,
Quæque nocent linguas relligione domo.
Tota cataphractum cingit patientia vatem.
Illa ſales nigros diſcutit, illa metus.
Sum cautes, ſum dura ſilex. non ſentio ſperni:
Hoc quoque quod ſperni dicor, Honerde, placet.
Sic diſco nihil eſſe. nihil tibi velle videri.
Quodque meum eſt, merito, ceu triviale, legi.
Tu modo tot nixus veri jam teſtibus, aude.
Dicere, Barlæum nil niſi trita loqui.

Tot

Tot titulos revocate viri. damnate poëtam.
Dicite me Marsum, dicite me Bavium.
Sim levior vates. alium vos esse putastis.
Iudicibus tantis Musa superba fuit.
Curia deliquit. potuit peccasse Senator,
Erravere Scholæ, pulpita, rostra, togæ.
Nescit Auriacus, cui se donaret. & omnis
Prona suo vati purpura, cæca fuit.
Seiani fortuna mea est. nunc tollor in altum,
Nunc titulo rursum deteriore cado.
Magne virûm, jocus est, quodcunque hic degimus avi.
Ludimus. est scenæ pars sua quisque suæ.
Quod sumus, haud sumus. aut saltem male credimur (esse.
Longe alios species ambitiosa facit.
Vexamus, vexamur. amat serviliter alter.
Quemque amat hic, studiis omnibus ille fugit.
Non una est persona foro. difforme theatrum est.
Et partes obeunt livor amorque suas.
Hic calamo, ferit ille manu. sunt bella potentum.
Ipsa piis etiam fratribus ira subit.
At mihi mens istos inter secura labores,
Blanda serenatæ tempora pacis agit.
Nec pugnare parat. silet æternumque silebit.
Hoc quoque quod sileat, se siluisse volet.
Quod non ira valet, peraget tranquilla potestas.
Heu malè discordem Manada Manas agit.
Aut formidato Pentheus occurrit Oresti,
Aut ruit in Bacchas Baccha cruenta suas.
Cum crepitant nimbi, tumidum cum murmurat æquor,
Fluctibus & nimbis obstrepuisse furor.
Displicuisse malis, laudi est. quæ recta putantur,
Crede mihi, paucis perplacuere bonis.
Et licet hic justas aliquis mihi suggerat iras,
Et rigidas repetant ille vel ille minas,
Quamvis ultores spirent responsa libelli
Et vindicta novum mascula dictet opus:

Te ſequar, ô venerande ſenex, quem dira cicuta
Suſtulit & patriæ vis ſcelerata ſuæ.
Vlciſci me Stoa vehat, vult ferre, quod ægrum eſt.
Illa manu calamos excutit una meos.
Iam ſileo. at tibi ſi videar dicenda ſilere,
Do veniam, pro me fas tibi plura loqui.

Nobiliſſimo Viro

IOACHIMO VICKEFORTIO,

Equiti, ab Illuſtriſſimo VVimariæ Duce reduci.

QVem procul armatas inter, Ioachime, cohortes
Detinuit longa Martia terra morâ,
Et rutilis fulgens bellator Rauracus armis
Ingenio vidit diſpare caſtra ſequi,
VVimario dilecte Duci, cui Gallia pridem
Nomina pro meritis ſplendidiora dedit;
Cujus honorato pendent regalia collo
Munera & æthereo victus ab enſe Draco:
Expectate veni, vetereſque reviſe penates,
Hic ubi ſe refluis Amſtela miſcet aqu s.
Nuper ubi Regum genitrix & fulgida tædis
Mater adoratos duxit in urbe pedes.
Cum fora, cum vicos Medicæis curribus omnes
Vidimus atque Italis incaluiſſe rotis.
Hic tua Penelope, tua te fidiſſima conjux
Exigit & propius te volet una frui.
Qualis ab hybernâ mœrens caligine tellus,
Longius abſentem gaudet adeſſe diem.
Illa tuis reddi thalamis & amoribus optat,
Et ſobolis tecum ſpem rediiſſe cupit.
Allobrogum ſi regna tibi, ſi caſtra, phalanges,
Claſſica ſi dudum, ſi placuere tubæ,

Hic

Hic tua pacati properant ad limina fratres,
Nec fera Barlæi conspicis ora tui.
Si volupe est Celtas illic Gallosque tueri,
Seu quos bracca tegit, seu toga, sive coma,
Hic Batavos spectare datur populumque potentem,
Quem tremit amissis urbibus acer Iber.
Si te Liligeri capit admiratio Regis,
Et divinum aliquid Rex Lodovicus habet,
Hic quoque magna vides: hic bello clarus & armis
Auriacus fama militat usque sua,
Hesperiasque premit castris bellacibus arces;
Et victi spoliis sæpius hostis ovat.
Hic inter veterum vultus & marmora vivis,
Et Latios vario cernis in ære Duces.
Hic tibi Romulidûm patet admiranda supellex:
Vrnula, cos, culter, fibula, testa, stylus.
Cumque libet, Macetas monstrat tibi Græcia Reges,
Quæ grandes Asiæ Græcia sorpsit opes,
Pellæos, Pyrrhosque & nomina magna Philippos;
Oraque Perdiccæ Lysimachosque truces.
Si caperis pulchra nascentis origine Rheni,
Exonerat fessas hic tibi Rhenus aquas.
Si Ligerim procul & Rhodanum novus advena petis,
Hic poterit pleno gurgite Mosa bibi.
Si celer excelsis subsidit Sequana ripis,
Hic Vahalis planos undique lambit agros:
Si placuit Basilea tibi, domus hospita Musis,
Et nostra poterunt hic placuisse Schola.
Ferrea si vinci Brisaci mœnia speras,
Hic quoque quod vinci Belgica speret, erit.
Gallia dat segetem, & Cereris tot munera læta,
Hic eadem pandas occupat alma rates.
Gallia non uno torquet sua prela Lyæo,
Et tamen hic nullæ, crede, bibuntur aquæ.
Illic purpureæ frueris sermonibus Aulæ,
Et Richeli missus respicis ora senis.

Hic Richeli voces non uno Consule mutas,
Et celebris dominos exhibet Ya suos.
Amsteliis perchare veni, plus charior illi,
Quæ thalamis reddet gaudia prisca tuis.
Illa tibi dulci modulamine leniet aures,
Et canet arguta voce suäve melos.
Illa tibi Druidum voces & verba repenet,
Ante abitum non hæc docta marita tuum.
Hæc nova discessus capies nunc commoda. plenum
Artibus insternet doctior Anna thorum.
Euterpen cupis? Euterpe est. vis esse Thaliam?
Huic modulis par est ingeniosa suis.
Vis Sapphum? pia Sapphus erit. vis esse severam
Penelopen? talis vult tibi nupta mori.
Vis matrem? vis esse pater? quid amice moraris?
Præsentem poscunt munia tanta virum.
En tibi sat faciles promittunt sidera ventos,
Et Zephyri velis annuit aura tuis.
Condolet uxori Tethys. & cærula sternit
Æquora, nec tumidis fluctibus atra fremit.
Disjecta luget Morinus jam classe, nec audax
In solitis hostis navita sævit aquis.
Quin Batavos puppesque timet. quassasque carinas
Dum reficit, nostri suspicit ausa Ducis.
Assurgunt tibi Naïades, clavumque gubernans
Trudit in Amstelios te Panopæa sinus.
Et tandem cupit esse domi. rerumque viaque
Tædia & invisas rumpit amica moras.
Te fora & effusis capiunt tua limina votis,
Totaque se nescit, te redeunte, domus.
Conjugis adventu conjunx stupet. ipsaque possent
Gaudia dilectæ sic nocuisse tuæ.
Non uno fervent nunc mercatore penates,
Et soror & frater, quò tibi plaudat, habet.
Hoofdius excelsæ sidus venerabile Muydæ,
Quem tragico constans carmine fama vehit,

Obvius

Obvius occurrit reduci, desuetaque fatur
Verba, cataphractis suspicienda sonis.
Hoosdia magnanimas inter memoranda maritas,
Hoosdia amicitiæ digna corona tuæ,
Obvia gratatur reduci, & se blandula coram
Sistit, & agnatas vult tetigisse manus.
Sic Ithaco in rupes Ithacæ post lustra reverso,
Vndique gratantes exsiliere sui.
Tunc Ithacum montes, Ithacum sonuere cavernæ,
Obviaque incolumi rura fuere Duci.
Inter gavisos etiam Barlæus amicos,
Accelerat faciles in tua tecta pedes.
Quæque tuum lecto nuper quartana sodalem
Fixerat, ad reditum cessit iniqua tuum.
Noluit illa mihi gravis & funesta nocere,
Dum tu spes nostræ certa salutis ades.
Tu morbos, Ioachime, fugas, suspiria, luctus,
Dumque redis, mihi me restituisse potes.
Cum mihi te reddis, reddor Phœboque tibique,
Officiúmque vetus Musa benigna facit.
Te procul amoto, me respexere Camœnæ
Parcius, & Clariæ conticuere deæ.
Te præsente loquor. laxataque fibula linguæ
Forte tibi nimium creditur esse loquax.
Nil moror. hoc dico: post brumam, frigora, febres,
Nunc toto dabitur te, Vicoforte, frui.

Ad
D. LEONORAM HOOFT,
cum à febre convaluisset.

IMproba fax, pulchro grassantes corpore flammæ,
Magna quibus carpi se Leonora dolet,
Ocyus in stygias Muyda secedite valles.
Tartareis febris convenit ista locis.

Cur palles Leonora? tui quæ conscia sexus
Ora verecundo sæpe rubore notas.
Cur langues Leonora? tuo quæ blanda marito
Otia & illecebras officiosa facis.
Cur ferves Leonora? pii quam flamma caloris
Egregiæ sobolis spe caluisse velit.
Cur præstans Leonora sitis? sitis illa decori est,
Illa sitis cœlos appetit, illa Deum.
Dum queror, abscedunt malesana è corpore febres.
Et redit matri qui fuit ante vigor.
Tabificæ periere faces. audita poëtæ
Leniit iratos vox miseranda Deos.
Hoofdius uxori jam solvat debita. verum
Quod possit, debes hoc Leonora mihi.

In disputationes Anti-Socinianas Clarissimi Theologi IOHANNIS POLYANDRI.

Qui tutela tui Deus est, portusque, salusque,
Hunc, Polyandre, Deum relligiose colis.
Asseris æterni titulos & nomina Iesu.
Nec cupis hunc caussis vilibus esse Deum.
Par magno natura Patri est, de lumine lumen.
Nec tamen hæc luci cedit imago suæ.
Qua se parte suo testatur patre minorem,
Hac partes hominem pars redimentis obit.
Quà Deus est ipsa victor de morte triumphat.
Cetera, mortalis succubuisse potest.
Stat totus pro labe mea servator, & unus
Captivum nullo vindicat ære reum.
Ara laborantis crux est. cadit hostia mundo,
Et verum meriti victima nomen habet.
Non satis est, monstrasse viam normamque salutis.
Ipse viam fuso, Christe, cruore facis.

Hæc

Has voces, Socine, quatis. venerandaque cœli
Gratia sub signis stat labefacta tuis.
Tu celsis, vir clare, suum decus asseris astris,
Vimque sacerdotis protegis ore Dei.
Vera loqui forsan facile est. sed ab hoste tueri,
Intrepidi laudem præsidis esse puto.

Ad Illustrissimum D. NICOLAVM de BAVGII, Regis Galliarum ad Ordines Legatum.

GAllia, quæ magni veneraris nomina Regis,
Sceptraque Borbonio sanguine clara colis,
Quæ dudum Batavis animos pugnantibus addis,
Nec sinis, ut nobis sit metuendus Iber,
Accipe depositum, nostris quod reddimus oris,
Quodque alibi fulsit, jam tibi fidus habe.
Inclita facundas mirata est Austria voces,
Cum stetit attentis barbarus Ister aquis.
Obstupuit pro Rege suo Bruxella loquentem,
Et cuperet Scaldis plus sibi posse loqui.
Nos quoque Legati titulos & nomina Baugi
Novimus, & tanti verba diserta viri.
Gallia cur revocas? abeunt tot commoda nobis,
Commoda quot patriæ præstitit ille meæ.
Gallia cur revocas? ista dum voce caremus,
Destitui jam se vindice Belga videt.
Gallia cur revocas? vestri facundia regni,
Assertrix nostræ linguæ salutis abit.

ARNOLDO BVCHELIO
Advocato Vltrajectino, septuagenario.

INconcussè senex, cui post tot lustra, tot annos,
Decurrit vegetis litera scripta notis:
Qui curas inter senii vitæque labores,
Barlæi non vis immemor esse tui:
Vive precor, Tyliæque dies transcende senectæ,
Et placido Superûm munere perge frui.
Mens tranquilla tibi est, nec grandis conscia culpæ.
Non gravis hæc patriæ, non fuit illa bonis.
Vixisti tibi, vixisti sine crimine Musis,
Et placuit nullo fenore culta Themis.
Rimari secreta, tuæ primordia gentis,
Et veterum chartas volvere, cura fuit.
Vita data est privata. minus placuisse videtur
Publica, vel titulis ambitiosa suis.
Non odio tua fama labat, servitque favori.
Involvis precio teque tuosque tuo.
Sic bene compositis ætas quæ ducitur annis,
Si moritura tibi est, non moritura Deo est.

In mortem acerbam præstantissimæ Virginis

IOHANNÆ BICKERS,
Amplissimi viri ANDREÆ BICHERI Consulis Amstelodamensium filiæ.

CHara patris magni soboles, charissima matri
Filia, & Amstelia virginitatis honos,
Cur moreris fasces inter titulosque tuorum?
Nec patriæ pergis laudis amore frui?
Bickeræ spes prima domus proh occidis. & dum
Occidis, illa tuæ gratia frontis obit,

Et

Et nitidi mores placidique modestia vultus,
Et quicquid pietas contulit ipsa tibi.
Si passa est te terra mori, jam celsior illa es,
Et propius summi Numinis ora vides.
Consulibus nasci decus est. sed gloria major,
Qua pudor & probitas ambulat, ipse viam:
Astra tenes, dum fama patrem sublimis Olympo
Inserit, & narrat regibus apta loqui.
At quæ virginitas nulli libata marito est,
Pura creatori redditur illa suo.

In Curtium à cl. viro
IOAN. FREINSHEMIO
editum.

QVi populos, qui regna ferox sibi subdidit orbis
Primus & incubuit gentibus, Assur erat.
Prævaluit mox Persa potens, & Martia tandem
Persarum tumidas Græcia vertit opes.
Gens genti ceu latro fuit. raptoque triumphans
Quilibet, in socios miles & hostis iit.
Iste furor Pellæ dominum succendit, & enses
Strinxit, Alexander sanguinolente, tuos.
Noluit Emathiis claudi tua gloria terris.
Effera trans Hellen castra Ducesque rapis.
Non satis Europa est juveni. Tröesque Phrygesque
Et debellatos subruit ira Syros.
Imperii sitis Euphraten trajecit, & ipsa
Visa minus Babylon ambitiosa tibi.
In Carram Petramque furis, Medosque Scythasque,
Et spolium dextræ Bactra fuere tuæ.
Iam Darium Porumque premis. Regumque Ducumque
Purpura vesano rapta furore fuit.
Iamque Clytum rabies, nunc suspiciosa Philotam
Mens necat & vivo Parmenione vales.

Exstincto minus. in terras grassaris & urbes,
Sceptraque piratæ plurima more rapis.
Lysimachus Phythonque favent, Perdicca, Seleucus,
Antipatrumque tui flamma furoris agit.
Arrogat insanas augusta superbia voces,
Et sobolem summi te cupit esse Iovis.
At moreris, Iove nate tuo. discerpitur Orbis,
Inque nova partis nomina mundus abit.
Hæc facunda refert laudati pagina Curtî,
Nec Macetûm ingentes vult latuisse vices.
Eripit hæc fato veteris solertia Rheni,
Et gemino gaudet vindice Pella legi.
Decedunt verbis tenebræ, & caliginis umbrâ
Non cupiunt tanti Principis arma tegi.
Rege triumphavit magno res Thessala. magni
Scriptoris fastos belliger orbis habet.
At tu, qui Curtî purgas tot scrinia, Regem,
Freinshemi, fama est restituisse tuis.

IN NVPTIAS
Amplissimi Viri
D. CORNEL. BAMBEECKII,
Et Præstantissimæ Virginis
LVCRETIÆ BALDVINÆ.

Quam tua se pulchro, Bambeeckî, exporrigit anno
Cypris, & ad Geminos pergit adultus amor.
Serius in Veneris recipis stipendia castris,
Et tamen illa Dea serius arma quatis.
Omnis inoffensis arridet amoribus æther,
Et natura tuo plaudit amœna thoro.
Adspice, turgidulas trudit tibi vinea gemmas,
Et tilia virides explicuere comas.

Ad-

Adspice, quàm vernent rubicundis floribus horti,
Et juxta roseis æmula Sponsa genis.
Lætior affulget thalamis Aurora. diesque
Iam magis erecto dat tibi Sole frui.
Non Sponso strictum ostentas, Lucretia, ferrum;
Nec cupis afflicto sæva pudore mori.
Sed dici pudibunda minus gaudesque cupisque.
Basia, non gladios, vis tibi nupta dari.
Virginitas ratione perit. vis effera Regum
Battaviæ dudum finibus exul iit.
Nubis & insonti se libertate cubile
Asserit; & pateris libera Sponsa virum.
Non tibi nunc ultor Brutus, non ira mariti
Expellet regnis impia sceptra suis.
Hìc potius rapto multus conviva pudori
Annuet, & grates dicet amica Venus.
Longè alia hic thalami facies. candorque fidesque,
Et probitas Sponsos relligiosa facit.
Hæc novit Barnastra, patris matrisque voluptas.
Quæ vestris miscet gaudia basiolis.
Hìc tibi plus lætis taurus mugitibus auras
Verberat & plus jam vaccula lactis habet.
Plus Corydon & Nisa furit. tibi rustica ludit
Fistula; & amplexus blandaque vincla canit.
Vivite, & in primis dum vernat amoribus ætas,
Dum sobolis vobis spem facit acer Hymen;
Si tantum est oti, vobiscum hæc volvite, Sponsi,
Gratam conjugibus sæpius esse moram.

In
IOCASTÆ & TRYPHOSÆ
NVPTIAS,
De quibus Rhadamanthus mollior latius loquitur.

Virginitas geminis periit malè rapta puellis ;
Hæc Tryphosa dolens, illa Iocasta fuit.
Prægreditur passis mœrens Tryphosa capillis,
Et rigidas spirat sanguinolenta minas.
Vult Iuvenem præfracta mori. stant lictor & ensis.
Hæc, ait, hæc rapti pœna pudoris erit.

TRYPHOSA.

Hic legis violator adest, & criminis ultor.
Vindictam facinus poscit & ira suam.
Cur vivat? per quem mihi facta miserrima vita est.
Cur vivat thalami pars scelerata mei?
Cur vivat? quem damnat amor facilisque Cupido.
Et quicquid speciem suave procantis habet.
Dispereant oculi, mihi qui nocuere videndo.
Dispereant, miseram quæ rapuêre, manus.
Basia, quæ dedit invitæ, violenta fuerunt
Vulnera, & exitio dona parata meo.
Quos tulit amplexus, quæ collo brachia circum
Vis dedit, irrisi signa fuere thori.
Occidimus, genitor, genitrix, fraterque sororque.
Funera tot secum sors mea juncta trahit.
Plus, Iudex, latrone vides. plus fænere, stuprum est.
Bis cogor, rapta virginitate, mori.
Quid rides, vitioque cupis favisse Iocasta?
Et pulchrum sceleri condoluisse putas?
Qui ferale cadet, poscis vesana, cadaver.
Corporaque horrendi turpis amantis amas.
Et cupis amplecti, quem lex cupit optima plecti.
Ah nimium facili simplicitate mala es.

Poscis

Poscis amatorem petulans. vis parcere culpæ,
Et Sponsum titulo deteriore vocas.
Si corrupta places, poteris non casta videri,
Et laudem nuptâ de meretrice feres.
In thalamum descendet amor violentus, & exlex,
Quæque tua est, fiet pellicis illa domus.
Effuso madeat, Iudex, mihi sanguine, cujus
Crimine virginei bis doluere sinus.
Dixerat. & justi vindex Tryphosa doloris,
Hinc sociam frendens, hinc videt ægra reum.
Tum gradiens, pulchrisque caput redimita corollis,
Orsa fuit tandem læta Iocasta loqui.

IOCASTA.

Crimen idem nocuit geminis. sum passa, quod hæc est.
Atque uni doluit succubuisse viro.
Attamen in facto misera distamus eodem,
Et mihi culpa rei creditur esse minor.
Qui modò me rapuit, cuperem nunc esse maritum;
Osculaque hac possem conditione pati.
Si nimis insano juvenis sum læsa furore,
Corriget hunc placidi lex veneranda thori.
Nec conjunx patiar nolens, quod fecit inique,
Cum, nondum facto conjuge, virgo forem.
Quæ mihi fama labat, tedæ reparate jugales,
Damnaque compensa virginitatis Hymen.
Quæ cupit humano mulier se sanguine pasci,
Heu mihi, quam sexu dissidet illa suo.
Femina sum, flecti facilis, blanda arbitra legum.
Longa viris, nobis aptior ira brevis.
Non cupio, Tryphosa, mori, qui læsit, amantem.
Ille tuus factus crimine & ille meus.
Si vis in geminas discerpi corpora partes,
Non erit ille meus, non erit ille tuus.
Si totum stricto juvenem vis ense feriri,
Pars mihi quæ fuerat debita, nulla mihi est.

Hoc satius, totum Iuvenem mihi cedere. Iudex
Annue, & ingenium plus muliebre proba.
Sum polluta. tamen veniam debetis amanti.
Natura vehemens crimine peccat amor.
Sum polluta, velim nunc impolluta vocari.
Sponsa scelus vultu diluet omne suo.
Hinc hilaris, redimita, nitens & comptula veni;
Conveniunt thalamo gaudia, non tumulo.
Audiit, &, votis Iudex contraria vota
Dum videt & dubium partibus esse reum,

IVDEX.

Virginei, dixit, raptor sceleratus honoris
Debuit exemplo, crimine, lege mori.
Flagitiumque duplex pœna graviore rependi,
Bisque reus stupri, bis quoque posse mori.
Non sinit hoc res ipsa. vetat sententia dispar,
Quæ Tryphosa tua est, quæque Iocasta tua est.
Vis Tryphosa mori, quem vis superesse Iocasta.
Vtraque pro rapto justa pudore petit.
Hæc urget voces & legis verba severa;
Altera sed famæ plus studiosa suæ est.
Emollit dubiam facilis clementia mentem.
Incolumique datur Sponsa Iocasta viro.
Et quæ mœsta dolet, rapto, Tryphosa, pudore,
In medio cœtus invenit illa virum.
Iamque ambæ thalamis, ambæ lætantur amando,
Vnaque non sonti nupsit, & una reo.

IN NVPTIAS CORNELII BLAEV, Mathematici & typographi.

QVi toties doctos excudis in ære libellos,
Et veteres cogis per tua prœla loqui;
Qui vastas aperis tabulæ sub imagine terras,
Et laxas arcto compede stringis aquas:

Iam

Iam tenera, Blaevvi, vis arrisisse puellæ,
Et tibi præ tabulâ dulcis Eliza placet.
Quin Tabula esse cupit, qua tot cudantur amores,
Basiaque & Paphiæ tot sine lite faces.
Non hîc terra tibi, non sculpitur æquor & unda,
Sed Cytheræa suos ordinat ipsa jocos.
Quin totam gaudet tibi depinxisse maritam,
Labra, genas, ipsis lumina grata Deis,
Brachiaque, amplexu cupidum complexa maritum,
Et Veneres, blando quas fovet illa sinu.
Hic domus, hæc patria est. hac tu regione moraris,
Non alio mundi sidere Sponsus agis.
Hæc tabula est, quam pingit Hymen, telisque Cupido
Impetit, & specie bella gerentis amat.
Hæc tabula est, de qua poteris sperare nepotes,
Et generi toties lucra parare tuo.
Sic Tu, qui tabulis decoras illustribus Orbem,
Hanc Tabulam soli vis famulare tibi.

Nobilissimi Viri
CONSTANTINI HVGENII,
Eq. & Zulechemi Domini &c.
OPERA & DIES.

NVnc sordent, Ascrae, tua sine lumine luces,
Et tua, nox nobis creditur esse, dies.
Excurrunt prisci densa caligine Soles,
Et tenebris horrent sidera Graja suis.
Hoc, quod scribis, opus, nihil est, nisi ruris & oti,
Et sterilis vana relligione labor.
Instruis agricolam, dictas facienda colono,
Officiumque legunt bos & aratra suum.
Sudant defessæ pigro sub vomere dextræ,
Quodque manus verset sedula, vile lutum est.

Nostra sibi pandunt meliores tempora luces,
Metiturque suum dignior hora diem.
Aula sapit, formatque virum. se perficit ipsa,
Et socia recti conjuge, recta facit.
Illa Deo Christoque suos pia nuncupat annos.
Illa sacro sancta verberat astra prece.
Sic prior in cælos rapitur. mox Principis audit,
Et bellatoris dicta severa Ducis.
Prandia formantur monitis, & currus & uxor,
Et puer, & medio fabula nata foro.
In leges liber, in leges coguntur amici,
Stringitur ad normam prodiga turba novam.
Auscultant tanto stomachus, splen, lingua magistro,
Quasque premunt partes crimina, jussa regunt.
Vapulat obscuri malesanus carminis autor,
Vapulat abjectæ simplicitatis epos.
Fit schola totus homo, mundus, domus, aula, poëtæ.
Quaque prais, decus est, te, Zulecheme, sequi.
Exemplo mandata paras, fax, lumen honesti,
Dirigitur studiis quilibet ordo tuis.
Tu Pharos es, vitæ lex optima, regula morum.
Dum comes it Phœbo stella Susanna suo.
Qua tu luce nites, nitet hac. qua vivis amussi,
Vivit, & exactum quod facis, ipsa facit.
Quodque bonum gemini facitis, jam discimus omnes.
Flectimur ad tantos femina virque duces.
Tam pia cum scribas Aulæ præcepta minister,
Hoc loquar: Hanc subeat, qui volet esse pius.

Ad Victorinum Advocatum.

SI me Cæsareæ cuperes accumbere mensæ,
Hoc tibi sustineam dicere: non veniam.
Si mihi victores apponant fercula reges,
Regibus hoc ausim dicere: non veniam.
Pontificis si jussa vocent & pocula fundant,
Pontifici possem dicere; non veniam.

At

At tibi, qui lepido me, Victorine, reposcis
Carmine, relligio est dicere: non veniam.
Convivam tua Musa trahit. facundia Catzi
Pertrahit, & Iuni vultus & ora tui.
Quique gravis Batavas Vondelius intonat aures,
Et patria loquitur verba severa sua.
Hos ego Pontificum mensis regumque Ducumque,
Hos ego Caesaribus praeposuisse queam.
Omnis festivis majestas cedit amicis.
Hos ubi Barlaeus possidet, illa jacet.
Funde merum. siccos calices odere poëtae.
Et Cereris Baccho munera junge tuo.
Funde Deos nobis. & dic: ô caeca vetustas;
Quae quos esse deos credidit, ipsa bibit.

In mensam Anatomicam.

STernitur & toti prabet spectacula mundo,
Qui jacet afflictae conditionis Homo.
Exponit nudos miseris mortalibus artus,
Et quia peccati labe, pudore vacat.
Mensa Thyesteae similis stat cruda, rotatque
Corpora, flagitiis, irrequieta suis.
Frons, digitus, ren, lingua, caput, cor, pulmo, cerebrum,
Ossa, manus, vivo dant documenta tibi.
Adspicis hic coram sanum quodcunque vel agrum est,
Et mala naturae deficientis habes.
Quo vitio pars quaeque ruat, qua lege resurgat,
Discis & humani fata stupenda fori.
Huic gula, vel funesta fuit malesana libido.
Hunc furor, hunc potae perdidit humor aquae.
Mille modis morimur, nec causa laedimur una.
Nunc mare, nunc tellus, nunc gravis aura nocet.
Quae nos cuncta fovent, obsunt elementa saluti.
Et vario vita rumpitur hoste tenor.
Haec cum defunctis lustras spectator in extis,
Disce Deo sospes vivere, disce Tibi.

Ad

Ad
IACOBVM BAECKIVM,
de turdorum captura.

QVid meruistis aves, gelido quas trudit ab axe
Æolus & Boreæ sævior aura plagæ?
Cur meus & laqueos vobis & vincula nectit
Baeckius, & fœda vult periisse nece?
Magnanimo moriens ictu procumbit humi bos.
Innocuam jugulat culter & ensis ovem.
Cum lepus aut cum dama cadit, cadit ore molossi,
Et timidas vincit vis generosa feras.
Dejicit excelsam velox ballista columbam,
Dumque ruit fato nobiliore ruit.
Viminibus se claudit anas, cum fistula ludit,
Iucundo saliens carmine sturnus obit.
At vos fœda manent mediis suspendia sylvis,
Et speciem turpis funera mortis habent.
Hanc suus illaqueat salices pes inter & umbras,
Prædaque subjectam pendula spectat humum.
Hanc cervix, hanc ala tenet. pendentia latè
Cernimus ex ramis corpora prona suis.
Hæret adhuc medio fatalis gutture bacca,
Et quæ causa mali funeris esca fuit.
Forsitan Arctois fures fugistis ab oris,
Atque alibi plenos depopulastis agros:
Forte fames terris dum vos exegit iniquis,
Horrida nec vestræ sufficit Vrsa gulæ;
In nostros ruitis domini sine jussibus, hortos,
Nec concessa sibi pabula quisque rapit.
Quare, cum Batavos maneant suspendia fures,
Civili fas est vos quoque jure mori.

Ad IVSTVM VONDELIVM, cum à CONSTANTINO & HELENA ad amores ipsum revocarem.

Vondeli, mea quo toties interprete Musa
Teutonico populis gestiit ore loqui:
Vondeli, Batava decus & laus prima Camœnæ,
Fontis inexhaustum flumen Apollinei:
Sperne truces vultus, tibi quos Maxentius offert,
Gestaque per Latium bella cruenta solum.
Cur Licini cantare minas & castra laboras?
Aut Helena sacras ante sepulchra faces?
Cur Constantino gaudes comes ire per orbem?
Et magnum mundi sistere sede Ducem?
Da veniam bellis. satis est scripsisse renatum,
Exstincta veterum relligione, Deum.
Paulisper jam vive tibi. tibi quære maritam,
Et post castra, velis mitia castra sequi.
Quin aliam thalamis Helenam genialibus infer,
Verbaque quæ recites mollia dictet amor.
Ipse tuos canta plectro leviore furores,
Et viduæ loculos ingeniumque tuæ.
Sic tibi Constantinus eris, sic conjuge lætus
Finge Minervinam te sociasse tibi.
Invenies signum, quo possis vincere. verum
Ne tibi sit conjux crux, sapienter ama.

Ad Amplissimum Virum
D. THEODORVM van OS,
Aggerum Bamæstræ Præfectum, cum prædio suo me peramanter excepisset.

VIximus in mediis totique reviximus agris.
Hic ubi pandit opes pulchra Bamæstra suas.
Vidimus Arctoæ passim miracula terræ,
Vidimus humanæ facta stupenda manus,
Et campos, ubi pontus erat, fluctusque, lacusque,
Et pedibus magnæ Tethyos arva teri.
Stant villæ, surguntque domus & prædia, quâ se
Abdidit in gelidis plurima Naias aquis.
Prata virent, ubi vela suis Palinurus in undis,
Intrepidumque ferox navita fecit iter.
Pro rate jam curru vehimur, pro puppe caballis,
Et sonitu quatimus quadrupedante solum.
Terrarum Batavi fabri sumus. æquora freno
Stringimus, & stagnis jura superba damus.
Hic tutis habitas, Ossi lepidissime, pratis,
Ingeribusque tuis aggeribusque præes.
Deliciasque facis blandis facundus amicis.
Et socio nescis tristia vate loqui.
Vive Bamæstra tuo sub præside, vivite campi,
Vive Domus, Domino sed minor ipsa tuo.
Vive Domus, quæ tunc poteris fœcunda videri,
Cum Dominæ cupies basia ferre novæ.

IN OBITVM IACOBI BAECKII, I. V. L.

GRande decus Iuvenum, Baecki, quo sospite candor
Vixit & erecta simplicitatis amor,
Lingua meæ concors lingua, mens congrua menti,
Et lateris toties assecla fide mei.

Cui

Cui cura fuit, apta loqui; ſapuiſſe, decorum.
Nec ſine delectu res didiciſſe, labor.
Seu per Apollineos raperet nos fabula colles,
Et celerem traherent otia docta diem:
Seu nos Auriacæ recrearent pralia dextræ,
Fataque Naſſovii proſperiora Ducis:
Cur moreris, dilecte, prior? gaudeſque beatus
Theſea Pirithoo diſſociaſſe tuo?
Cur moreris? cui ſe pietas devovit alumno.
Cur moreris Iuris regula viva tui?
Ah, marces, ſolidæque labat ſtructura Iuventæ,
Et calor exucco corpore totus abit.
Cui Doctrina ſuos pandit non una penates,
Occidis, & minus hoc, plurima noſſe, putas.
Dum membris flammæque ſuus ſubducitur humor,
Parte tui ſoſpes nobiliore, viges.
Sic tereris, vireſque capis; ſurgiſque cadiſque.
Et ſocio vadunt morſque ſaluſque gradu.
Permutas terra Superos, mortalibus aſtra,
Et Chriſto volupe eſt, jam propiore frui.
Stat genitor, ſtat mœſta parens, fratreſque ſororque,
Et ſtupet ad vultus turba propinqua tuos.
O felix. ſua cui facies mundique bonorum
Diſplicuit, facies ſufficit una Dei.

AD HVGENIOS
Fratres Strena.

IAnus adeſt bifrons annumque inſpectat utrumque,
Quem lapſum egreditur Phœbus & ingreditur.
Hoc precor, ut faciles vobis ex ordine menſes,
Aſtra, dies, quotquot permeat annus, eant.
Qui madidam præceps effundit Aquarius urnam,
Imbuat officiis pectora veſtra piis.
Quique premunt muti Ganymedis proxima piſces
Sidera, vos doceant verba diſerta loqui.

Cornibus

Cornibus insurgens Aries dum fronte minatur,
Pugnaces prohibet fratribus esse manus.
At qui pandit humum Taurus, Parnasia pandat
Atria & ingenii liberioris opes.
E Geminis si Castor equis, vel gaudeat armis,
Nemo tamen Pollux aut velit esse pugil.
Hi sunt Tyndaridæ, quorum concordia monstrat,
Non alia fratres vos quoque lege dari.
Cancer in excelso radians sublimis Olympo,
Illustrem vobis monstrat ad astra viam.
Magnanimos acuat Nemeæ leo. nolit ephebos
Virgo Themis semper virginitate frui.
Libra pares omnes videat virtutibus. annis
Posterior, studiis gestiat esse prior.
Scorpius Autumnos faciles promittit, & una
Vos animi fructus, corporis ille dabit.
Phillyrides Chiron magni præceptor Achillis,
Imbuat armorum relligione viros.
At cum se gelido lux contrahit in Capricorno,
Tot diffusa boni semina quisquis amet.
Quot cælum vobis facibus, quot signifer ardet,
Tot patriis omnes dotibus este pares,
Phœbe, quibus pueris tu sidera dirigis, illos
Belga sibi natos credat & esse tuos.

IN OBITUM
Amplissimi Clarissimique Viri
D. GVLIEL. STAACKMANS.

SIc patria vixisse juvat, cum funus & umbram
Plorat & emeritum patria tota virum.
Sic rexisse Scholas decori est, Phœbumque Deasque,
Cum dolet extinctum Palladis aula ducem.
Talis eras Frisii lumen, Staackmanne, Senatus,
Qui tua, sic moriens, publica busta facis.

Qua

Quæ tanti fuerint Belgis exordia belli,
Quis furor in tumidum strinxerit arma Tagum,
Et quam justa truces excusserit ira Philippos,
Seminaque ingentis principiumque mali,
Scripserat æternis labor & solertia chartis,
Et per te poterant abdita multa legi:
Cum te finis habet. supremaque linea rerum
Implicat exorsis ultima fata tuis.
Dum scriptor Mavortem aperis, in tempora pacis
Incidis, & Superum regna beatus adis.
Nullus ubi patriis terris instabit Iberus,
Aut gravis innocuis civibus hostis erit.
Nullus ubi Granvella Patrum suffragia spernet,
Calcarique volet nobilitatis apex,
Aut inscripta novas monstrabunt pilea partes,
Aut Dominos sannis sibilat aula suos.
Hos, Staackmanne, supervectus motusque vicesque
Exoptas Frisiis otia læta tuis.
Iamque Deo propior, gaudes cognoscere, Belgam
Placatum in medio figere rostra Tago.

IN NVPTIAS
secundas Clarissimi Viri,
IOHANNIS POLYANDRI
Sacræ Theologiæ Professoris.

Qualis cum socia magnus Iunone jocatur
Iupiter, & vultum suave procantis habet,
Aut sua Vestales componunt ora sorores,
Cum cœpit spreti forma placere viri;
Talis amas Polyandre senex: nec miles amoris
Faris Apollineæ verba severa scholæ.
Nec tua jam sacras fundit Facundia voces,
Aut solita mystam te gravitate probas.

Omnia

Omnia concedunt Veneri, gelidaque senecta
Exuvias conjunx officiosa rapit.
Vt novus Æetes possis, alterque videri
Alloquio, forma, virginitate Phaon.
Sic dudum desueta placent. tedasque reposcis,
Quaque micant flamma languidiore faces.
Si tamen aqua minus sobolem Lucina negabit.
Nec poteris, quicquid mox potuisse voles,
Sufficiat saltem castum tepuisse cubile.
Sufficiat sobolis spe caluisse senem.

Ad Illustriss. & Generos. CHRISTOPHOR. à DHONA Præfectum Principatus Arausionensis.

Dum tua bellaces armat Germania Finnos,
Cæsareumque potens Suecia calcat ebur,
Lappionumque novis adsuescens vultibus Albis
Invitat profugos in sua regna duces:
Auriacas, Donæ, tenes tranquillior arces,
Et Rhodano gaudes proximiore frui.
Hinc procul, ut Gothicis victor Gustavus in armis
Militet, & pavidis horreat Ister aquis.
Et formidata trepident sub rege tiaræ,
Fluxaque mutato principe sceptra vides.
Vltoresque Deos, pavitantesque adspicis arces,
Victaque regali Martia castra manu.
Interea lætos tibi subdit Arausio fasces,
Præsidioque cupit tutior esse tuo.
Nescit Dhona dolos. ista se gente maritat
Cum bellatrici nobilitate fides.

Ad Ampliſſimum exactiſſimique ingenii virum
D. CORNELIVM GRAVIVM.

DVm mea, vah, lentæ depaſcunt corpora febres,
Et bilis ſtudiis incubat atra meis,
Tu mihi, tu fracto, toties ſolatia vati
Sufficis, & luces officioſe trahis.
Tempus erit, cum noſtra tuis Reſpublica curis
Creſcet, & optabit te ſupereſſe ſibi.
Si titulum meruit probitas, prudentia faſces,
Et populo ſapiens conſuluiſſe poteſt;
Deberis, Gravi, patriæ. me judice, jam nunc
Amſteliis poſſes verba ſevera loqui.
In te docta ſenem mens prævenit. optima ſuades,
Et juvenes inter nil juvenile ſapis.
A magno genitore fluis. virtutibus hæres
Naſceris, & digno ſemina patre trahis.
Qui cum defeſſa ſenior cervice quieſcet,
Donabit patriæ pignora tanta ſuæ.

De
CONCHIS.

OCeani ſpolium, quales Tritonia conjux
Sub vitreo ſenſim gurgite format opes,
Tot procul Eoo detritas æquore conchas,
Pulchraque tortilibus corpora turbinibus,
Adſpice non lævis oculis Barlæe, tuoque,
Quæ repſere prius, pollice tange domos.
Exuvias animalis habes, vacuoſque penates,
Et picturatis limina tincta notis.
Mutus in his nuper vixit penetralibus hoſpes.
Et graciles illic delituere feræ.

His

Hic lituis, his ipse tubis sua prælia Triton
Inchoat. hoc Nymphas convocat ore suas.
Hac medios inter strepuerunt classica fluctus,
Hac tumido ventos increpuere mari.
Non hac Lucrinis veniunt conchylia ripis,
Littoribus Catthus non habet illa suis.
Misit in Arctoum Ganges locupletior orbem,
Auriferisque vomit torridus Afer aquis.
Quid tectis Dis Haga tuis trabibusque superbis.
Aut precium celsas credis habere domos?
Plus nitidos cochleis tribuit natura penates.
Splendidior spretis piscibus aula patet.

In obſervationes Politicas IACOBI ZEVECOTII Ad L. Annæum Florum.

DVm formidatos extollis, Flore, Quirites,
Et genti loqueris grandia verba tuæ;
Excussos soliis audaci consule reges,
Et quæ pro populo jura Tribunus amat;
Rapta procul calidos victricia signa per Afros,
Rapta per Eoas Sarmaticasque plagas,
Imperiumque sua tandem sub mole fatiscens,
Et tot civili bella cruenta manu:
Roma stupet, tantoque tumens scriptore triumphat,
Et precium famæ non morientis habet.
At tu, qui propius monitis civilibus aulas
Instruis, & reges dogmata magna doces;
Egrederis Flori spatium; casusque potentum,
Et plenum exemplis grandibus edis opus.
E factis præcepta capis. fit regula recti
Miles, & hac clypeos utilitate probat:
Arma juvant sic lecta domi. Bellona magistra est,
Et totas formant effera castra Scholas.

Ite procul steriles doctorum ex ordine linguæ,
Et qui jejuna faris in historia.
Hoc pulchrum est, monuisse duces. hic explicat arma,
Qui fugienda suis & facienda notat.

Ad Amplissimum Virum
GVILIEL. BARTELOTTVM,
Mercatorem, Sponsum.

Non tibi Erythræo petitur jam gemma profundo,
Aut procul Eoa sollicitantur opes.
Triptolemi jam cura jacet. jacet Indus & Auster,
Quasque tibi merces advehit unctus Arabs.
Hetrusci mandata silent & jussa potentum,
Nec calamos lassant extera regna tuos.
Anchora mordet humum, & positis tot carbasa velis
Gratantur domino sidera pulchra suo.
Quem ratibus premis Oceanus, quem Nerea sulcas,
Pro te, pro Sponsæ Virgine vota ferunt.
Bartelotte, nova melior vectura marita est,
Vna peregrinas Harpia vincit opes.
Illa tibi ratis est, & amabilis aura Favoni,
Illa tuo Tethys apta reperta thoro.
Illa, (poëtarum vox est) faustissima surget
Tyndaris, & thalamis inferet astra tuis.
Tyndaridas quin ipsa dabit, materque leporum
Basiolis duros leniet æqua dies.
Tu Triton, tu Tiphis eris, tu rector amantis
Conjugii fluctus cum ratione reges.
Qui rate, quæ tali vehitur per nubila mundi
Remige, securum per mare currit iter.

BEVERORVM ELOGIA.

I.

GVLIELMVS de BEVEREN,

Dan. F. Guliel. Conſ. N. Senator.

Continuat veteres Beverûm Gulielmus honores,
Et genus à priſca nobilitate capit.
Quæ Bavaros Fortuna Duces, exercuit illos;
Et Comites potuit demeruiſſe ſibi.
Præluxit Rudolphus Eques, titulisque nepotum
Prætulit & ſtirpi Martia ſcuta ſuæ.
Bellaces noſtis Friſii; cùm ſceptra Batavûm
Aſſeruit tanta provida cura domus.
His noſter ſe tollit avis. hac inclyta gaudet
Stemmata non dubio ſe tetigiſſe gradu.
Quin Doctrina comes claris natalibus ivit.
Hoc majus precium credidit eſſe ſui.
Ille tuus meruit dici, Durdrechta, Senator.
Cui tua libertas debeat, ille fuit.
Huic debes obſeſſa viro. Brabantia cùm te,
Et ſignis premerent undique caſtra ſuis.
Quod ſi Burgundo laus eſt placuiſſe Philippo,
Et voluit civi Dux Bonus eſſe bono;
Exemplum cape poſteritas. bella inter & arma
Et mediâ Patriæ profuit ille togâ.
Pro Belgis pugnent alii. qui tempore duro
Pugnanti Batavo conſulit, arma juvat.

II.

GVLIELMVS de BEVEREN, Iacobi F.

MErserat Australes funestis fluctibus agros
Totque ferox latè sorpserat unda lares.
Deseruêre domos Satyri; trux undique Nereus,
Vndique crudeles incubuistis aquæ.
Quæque solo nocuistis aquæ, tot stemmata juxta,
Et veteres undis occuluistis avos.
Emersit Beverûm genus, Oceanique furores
Sprevit & æquoreas stirps generosa minas.
Hic vir, hic est, qui certa suæ vestigia gentis
Vindicat, & fatis eximit illa suis.
Arcta nimis patria est. Asiam perlustrat & urbes.
Pressa peregrino Barbara regna pede,
Pergamaque, & quondam Priami domus, Ilium, &
Inter Achilleos diruta Troia rogos. (ingens
Calcati Solymæ colles, venerandaque Christi
Limina, quæ passum detinuêre Deum.
Excepit reducem Batavus, totque inter honores
Secretis voluit consuluisse suis.
Austriaci coluere Duces, & Saxonis Aula.
Iamque domi potuit, jam placuisse foris.
Tu Durdrechta potens sidus venerare sepultum,
Nec cineri cupias nolle favere pio.
Hoc precio mœret Probitas. tunc posthuma gliscit,
Cum famâ grata posteritatis ovat.

III.
CORNELIVS de BEVEREN
Petri F. Consul.

TE, Bevert, magno natum genitore Batavus
Suspicit, & famâ non moriente vehit.
Tu Ducis Albani rabiem, tu tela repellis
A Dordracenis sanguinolenta focis.
Efferus in sociam cùm se Bossusius urbem
Funderet & trepidis Rottera fleret aquis.
Ipse tuis Batavûm nixus cervicibus Atlas
Fulsiit afflicta relligionis onus.
Te praeunte aperit sacras Ecclesia portas.
Consule te, purum reddidit illa Deum.
Dumque serenatos, reduci sub Principe, vultus
Belga capit, studiis militat ille tuis.
Quid toties Marti jactas Vrbs Martia fasces?
Quid toties Sullæ vota precesque facis?
Sæpius hoc redeunt sub Dictatore secures.
Et quater hoc uno Consule civis ovat.
Sic vixit. neque mox dispar morientis imago est.
Excipit extremos Curia mœsta sonos.
Hic moritur; languensque inter subsellia sensim
Deficit, & gaudet Consulis ore mori.
Si medias inter Decii cecidere phalangas;
Hic inter Patria munia rector obit.

IV. COR-

IV.

CORNELIVS de BEVEREN

EQVES.

GVLIELM. Conf. F. CORN. Conf.N. IV. Conful & Auftralis Hollandiæ Quæftor.

QValis in Eoum volucris Titania Solem
Verfa, renidentes difsipat igne focos;
Vt pofitâ redeat foboles, poft fata, fenecta,
Extincto foboles non aliena patri:
Talis ab eximio proles laudata parente
Nafcitur, & magnum nomine reddit avum.
Hac Batavûm patriis implet virtutibus orbem,
Et ferum docta prævenit arte fenem.
Huic rigidas præfert lictorum turba fecures,
Et Latii fpeciem fuftinet imperii.
Publica congeftos referant æraria cenfus,
Et Beveri crefcunt uberiora fide.
Induit ille Deos animo, Phœbumque, Theminque,
Et titulis addit numina tanta fuis.
Delitium, Durdrechta, tuum. qua pectore in ifto
Iam modo defuncti cuncta parentis habes.
Cui gravis exactam format Prudentia mentem,
Et non fucata relligionis amor;
Iam Patria donat mediis fuffragia bellis.
Iam pia, fed tuta, nomina pacis amat.
Iam procul externum defert mandata per Albim,
Iam Batavâ tangit Cimbrica fceptra manu,
Aut gelida dictat Regi fua verba fub Arcto.
Extera dum prudens regna fequefter adit.
Huic Lachefis annos lentè fi neverit, in fe
Virtutes generis colliget Ille fui.

EPITAPHIUM,

Sacrum memoriæ Nobilis summique viri,

LAURENTII REAEL,

Equitis, non uno munere domi forisque functi.

HIc recubant magni cineres & busta Realî,
Martia quem coluit Memnonis aula Ducem,
Et formidata Dominum sensere Molucca,
Cum procul Eoo sub Iove jura daret.
Mercurium Phœbumque rudes transmisit ad Indos.
Illius auspiciis vendidit, hoc sapuit.
Ivit Musa comes bellis, interque sarissas
Nobile bellatrix dextera scripsit epos.
Quin superis cœlique plagis astrisque vacavit,
Sideraque ingenio vidit amica suo.
Hoc emptore Arabum vexit pater Amstela merces,
Persarumque gravis messibus Ya stetit.
Legatus Reges adiit. jussuque Potentum
Hesperio posuit castra Britanna solo.
Asseruit pontum ratibus, virtutibus urbem,
Rostra; reos justis vocibus, arte Scholas.
Quo rectore foris crevit Respublica, crevit
Hoc etiam patriæ res moderante domi.
Pro Batavis toties & libertate locutus,
Hæc eadem vellet jam quoque posse loqui.

ALLOCVTIO FVNEBRIS,

ad Nobilissimum Dominum,

D. CORNELIVM MYLIVM,

Equit. Dominum vander Myle,&c.

QVi Patriæ flos nuper eras, tutela Minervæ,
Et fulgens Batavæ Nobilitatis honos;
Auriaco dilecte Duci, dilecte Poëtis,
Omnibus erecta simplicitate placens;
Insontis mensura boni, mens nescia frangi,
Et conjuratis succubuisse malis:
Has terras, ubi fastus habet sua regna, relinquis,
Invidiaque senex pallida tecta fugis.
Non Reges legatus adis, donaris Olympo.
Post Venetos, Superis fas tibi posse loqui.
Borbonii tactus radiis, jam tangeris astris
Altior; & vultu splendidiore nites.
Inter sceptra Deûm graderis, turresque potentum
Despicis & nostros, verba remissa, Ioves.
Non hic rura atavûm numeras, sed præmia recti.
Atque aliquid majus Principis ore vides.
Differt Fama decus. partem capit Adria, partem
Sequana. plus tanto Præside Rhenus ovat.
Vnius sic terra viri est. quia scriberis omni.
Excitat hæc vates laudis arena tuos.
Obruimur rerum cumulo. facundia Phœbo
Deficit, & grandes conticuere tubæ.
Iungitur Heroum privato caussa dolori.
Et gravis est Celso tanta ruina Duci.
Nobilium marcent apices. ferale Lycæum est.
Palladis exstinctæ stant sine luce faces.
Mœret equus, læsique memor nunc Ordinis, exit
Tristior, & guttis grandibus ora rigat.

Quin procul hinc lachrymis Alpina cacumina stillant.
Purpuraque Euganeis Patribus atra riget.
Qua Myli chartasque meas vellare solebant,
Funeris ad famam dispeniere, nives.
Me luctus jubet esse brevem. suspiria fontes
Et latices siccant publica damna meos.
Adstringor, velut acre gelu. neque fusa vagantur
Carmina, per laxas præcipitata vias.
In cumulum dolor unus agit Phœbumque Deasque.
Et tuus in punctum truditur amplus honos.
At vos, qui cineres, etiam me tollite vatem.
Nunc animæ possim prodigus esse meæ.
Dum squallent Schola, civis, ager, cum Principe Pa-
Omne solum tumulus creditur esse mihi. (tres,

IN NVPTIAS
Præstantissimorum Fratrum, & lectissimarum Virginum,
RODOLPHI BICKERI,
ET
AGATHÆ FLAMINGÆ:
NEC NON
IACOBI BICKERI,
ET
ALETHÆ BICKERÆ.

Qualis si socio germanus Castore Pollux
Issent ad Paphii pronuba templa Dei,
Vndique Tyndaridis plausissent compita Sponsis,
Et gavisa soror Tyndaris ipsa foret:
Talis amas fratri socius, Bickere, manusque
Idalia Fratres jungitis æde pares.
Illuxere faces thalamis, matrumque virûmque
Agmina jam toto perstrepuere foro.

Conve-

Convenere domus magna, stirpesque, patresque,
Amstela queis fasces debet & Ta suos.
Si genitor Sponsis non est rex Iupiter, ecce,
Mox socer ambobus, pro Iove, Consul erit.
Nubunt egregiæ geminis sine labe puellæ,
Sorte, pudicitia, virginitate pares.
Nubunt, & sterilis proscribunt oscula lecti,
Hac etiam geminæ condicione pares.
Altera facundi proles generosa Flamingi.
Altera Bickero patre modesta placet.
Vtraque vestitur propriis insignibus uxor,
Vtraque se pulchro lumine sponsa probat.
Nobile par Fratrum, pariles opibusque domoque,
Moribus, & dignæ gentis honore pares,
Cetera cuncta pares, discordes vivite in uno:
Basiolis Fratres vivite disparibus.

AD POELGEESTAM
Minorem, cum me valetudinarium ibidem perhumaniter excepisset Nobilissimus

D. SCHONCKIVS.

PArvula, quæ magnam titulis, Poelgeesta, lacessis,
Parvula, sed feudis clarior una tuis:
Villa, sub irrigui ripis gratissima Rheni,
Proxima quam placido lumine Leida videt:
Alter ubi nasci cuperet cum Pallade Phœbus,
Natalesque volet Iupiter esse suos:
Salve villa, meis requies placidissima curis.
Salve villa meis certa medela malis.
Tu rigidas toto depellis corpore febres,
Nec sinis has ultrà vatibus esse graves.
Tu vires animumque mihi, tu robora reddis,
Et stimulum Musis subdis amica meis.

Æternùm Poelgeesta vire. nec iniqua beatos
Inficiat pravis febribus aura lares.
Sospite sis sospes Domino. tectisque sub istis
Alma Salus sedes deligat ipsa suas.
Æger ubi vates vitam sibi reddidit, illic
Febribus & morti non cupit esse locum.

GENETHLIACON
in Natalem Filioli, Nobilissimi viri
D. DANIELIS SCHONCKII,
Poelgeestæ minoris Domini.

NAscere parve puer, non inficiande parenti,
Nascere patris amor, nascere matris amor.
Felices ordire dies, & nomina Schonckî
Fac alio per te sæpe nepote coli.
En tua Pegasides circum cunabula Musæ
Vota ferunt vitæ prosperiora tuæ.
Agnoscit te Leida suum. te magnus Apollo
Vult etiam doctos inter habere locum.
Nasceris Aonides inter Phœbumque Deasque
Castaliosque bibit cæca juventa lacus.
Ipsa tuo jam nunc Pietas se pectore totam
Abdit & in tenero Gratia corde latet.
Quæ placidos formet generosa modestia mores,
Iam volet indiciis emicuisse suis.
Cresce puer, curaque dies præverte viriles,
Et cum vir fueris, fac videare senex.
Quæ patriæ soboles, quæ cœlo devovet annos,
Nascitur illa sibi, nascitur illa Deo.

Ad Nobilissimam pulcherrimamque Virginem,

D. VVENDELAM BERCHEMIAM,

Doesburgi ad fossam Drusi habitantem.

WEndela, quæ cirris faciem circundata pulchris,
VVendela, quæ roseis stas speciosa genis,
VVendela, quæ recto libras tua corpora gressu,
Qualis iit sociis Dëianira procis ;
VVendela, quæ niveas abscondis veste mamillas,
Et timida gaudes virginitate frui ;
VVendela, quam gratis generosa modestia pingit
Moribus, at gratam plus facit ipse pudor :
Cur Drusi fossas habitas pugnacis & urbem,
Mæniaque armatis sanguinolenta viris ?
Nil tibi cum Mavorte rei est, telisque tubisque.
Arma gerant alii, VVendela semper ama.
Vultus, amor, vestis, fluidi per colla capilli,
Omnia sunt Veneris lusibus apta magis.
In Batavis habita. disces tunc VVendela amari.
Hæc Venus & Veneris possidet arva puer.
Ne Druso placuisse velis. amplectere Phœbum ,
Et te Leucothoen mox volet esse suam.

In insignia

IOH. SCOTI TARVISET,

Cancellariæ Scotiæ directoris salinis insculpta.

QVi procul Arctoas bellator vergit in oras,
In tenebris modico lumine Scotus agit.
Parrhasiamque videt longis sub noctibus Vrsam,
Et procul à Phœbo solstitiisque jacet.

Hos inter populos, illustris Scote, refulges
Totque faces inter Cynthius ipse micas.
Discutis ingenio tenebras. nomenque solumq
Irradiat fama lux veneranda tua.
Publica si loqueris, luces ceu Cynthia regno.
Si privata, tuum Scotia sidus amat.
Si vatum decus & Musarum sacra laborant,
Pierios vates Pieridasque foves.
Annulus es, gelidumque tuis virtutibus axem
Percutis, & duro sub Iove gemma nites.
Quosque jacit radios adamas, sunt fulgura re
Ingeniique, senex, fulgida signa tui.
Hæc jam cuncta tuis splendent insculpta salinis.
Meque jubent Borei plus meminisse soli.
Das Lunam mihi, das stellas. insignia gentis.
Num dare quid majus Iuppiter ipse queat.

In librum Epistolarum Clarissimi REINERI NEVHVS Rectoris Scholæ Alcmarianæ.

MAgne vir & Frisiis nuper celeberrime t
Cujus Apollineum Musa lacessit eb
Qui Cirrham colis & plena Permesside
Proluis & toto das Helicone frui:
Mutasti cum gente solum, cum sidere terras,
Et propior Batavis vis habitare meis.
Ingenio, quod dulce tibi est, non una voluptas
Sufficit, & latè mentis arena patet.
Iam tenera rector moderaris frena juventæ,
Barbariesque tuo discit ab ore loqui.
Auspice te prætexta sapit, gestitque renasci
Almerius vestra sedulitate puer.
Iam sua, Neuhusi, pandunt tibi templa Camenæ.
Et Clariis vates cingeris ordinibus.

Iam

ELEGIA

er Apollo est.
novem.
us apricis
nus habet.
alesque
gena.
ue sacerdos
e suas.
voramus.
edit.
quum est
uum.

ARCEM

N E S,

nsigne, ad

MARIAM

qua cincta tabellis
;
spectacula partes,
ites.

regna,

equum.
ndis,

ax,

exis,
s amat.

Iamque

Hic lituis, his ipse tubis sua prælia Triton
Inchoat. hoc Nymphas convocat ore suas.
Hæc medios inter strepuerunt classica fluctus,
Hæc tumido ventos increpuere mari.
Non hæc Lucrinis veniunt conchylia ripis,
Littoribus Catthus non habet illa suis.
Misit in Arctoum Ganges locupletior orbem,
Auriferisque vomit torridus Afer aquis.
Quid tectis Dis Haga tuis trabibusque superbis,
Aut precium celsas credis habere domos?
Plus nitidos cochleis tribuit natura penates.
Splendidior spretis piscibus aula patet.

In observationes Politicas IACOBI ZEVECOTII Ad L. Annæum Florum.

DVm formidatos extollis, Flore, Quirites,
Et genti loqueris grandia verba tuæ;
Excussos soliis audaci consule reges,
Et quæ pro populo jura Tribunus amat;
Rapta procul calidos victricia signa per Afros;
Rapta per Eoas Sarmaticasque plagas;
Imperiumque sua tandem sub mole fatiscens,
Et tot civili bella cruenta manu:
Roma stupet, tantoque tumens scriptore triumphat,
Et precium famæ non morientis habet.
At tu, qui propius montis civilibus aulas
Instruis, & reges dogmata magna doces;
Egrederis Flori spatium; casusque potentum,
Et plenum exemplis grandibus edis opus.
E factis præcepta capis: fit regula rectis,
Miles, & hac clypeos utilitate probat:
Arma juvant sic lecta domi: Bellona magistra est,
Et totas formant effera castra Scholas.

Itæ

Ite procul steriles doctorum ex ordine linguæ,
Et qui jejuna faris in historia.
Hoc pulchrum est, monuisse duces. hic explicat arma,
Qui fugienda suis & facienda notat.

Ad Amplissimum Virum
GVILIEL. BARTELOTTVM,
Mercatorem, Sponsum.

NOn tibi Erythræo petitur jam gemma profundo,
Aut procul Eoa sollicitantur opes.
Triptolemi jam cura jacet. jacet Indus & Auster,
Quasque tibi merces advehit unctus Arabs.
Hetrusci mandata silent & jussa potentum,
Nec calamos lassant extera regna tuos.
Anchora mordet humum, & positis tot carbasa velis
Gratantur domino sedera pulchra suo.
Quem ratibus premis Oceanus, quem Nerea sulcas,
Pro te, pro Sponsa Virgine vota ferunt.
Bartellotte, nova melior vectura marita est,
Vna peregrinas Harpia vincit opes.
Illa tibi ratis est, & amabilis aura Favoni,
Illa tuo Tethys apta reperta thoro.
Illa, (poëtarum vox est) faustissima surget
Tyndaris, & thalamis inferet astra tuis.
Tyndaridas quin ipsa dabit, materque leporum
Basiolis duros leniet æqua dies.
Tu Triton, tu Tiphis eris, tu rector amantis
Conjugii fluctus cum ratione reges.
Qui rate, qua tali vehitur per nubila mundi
Remige, securum per mare currit iter.

BEVERORVM ELOGIA.

I.

GVLIELMVS de BEVEREN, Dan.F.Guliel.Conf.N.Senator.

Continuat veteres Beverûm Gulielmus honores,
Et genus à prisca nobilitate capit.
Quæ Bavaros Fortuna Duces, exercuit illos;
Et Comites potuit demeruisse sibi.
Præluxit Rudolphus Eques, titulisque nepotum
Prætulit & stirpi Martia scuta suæ.
Bellaces nostis Frisii; cùm sceptra Batavûm
Asseruit tanta provida cura domus.
His noster se tollit avis. hac inclyta gaudet
Stemmata non dubio se tetigisse gradu.
Quin Doctrina comes claris natalibus ivit.
Hoc majus precium credidit esse sui.
Ille tuus meruit dici, Durdrechta, Senator.
Cui tua libertas debeat, ille fuit.
Huic debes obsessa viro. Brabantia cùm te,
Et signis premerent undique castra suis.
Quod si Burgundo laus est placuisse Philippo,
Et voluit civi Dux Bonus esse bono;
Exemplum cape posteritas. bella inter & arma
Et mediâ Patriæ profuit ille togâ.
Pro Belgis pugnent alii. qui tempore duro
Pugnanti Batavo consulit, arma juvat.

II.

GVLIELMVS de BEVEREN,

Iacobi F.

MErserat Australes funestis fluctibus agros
Totque ferox latè sorpserat unda lares.
Deseruêre domos Satyri; trux undique Nereus
Vndique crudeles incubuistis aquæ.
Quæque solo nocuistis aquæ, tot stemmata juxta,
Et veteres undis occuluistis avos.
Emersit Beverûm genus, Oceanique furores
Sprevit & æquoreas stirps generosa minas.
Hic vir, hic est, qui certa suæ vestigia gentis
Vindicat, & fatis eximit illa suis.
Arcta nimis patria est. Asiam perlustrat & urbes.
Pressa peregrino Barbara regna pede,
Pergamaque, & quondam Priami domus, Ilium, &
Inter Achilleos diruta Troia rogos. (ingens
Calcati Solymæ colles, venerandaque Christi
Limina, quæ passum detinuêre Deum.
Excepit reducem Batavus, totque inter honores
Secretis voluit consuluisse suis.
Austriaci coluere Duces, & Saxonis Aula.
Iamque domi potuit, jam placuisse foris.
Tu Durdrechta potens sidus venerare sepultum,
Nec cineri cupias nolle favere pio.
Hoc precio mœret Probitas. tunc posthuma gliscit,
Cum famâ gratæ posteritatis ovat.

III.
CORNELIVS de BEVEREN
PETRI F. Consul.

TE, Bevert, magno natum genitore Batavus
Suspicit, & famâ non moriente vehit.
Tu Ducis Albani rabiem, tu tela repellis
A Dordracenis sanguinolenta focis.
Efferus in sociam cùm se Bossusius urbem
Funderet & trepidis Rottera fleret aquis.
Ipse tuis Batavûm nixus cervicibus Atlas
Fulsiit afflicta relligionis onus.
Te praeunte aperit sacras Ecclesia portas.
Consule te, purum reddidit illa Deum.
Dumque serenatos, reduci sub Principe, vultus
Belga capit, studiis militat ille tuis.
Quid toties Marii jactas Vrbs Martia fasces?
Quid toties Sullæ vota precesque facis?
Sæpius hoc redeunt sub Dictatore secures.
Et quater hoc uno Consule civis ovat.
Sic vixit. neque mox dispar morientis imago est.
Excipit extremos Curia mœsta sonos.
Hic moritur; languensque inter subsellia sensim
Deficit, & gaudet Consulis ore mori.
Si medias inter Decii cecidere phalangas;
Hic inter Patriæ munia rector obit.

IV.
CORNELIVS de BEVEREN
EQVES.
GVLIELM. Conf. F. CORN. Conf. N. IV. Conful & Auftralis Hollandiæ Quæftor.

Qvalis in Eoum volucris Titania Solem
Verfa, renidentes difsipat igne focos;
Vt positâ redeat foboles, poft fata, fenecta,
Extincto foboles non aliena patri:
Talis ab eximio proles laudata parente
Nafcitur, & magnum nomine reddit avum.
Hac Batavûm patriis implet virtutibus orbem,
Et ferum docta pravenit arte fenem.
Huic rigidas præfert lictorum turba fecures,
Et Latii fpeciem fuftinet imperii.
Publica congeftos referant araria cenfus,
Et Beveri crefcunt uberiora fide.
Induit ille Deos animo, Phœbumque, Theminque,
Et titulis addit numina tanta fuis.
Delitium, Durdrechta, tuum. quæ pectore in ifto
Iam modo defuncti cuncta parentis habes.
Cui gravis exactam format Prudentia mentem,
Et non fucata relligionis amor;
Iam Patria donat mediis fuffragia bellis.
Iam pia, fed tuta, nomina pacis amat.
Iam procul externum defert mandata per Albim,
Iam Batavâ tangit Cimbrica fceptra manu,
Aut gelida dictat Regi fua verba fub Arcto.
Extera dum prudens regna fequefter adit.
Huic Lachefis annos lentè fi neverit, in fe
Virtutes generis colliget Ille fui.

EPITAPHIUM,

Sacrum memoriæ Nobilis summique viri,

LAURENTII REAEL,

Equitis, non uno munere domi forisque functi.

Hic recubant magni cineres & busta Reali,
Martia quem coluit Memnonis aula Ducem,
Et formidata Dominum sensere Molucca,
Cum procul Eoo sub Iove jura daret.
Mercurium Phœbumque rudes transmisit ad Indos.
Illius auspiciis vendidit, hoc sapuit.
Ivit Musa comes bellis, interque sarissas
Nobile bellatrix dextera scripsit epos.
Quin superis cœlique plagis astrisque vacavit,
Sideraque ingenio vidit amica suo.
Hoc emptore Arabum vexit pater Amstela merces,
Persarumque gravis messibus Ya stetit.
Legatus Reges adiit. jussuque Potentum
Hesperio posuit castra Britanna solo.
Asseruit pontum ratibus, virtutibus urbem,
Rostra; reos justis vocibus, arte Scholas.
Quo rectore foris crevit Respubica, crevit
Hoc etiam patriæ res moderante domi.
Pro Batavis toties & libertate locutus,
Hæc eadem vellet jam quoque posse loqui.

ALLO-

ALLOCVTIO FVNEBRIS, ad Nobilissimum Dominum, D. CORNELIVM MYLIVM, Equit. Dominum vander Myle, &c.

Qui Patriæ flos nuper eras, tutela Minervæ,
Et fulgens Batavæ Nobilitatis honos;
Auriaco dilecte Duci, dilecte Poëtis,
Omnibus erecta simplicitate placens;
Insontis mensura boni, mens nescia frangi,
Et conjuratis succubuisse malis:
Has terras, ubi fastus habet sua regna, relinquis,
Invidiaque senex pallida tecta fugis.
Non Reges legatus adis, donaris Olympo.
Post Venetos, Superis fas tibi posse loqui.
Borbonii tactus radiis, jam tangeris astris
Altior; & vultu splendidiore nites.
Inter sceptra Deûm graderis, turresque potentum
Despicis & nostros, verba remissa, Ioves.
Non hic rura atavûm numeras, sed præmia recti.
Atque aliquid majus Principis ore vides.
Differt Fama decus. partem capit Adria, partem
Sequana. plus tanto Præside Rhenus ovat.
Vnius sic terra viri est. quia scriberis omni.
Excitat hæc vates laudis arena tuos.
Obruimur rerum cumulo. facundia Phœbo
Deficit, & grandes conticuere tubæ.
Iungitur Heroum privato caussa dolori.
Et gravis est Celso tanta ruina Duci.
Nobilium marcent apices. ferale Lycæum est,
Palladis exstinctæ stant sine luce faces.
Mœret equus, læsique memor nunc Ordinis, exit
Tristior, & guttis grandibus ora rigat.

Quin procul hinc lachrymis Alpina cacumina stillant.
Purpuraque Euganeis Patribus atra riget.
Qua Mylii chartasque meas vectare solebant,
Funeris ad famam dispeniere, nives.
Me luctus jubet esse brevem. suspiria fontes
Et latices siccant publica damna meos.
Adstringor, velut acre gelu. neque fusa vagantur
Carmina, per laxas præcipitata vias.
In cumulum dolor unus agit Phœbumque Deasque.
Et tuus in punctum truditur amplus honos.
At vos, qui cineres, etiam me tollite vatem.
Nunc anima possim prodigus esse mea.
Dum squallent Schola, civis, ager, cum Principe Pa-
Omne solum tumulus creditur esse mihi. *(tres,*

IN NVPTIAS
Præstantissimorum Fratrum, & lectissimarum Virginum,

RODOLPHI BICKERI,
ET
AGATHÆ FLAMINGÆ:
NEC NON
IACOBI BICKERI,
ET
ALETHÆ BICKERÆ.

Qualis si socio germanus Castore Pollux
Issent ad Paphii pronuba templa Dei,
Vndique Tyndaridis plausissent compita Sponsis,
Et gavisa soror Tyndaris ipsa foret:
Talis amas fratri socius, Bickere, manusque
Idalia Fratres jungitis ade pares.
Illuxere faces thalamis, matrumque virûmque
Agmina jam toto perstrepuere foro.

Conve-

Convenere domus magnæ, stirpesque, patresque,
Amstela queis fasces debet & Ta suos.
Si genitor Sponsis non est rex Iupiter, ecce,
Mox socer ambobus, pro Iove, Consul erit.
Nubunt egregiæ geminis sine labe puellæ,
Sorte, pudicitia, virginitate pares.
Nubunt; & sterilis proscribunt oscula lecti,
Hac etiam geminæ condicione pares.
Altera facundi proles generosa Flamingi.
Altera Bickero patre modesta placet.
Vtraque vestitur propriis insignibus uxor,
Vtraque se pulchro lumine sponsa probat.
Nobile par Fratrum, pariles opibusque domoque,
Moribus, & digna gentis honore pares,
Cetera cuncta pares, discordes vivite in uno:
Basiolis Fratres vivite disparibus.

AD POELGEESTAM
Minorem, cum me valetudinarium ibidem perhumaniter excepisset Nobilissimus

D. SCHONCKIVS.

PArvula, quæ magnam titulis, Poelgeesta, lacessis,
Parvula, sed feudis clarior una tuis:
Villa, sub irrigui ripis gratissima Rheni,
Proxima quam placido lumine Leida videt:
Alter ubi nasci cuperet cum Pallade Phœbus,
Natalesque volet Iupiter esse suos:
Salve villa, meis requies placidissima curis.
Salve villa meis certa medela malis.
Tu rigidas toto depellis corpore febres,
Nec sinis has ultrà vatibus esse graves.
Tu vires animumque mihi, tu robora reddis,
Et stimulum Musis subdis amica meis.

Æternùm Poelgeesta vire. nec iniqua beatos
Inficiat pravis febribus aura lares.
Sospite sis sospes Domino. tectisque sub istis
Alma Salus sedes deligat ipsa suas.
Æger ubi vates vitam sibi reddidit, illic
Febribus & morti non cupit esse locum.

GENETHLIACON in Natalem Filioli, Nobilissimi viri D. DANIELIS SCHONCKII, Poelgeestæ minoris Domini.

NAscere parve puer, non inficiande parenti,
Nascere patris amor, nascere matris amor.
Felices ordire dies, & nomina Schonckî
Fac alio per te sæpe nepote coli.
En tua Pegasides circum cunabula Musæ
Vota ferunt vitæ prosperiora tuæ.
Agnoscit te Leida suum. te magnus Apollo
Vult etiam doctos inter habere locum.
Nasceris Aonides inter Phœbumque Deasque
Castaliosque bibit cœca juventa lacus.
Ipsa tuo jam nunc Pietas se pectore totam
Abdit & in tenero Gratia corde latet.
Quæ placidos formet generosa modestia mores,
Iam volet indiciis emicuisse suis.
Cresce puer, curaque dies præverte viriles,
Et cum vir fueris, fac videare senex.
Quæ patriæ soboles, quæ cœlo devovet annos,
Nascitur illa sibi, nascitur illa Deo.

Ad Nobilissimam pulcherrimamque Virginem, D. VVENDELAM BERCHEMIAM, Doesburgi ad fossam Drusi habitantem.

VVEndela, quæ cirris faciem circundata pulchris,
VVendela, quæ roseis stas speciosa genis,
VVendela, quæ recto libras tua corpora gressu,
Qualis iit sociis Dëianira procis;
VVendela, quæ niveas abscondis veste mamillas,
Et timida gaudes virginitate frui;
VVendela, quam gratis generosa modestia pingit
Moribus, at gratam plus facit ipse pudor:
Cur Drusi fossas habitas pugnacis & urbem,
Maniaque armatis sanguinolenta viris?
Nil tibi cum Mavorte rei est, telisque tubisque.
Arma gerant alii, VVendela semper ama.
Vultus, amor, vestis, fluidi per colla capilli,
Omnia sunt Veneris lusibus apta magis.
In Batavis habita. disces tunc VVendela amari.
Hæc Venus & Veneris possidet arva puer.
Ne Druso placuisse velis. amplectere Phœbum,
Et te Leucothoen mox volet esse suam.

In insignia IOH. SCOTI TARVISET, Cancellariæ Scotiæ directoris salinis insculpta.

QVi procul Arctoas bellator vergit in oras,
In tenebris modico lumine Scotus agit.
Parrhasiamque videt longis sub noctibus Vrsam,
Et procul à Phœbo solstitiisque jacet.

Hos inter populos, illustris Scote, refulges
Totque faces inter Cynthius ipse micas.
Discutis ingenio tenebras. nomenque solumque
Irradiat fama lux veneranda tua.
Publica si loqueris, luces ceu Cynthia regno.
Si privata, tuum Scotia sidus amat.
Si vatum decus & Musarum sacra laborant,
Pierios vates Pieridasque foves.
Annulus es, gelidumque tuis virtutibus axem
Percutis, & duro sub Iove gemma nites.
Quosque jacit radios adamas, sunt fulgura recti.
Ingeniique, senex, fulgida signa tui.
Hæc jam cuncta tuis splendent insculpta salinis.
Meque jubent Borei plus meminisse soli.
Das Lunam mihi, das stellas. insignia gentis.
Num dare quid majus Iuppiter ipse queat.

In librum Epistolarum Clarissimi viri REINERI NEVHVSII, Rectoris Scholæ Alcmarianæ.

Magne vir & Frisiis nuper celeberrime terris,
Cujus Apollineum Musa lacessit ebur,
Qui Cirrham colis & plena Permesside Belgas
Proluis & toto das Helicone frui:
Mutasti cum gente solum, cum sidere terras,
Et propior Batavis vis habitare meis.
Ingenio, quod dulce tibi est, non una voluptas
Sufficit, & latè mentis arena patet.
Iam teneræ rector moderaris frena juventæ,
Barbariesque tuo discit ab ore loqui.
Auspice te prætexta sapit, gestitque renasci
Almerius vestra sedulitate puer.
Iam sua, Neuhusi, pandunt tibi templa Camenæ.
Et Clariis vates cingeris ordinibus.

Iam, quàm blanda suo Pylades perscribat Oresti,
Pirithousque suum Thesea scriptor amet,
Voce simul calamoque doces. stat littera testis
Federis & fidei pandit operta sua.
Te duce felices animis sociantur amici,
Quosque locus dirimit, jungit amantis amor.
Te duce facundi permutant verba sodales,
Dissimilisque licet dextera, sentit idem.
Debet amor tibi & indomita cultura juventa,
Debet inoffensam magnus Apollo chelyn.
Audiat hoc Batavus, Batavoque hoc dicat: Athenas
Atque aliam Alcmeriis surgere Phocin aquis.

Ad
ARCEM HEEMSTEDIAM,
cum prandio excepisset Serenissimam Augustissimamque Reginam, MARIAM de MEDICIS.

SPlendida quæ mediis Heemstedia surgis arenis,
Iam titulo surgis splendidiore, Domus.
Divertit Medicea tuis in turribus, & se
Hic patitur genitrix suspicienda coli.
Hospite prælustri frueris. dum regia conjux,
Dum tua tot Regum limina mater adit.
Qua graditur, vadunt Cosmi. qua cernis euntem,
Austriacos illac conspicis ire Duces.
Dic: mea rura placent Mariæ, sceptrisque suorum
Fulgida Majestas, se cupit esse minor.
Quæ Batavas ivit nuper Regina per urbes,
In Batavis mecum prandia sumit agris.
Imperio quæ jussa dedit legesque potenti,
Agricolam vultu respicit æqua meum.
Hoc credam fecisse Iovem, cum Creta Tonanti,
Et fesso villæ tot placuere Deo.

Ponite mortales fastum. Dis proxima Princeps,
Hic numen potuit dissimulare suum.

IN PARNASSVM,

Ex Autumni fructibus ingeniose congestum, in secundis mensis Nobilissimi viri

IACOBI CATSII,

studio sagacissimæ matronæ

CORNELIÆ HAVIÆ.

ADspice nascentes mensis genialibus hortos,
Adspice in Arctoo totum Helicona solo.
Græcia Parnassum Grajis mentitur in oris.
Parnassum in Batavis Havia docta facit.
Græcia Parnassum monstravit vatibus olim.
Havia Parnassum conficit una mihi.
Eminet in media generosa paropside laurus,
Et surgunt gradibus poma nucesque suis.
Pruna rubent & corna aliis pendentia ramis.
Turgent appositis Persica mala locis.
Berberis & coctis felix vindemia botris
Cernitur, & vultu discolor uva suo.
Quæ variis ornant florum redimicula sertis,
Carptaque prudenti permeat herba manu.
In Tenedo vivat Phœbus. nunc altera Pallas
Nascitur & mensis gaudia rara parat.
Hic ubi Dadelius lepido cum vate Senator
Prandet & innocuos fert sine bile jocos.
Hic ubi, cum Boio, pulchris Barlæus inerrat
Matribus & vidui conditione dolet.
Inter Dadelidem medius Boiamque locatus,
Ceu geminos inter magnus Apollo Deas.
Tum tacitus dixi mecum : hæc sunt altera Tempe.
Hic cuperem dentes sæpè locare meos.

Hic aliæ Aonides habitant, hic alter Apollo est.
Hic Musas explet Dadelis una novem.
Grajus amat versus. noster Parnassus apricis
Fructibus Autumni fercula plenus habet.
Carmina sunt risus lepidi, ludique salesque
Basiaque & tacta, sed sine labe, genæ.
Catsius hic aulas differt, Themidisque sacerdos
Rostra, scholas doctor negligit ipse suas.
Omnes Parnassum pariter per frusta voramus.
Hic aliquid vallis, culminis alter edit.
Omnes Parnassi natos in collibus, æquum est
Parnassi saturos fructibus ire domum.

In prædium

IACOBI van NES,

Pictis undique tabulis insigne, ad Sparam.

Parva domus, speciosa domus, quæ cincta tabellis
Delicias oculis ingeniosa facis;
Quàm mihi grata tuæ præbent spectacula partes,
Vndique quàm vario picta colore nites.
Cerno peregrinas nostro sub sidere terras,
Tot loca Battaviæ dissociata meæ.
Hic gelidos Boreæ montes & inhospita regna,
Saxaque Barlæi non adeunda pede.
Est ubi sublimi tollit se ponte viator,
Difficilique suum tramite ductat equum.
Est ubi tranquillis pauper piscator in undis,
Retia, sed sola spe luculenta, trahit.
Est ubi suspenso spolium fit casse scolopax,
Et tetrico Mœrin Tityrus ore videt.
Est ubi prata rudis pecori præcludit Alexis,
Et junctam lateri Phyllida Thyrsis amat.

Iamque alibi ex altis descendunt montibus undæ,
Præcipitatque suas Suecia celsa trabes.
Tolle oculos, volitat volucrum genus omne per auras,
Aeriasque secat discolor ala vias.
Hic ferus accipiter pedibus prædatur aduncis,
Hic modulos iterat dulcis alauda suos.
Passer amat. fringilla timet. se nuntia veris
Exhibet & mediis nubibus acta strepit.
Spara rates, virides monstrat vicinia campos.
Parte alia colles tollit arena suos.
Tum dixi: Bajis locus hic prælucet amœnis,
Nec meliore jacet Thessala terra situ.
Maxima sed pictus fecit ludibria bubo,
Quem circum volitans plurima ridet avis.
Sic sapiens, Nessi, populo ridetur ab omni.
Sic vates vulgi fabula sæpè sumus.
Sed cum Pallas amet vates ululasque, decorum est?
Si nos bubones plebs male sana putet.

IN ARCEM PURMERENDANAM, ad arcis ejusdem, urbis ac territorii Præfectum, FREDERICUM RICCIUM.

HÆ sunt in Frisiis exstructæ finibus arces.
Hæ tuus illustris Kermera limes erant.
Barbaricas sensere faces Cimbrûmque furores,
Cum nostro Boreæ incumberet ira solo.
Pulsavit geminum Tethys latus. inde Bamastra,
Parte alia tumidis Purmera fluxit aquis.
Mutasti, Neptune, domos, & Nerea circum
Et madidos pepulit Vesta Dryasque Deos.
Fecundis cinguntur agris tot cuncta procellis
Mœnia; quaque fuit pontus, arena viret.

Quisquis

Quisquis saxa vides, veteris vestigia secli,
Bellacesque Patrum suspice, Belga, manus.
Tunc quoque pro patria stetimus, templisque focisque,
Iustaque in adversos torsimus arma duces.
Asseruisse suos, laus est non unius ævi,
Libertas proavûm non sine cæde stetit.
Turribus his habitas, Ricci placidissime, nec te
Bella vel atroces hic posuere tubæ,
Sed vigil Astrææ facies, ulterque malorum
Ensis & audaci lanx metuenda reo.
Scilicet humanis peccantem legibus urbem
Instruis & populum vis tua jussa sequi.
Et quam Nortmannæ potuerunt perdere flammæ,
Restituis decori jam, Frederice, suo.
Dirue Barbaries Batavos irata penates.
Hoc rectore domus redditur ista sibi.

In natalem Ducis Andegavensis, LODOVICI GALLIARVM Regis Filii secundo geniti.

INclyta progenies & magnus nascitur infans.
Adspicit hæredem Gallia læta novum.
Sequana Borbonios numerat, recturaque serò
Lilia jam Dominis tuta duobus habet.
Si Delphine cadis, stant salvæ in fratre coronæ,
Si cadit hic, nondum Gallia regis eget.
Sic fati lethique vices, Lodovice, coërces,
Et Druidum gemino sidere fulget apex.
Atrebates cessere tibi. devictaque nuper
Mœnia bellaci succubuere manu.
Nunc augusta domus crescit. laurisque triumphans
Regia nascentes sufficit alma Duces.
In laudes Bellona tuas conspirat Amorque,
Vnaque Mavortis gloria & una thori est.

Te rectore ruunt urbes & regna. tuoque
Belliger intrepido vincitur ense Tagus.
Te genitore alios fundunt palatia reges,
Nec sibi, quæ regnent, sceptra deesse volunt.
Patris obis partes & digni Principis, & te
Inter bellorum fulmina Cypris amat.
Desine Gallorum terris instare, Philippe.
Quem regina ducem parturit, hostis erit.
Rex in te populos. at magna puerpera cunas
Armat, & Atridas fulgida mater alit.
Vive pater, patriisque tuos informet Iülos
Artibus & tota relligione Deus.
Vive parens regina, & dum tibi regna parantur,
Imperiis gignas fulcra verenda tuis.
Vivite Borbonii fratres, tot crescite votis,
Et veteres post se quisque relinquat avos.
Gallia quæ vobis cumulet præsagia, gestit
Iam valido junctus fœdere Belga loqui.

In infelicem primò, mox felicem Leporum, circa prædium Barlæi, capturam.

Venimus & laxis Leporem quæsivimus agris.
Vidimus attentis gressibus ire canes.
Edidimus miris strepitus barritibus, & qui
Nusquam erat in campis, terruimus leporem.
Calceus & multo caligæ mihi rore madebant.
Ocrea nam pedibus deerat Achiva meis.
Ivimus in partes, divisaque turba latentem
Quæsivit, sed non repperit ægra feram.
Hic tribulos, illic filicem pulsamus eundo,
Et tamen è latebris noluit ire lepus.
Quàm sapit hic, quam desipimus nos pone sequendo.
Qui nulla dominos nos regione prait.
Fallimur. & dictis insunt mendacia verbis.
Ecce fero leporem detinet ore canis.

Et

Et mox altera per campos fera capta molosso est,
Et duplici spolio dens furiosus ovat.
Dicite iô vates, Batavæ gaudete Camœnæ,
Barlæus leporem lentus amator habet.
Qui Venerem lentè, citius te Cynthia sector,
Tardigradusque domi, in gramine sum levipes.
Non possum viduam, possum venando tenere
Quadrupedem. causa est, hic timet, illa timet.
Dum timet hic, fugit & capitur. timet illa sequentem,
Iamque fatiscentem spernit iniqua virum.
Ite procul viduæ. lepus est captura poëtæ.
Hæc jacet antè meos victima grata pedes.
Hanc sortem, Barlæe, tibi debemus, & istas
Schoncki delitias officiose facis.
Ambobus Dryades benè dicite. numine vestro
Ille mihi campos commodat, ille canes.

In reditum Amplissimi viri D. GVILIELMI BORELII, Domini in Duynbeecke, postquam legatione apud Suecorum reginam defunctus esset.

IAm satis Arctoæ remoratus finibus oræ,
Iunxisti Batavis sceptra Ducesque tuis.
Audiit unanimis Belgi Christina labores,
Et tua Parrhasium verba notavit ebur.
Dixisti patriæ causam & bellacis Iberi
Robora, & à tacitis hostibus esse metum.
Libera deberi cunctis commercia terris,
Nec pelagi proprias regibus esse vias.
Quam Sueoni se Belga probet, quam consonet Arcto
Auster & alternis mercibus annus eat.
Tethyos & Vestæ pro libertate stetisti,
Et tua vox populi publica Suada fuit.

Obstu-

Obstupuit regina poli, Scritofinnus amavit,
Lappioque his nequiit vocibus esse ferox.
Ensifer Orion strictum tibi condidit ensem,
Et certam pugnax Vrsa spopondit opem.
Gustavi se terra tibi devovit & aquor,
Tutaque non uno Belgica rege manet.
Auriacis secura domi gens vincimus armis,
Invictosque foris purpura crebra facit.
Maxime Boreli, tua quid facundia possit,
Discimus, & sceptris, te praeunte, loqui.
Nestore te, sacra solvit se lite Visurgis,
Bremaque pacatum cœpit habere Ducem.
Nunc etiam Gothica repetunt sua federa rupes,
Et tibi quod longè debeat, Arctos habet.
Quod facimus, suasisse tuum est. legatus ad axem
Eloquio fulcis arma Ducesque tuo.
Sic stamus Batavi. nam quod non perficit ensis,
Aut fera Mavortis dextera, lingua facit.

IN OBITVM
Nobilissimi præstantissimique Iuvenis, HENRICI PLOOSII ab Aemstel, in Galliis peracerba suis morte exstincti.

GAllia, quæ nostris uniris fœdere terris,
Et Batavo validam porrigis una manum,
Quæ bellum commune geris, fortisque Philippi
Arces à sociis arma minasque tuis;
Cur immansueta Belgarum in pignora Parca,
Inque tuo sævit trux Libitina solo?
Cur rapis heroum sobolem & surgentia nobis
Sidera, Battaviæ fulcra futura meæ?
Amstelia stirpis juvenem cur invida tollis,
Et cupis his fatis illachrymasse patrem?

Fœde-

Fœderis hac pars est, tantos servasse nepotes,
Et patria dignas asseruisse domos.
Peccasti. luctum genitor vix decoquit. ipsa
Quod de te genitrix mœsta queratur, habet.
Hac tamen, hac magnis prabe solatia damnis,
Et facili crimen, Gallia, solve modo.
Si Pietas augusta tibi delubra recludit,
Hac pia defuncti corpora sede loca.
Si templum Probitatis habes, hoc fornice bustum
Virtutis referat pramia justa sua.
Si sacros referat fulgens Astraa recessus,
Hac quoque sint illo limina clara rogo.
Si placidas aperit generosa Modestia portas,
Hic generosa, precor, molliter ossa cubent.
Si spes, si pandit superis Sors lata penates,
Æde sub hac cineres Spes bona, Sorsque colant.
Aut si quas habitat, Pallas tibi condidit arces,
Non aliis claudi nobilis urna potest.
Omnibus his condi meruit penetralibus, in quo
Certatim juncta tot viguere Dea.
Sic, Ploosi, tibi fata favent, virtutibus ut jam
Exstinctis etiam congrua reddat humus.

Ad Amplissimum, humanissimumque Virum
D. IOHANNEM LOTVM,
cum me prædio suo in Bamestræ agro excepisset.

PRadia felicis Boreali sidere Loti
Pressimus & facili rura beata pede.
Hic ubi cum madida mutavit Naiade sedes
Faunus & excussis siccus inerrat aquis.
Stant turres surguntque domus, ubi navita nuper
Velifera potuit puppibus ire via.

Quadru-

Quadrupedesque solum quatiunt currusque rotaque
Grandis ubi quondam piscibus aula fuit.
Naturam domuit labor, atque industria terras
Fecit & aggeribus jugera tuta suis.
Tanduntur pulchri spaciis immanibus horti,
Celsaque fecundus culmina cingit ager.
Arboribus suus ordo placet. silvæque recessus
Et Musis prabent otia grata meis.
Ipsa Pales circum pecori vacat. asidet agnis
Testhylis & patulo sub Iove mulget oves.
Fraga rubent, pendet ramis Pomona recurvis,
Et damnata Samo dant mihi fercla fabæ.
Hinnit equus, custos Romæ strepit anser in herbis,
Et matutina tot modulantur aves.
Est canibus statio. pendent casséque dolique
Retiaque & miseris tela parata feris.
Iupiter hic socia vellet Iunone vagari.
Hic juvenis Daphnen optet Apollo suam.
Tyramus & Thisbe cuperent his vivere tectis,
Contiguásque velint hic habitare domos.
Omnia, Lote, tibi dedit indulgentia cœli;
Et tua nunc inter rura beatus agis.
Hæc discis debere Deo. sine numine tellus
Horret & atherea fertilitatis eget.
Quid loquor? una deest & blanda penatibus uxor.
Quàm miserum in viduâ dicere jura domo.
Turtur habet sociam. ludit cum passere passer.
Et sua magnanimus gaudia gallus habet.
Vlmum vitis amat. pisces sine lite maritant.
Flexibilisque hederæ brachia jungit amor.
Quæ tua sunt, passim præeunt. spectantur ubique
Oscula. num Dominum fas erit illa sequi?

ITER

Per Trajectinos, Batavorum Insulam & Sicambros.

Vix roseos terris Titan patefecerat ortus,
Sidereasque dies truserat alma faces;
Et portis effusa frequens cum Phyllide Thyrsis,
Lanigeras post se mane trahebat oves:
Cum thalamis excita suis insignis Alcida
Surgeret & socio vate pararet iter.
Ivimus. at duce Nieudalio, cui pulchrior uxor
Sollicito tenerum ventre ferebat onus.
Sic geminum par præcipites vexere quadrigæ,
Et quadrupes frenis mollibus ivit equus.
Linquimus à tergo portas murosque domosque,
Et patulis latè panditur orbis agris.
Adspicimus rutilo radiantem lumine Solem,
Quodque serenato fundit ab axe jubar.
Et totum immenso suspensum fornice mundum,
Et nitidum pulsa nube patere diem.
Undique frondifera volucres ex arbore, nostris
Vocibus argutis accinuere sonis.
Et viduos spectans viduatus compare turtur,
Visus erat tantis plus gemuisse malis;
Et vatis pro sorte loqui. Pomona Ceresque.
Et vario stabat picta colore Pales.
Mollia pendebant tenera lanugine mala,
Prunaque vicinis nos tetigere comis.
Quin celeri decerpta manu nux obvia risum
Movit, Aletheæ ludicra furta meæ.
Sæpè mihi visa est ramis suspendier altis,
Dum spolium rapidis præripit ipsa rotis.
Sæpè manus fallens errorem objecit Amyntæ.
Dum quæ captabat, noluit ille capi.

Turge-

Turgebant fœti donis Cerealibus agri,
Et matura, Deûm munere, messis erat.
Hic Corydon, hic Damætas, hic fessus Alexis
In tumulos segetem disposuere suos.
Non operi Galatea suo, non defuit Ægle,
Quæ regeret currus, visa Neæra fuit.
Vidimus hæc, latoque viam sermone levavi.
Nunc hac, nunc lepidos miscuit ille sales.
Queis super effusis passim strepuere cachinnis
Compita, & attentos fabula fecit equos.
Intereà se Lecca mihi placidissimus offert,
Et facili fessas transvehit amne rotas.
Mutamus cum gente solum, Batavûmque rotamur
Sedibus & terris, Bato vetuste, tuis.
Quas Vahalis Rhenusque pater bellator oberrat,
Et quondam Latii tot tenuere duces.
Vidimus antiquas bellacia mœnia turres,
Visaque semoto Principe, Bura fuit,
Auriacique domus, dominisque habitata superbis
Oppida, majorum fulgida imaginibus.
Hic bona per fraudem sellis constringitur arctis,
Et similis capta risit Aleida dolum.
Hic tota vix pisciculus restabat in urbe,
Prandia qui faceret delitiasque mihi.
Iamque dies celso se subducebat Olympo,
Cum subii portas, Martia Tiela, tuas.
Hic tabulas dum forte meas contemplor & urbem,
Atque oculos per tot non mihi visa fero,
Advolat extemplo miles, cingitque legentem,
Suspectumque malæ proditionis habet.
Risimus, Auriacoque orsus pro principe fari,
Laudavi patriæ prospera fata meæ.
Et Tielæ proceres & amici nomina Vighi.
Totaque in Hispani ferbuit ira caput.
Evasi, liberque omni custode recessi,
Et tantas Bacchi diluit unda vices.

Mox

Mox dum cœna levis nobis mensaque parantur,
Adsuit è medica vir quoque gente bonus.
Qui propius pulchræ se jungere cœpit Aleidæ,
Vtque viri mos est, mollia verba loqui.
Sed matutino rapti per Geldrica curru
Iugera, disperiit vix benè cœptus amor.
Dum per rura vehor, (credas) terrorque pavorque
Nec vanus circum me metus hostis erat.
Sed risere metum comites, timidoque poëta
Illusit lepidis suavis Aleida jocis.
Vrbs jacet ad Vahalim, priscis celebrata Salinis,
Illa juventutis prima magistra meæ.
Quæ patrios servans cineres & busta meorum,
Immemorem nunquam me sinit esse sui.
Ivimus hac, notamque mihi peragravimus urbem,
Et loca Cantabricum nescia ferre jugum.
Trajicimus Vahalim reduces Leccamque, per agros
Currimus, & totum mente tenemus iter.
Oscula quàm memini, (non sustulit oscula ventus)
Singula stant animo nunc inarata meo.
Quàm memini voces (nec enim nocuere quadrigæ)
Quas mea mellifluo fudit ab ore Chlöe.
Quàm memini tactam sine vi, sine crimine dextram.
Quàm memini tactas, sed sine labe, genas.
Illa Niendali tibi gaudia debeo. testis
Sera licet nostra sit mea Musa viæ.
Quicquid diximus unanimes, & fecimus omnes,
Tandem etiam, vatem commemorasse, juvet.

Gratiarum actio ad nobilem Dominam IOHANNAM à ZYPESTEYN, Nobilissimi Viri, IOANNIS LEDENBERGII, conjugem, pro missis pyris.

Sic vatem vatumque melos, Iohanna, mereris.
Et tua dum mittis munera, nostra refers.
Quæ tua sunt, Batavis aliquis decerpsit in hortis.
Quæ mea, sunt Clario carmina nata solo.
Tu pyra, Pomonæ faciles das, optima, fructus.
Nos tibi, quæ facilis lusit Apollo, damus.
Permutamus opes gemini. quas parturit æther,
Quasque suo fundit Calliopea sinu.
His donis oculos, his donis pascere gustum
Dulce fuit. vestris gratia tanta pyris.
Vt tetigi, risere genæ. dentesque manusque
In pyra mox vires exacuere suas.
Cedite, dicebam, Paridis feralia dona.
Scilicet hæc litis causa fuere malæ.
Hæc pyra amicitiæ sunt symbola. cedite, dixi,
Quæ remorata tuos sunt, Atalanta, pedes.
Non opus hic celeri (nec enim sunt aurea) cursu.
Quæ mihi largiris munera, morsa placent.
Digna Ledenbergi conjunx, si vivere pulchrum est,
Post obitum missis vive, Ioanna, pyris.

In mare clausum cl. viri, IOHANNIS SELDENI.

Non littus, Tamesine, tuum est, non pontus & æther.
Hoc superum gestit munere quisque frui.
Nulli divisas pariter calcamus arenas.
Publica nec Dominis subditur aura suis.

Non

Non solis patet Oceani fortuna Britannis.
Nec generos Tethys hos sibi sola velit.
Per freta, per Scythicas, sine legibus, ivimus undas.
Herculeaque patent & patuere via.
Imus in Ægeas nullo remorante procellas.
Et Siculum radit nostra carina latus.
Per mare nos alio positos sub sidere vidit
Indus, & Occidua barbara terra plaga.
Tot populos domus una capit. distincta culina est.
Commoda nec vita qualibet unus habet.
Hac ratis urget iter. quarit longinqua viarum.
Navigat, in fluctus imperiosa, fames.
Cur prohibes, Seldene? cupis, qua pessima res est,
Tot populos dura sorte perire domi?

Aliud.

LEcta fuit cunctis Seldeni pagina Divis,
Et Superi chartis obstupuere novis.
Quis, Neptunus ait, nostro dare jura profundo
Audeat, & regnis ponere claustra meis.
Oceanus mihi sorte datus. sunt cetera fratrum.
Hic titulo solus liberiore color.
Assensit Citherea seni. nam fluctibus orta,
Non passa est Tamesi subdere colla Deum.
Mnemosyne veterum tabulas & scripta revolvens,
Hac, ait, intactas isse, redisse rates.
Phœbus, ut audaces Carolo favisse poëtas
Audiit, imminuit vatibus ipse fidem.
Tum Themis. omne patet, me judice, gentibus aquor,
Inquit, & hac nostri lex veneranda fori.
Ultimus intonuit strictis Mars horridus armis,
Et superos inter talia dicta dedit:
Non terrent Batavos charta. non aquora voces,
Non vitreas teneat pagina scripta Deas.
Inveniet gens ista viam. qua flectere vela
Charta vetat, clausas ira recludet aquas.

Ad Clarissimum Virum, D. THEOD. SCHREVELIUM, Cum Gymnasii Lugdunensis moderamine se abdicasset.

Cui toties Musæ, toties recitatus Apollo est,
Et trivii numerat plurima lustra labor,
Læta senectuti facis otia. displicet audax
Efferaque indomitæ turba furorque Scholæ.
Solvis anhelantem, Schreveli docte, caballum,
Ilia ne ducat fractaque membra senex.
Palladis ad postem ferulas suspendis & iras,
Sceptraque suppliciis jam saturata suis.
Cessant terribiles, juvenum suspiria, virgæ;
Iurgiaque in trepidos præcipitata reos.
Gaudet Grammaticis dudum constricta catenis
Barbaries, melius te duce docta loqui.
Exulat è Batavûm fœda ignorantia portis,
Doctrinæque tuo lumine fulget apex.
Curia, templa, lares sapiunt, aulaque potentum,
Castraque Romanis vocibus arma gerunt.
Discipulos patria omnis habet. per rura, per urbes
Doctorum per te spargitur ampla seges.
Qua graderis, documenta tui fructumque laboris
Adspicis, & curæ publica signa tuæ.
Dux tuus est, Consul tuus est, grandisque Senator,
A te, quæ loquitur, verba professor habet.
Cunctorum pater es, & pulchri doctor honesti.
Totam se probitas devovet ipsa tibi.
Desine, chare senex, fragilem lassare senectam.
Canities placidos impetret ægra dies.
Hactenus assiduum volvisti pervigil orbem,
Perque graves abiit vita rotata vices.
Siste gradum. & quà se mansuetis Spara fluentis
Explicat, exacta stet tibi meta via.

Hic veteres inter solatia quære propinquos.
Hic modulis Orpheus tempora falle novis.
Aut per vicinæ spatiare umbracula silvæ,
Et quid agat Corydon, quid Galatea, nota.
Talis ubi patrias Chiron impleverat urbes
Artibus, ad lusus Thessala terra fuit.
Ausoniusque sui formator Cæsaris, otî
Imposuit studiis gaudia sera suis.
Emerito, pia Leida, fave. quod docta vocaris,
Huic etiam debes, Vrbs veneranda, viro.
Egregiis totam struxisse penatibus urbem,
Res levis est. urbes qui docet, ille facit.

Ad Nobilissimum Virum, D. TILEMAN. STELLAM, B. de Mourimont.

STella, procul posito, precor, exoriaris amico.
Stella, patrocinii fax inopina mei.
Stella, Ducis magni quem Purpura diligit, ô si,
Stella, trahar post te, luminis umbra tui.
Stella salutaris Phœbo Musisque mihique,
Sæpe tuo nobis sidere, Stella, fave.
Saturnique fuga radios, Veneremque Iovemque,
Et Druidum faciles effice, Stella, Deos.
Muneris hoc Stellæ est, sic arrisisse Camœnis;
Et placidos vati sepofuisse dies.
Stella, decus nostrum, (quid enim, nisi vota, supersunt?)
Perge mihi vestros conciliare Duces.
Et medias Regum vatem rape, Stella, per aulas,
Absentemque tuis laudibus effer humo.
Nil sumus. hoc forsan, quod dicimur esse poëtæ,
Si sumus, hac cupiam lege placere tibi.
Sæpè meos venit ad modulos, Rex, purpura, mitra,
Sæpè meam feriunt nomina tanta chelyn.

Hoc juvat; augustis titulis attollere fastum
Carminis, & Reges ire per & superos.
Et patria jam bella loqui. jam subruta ferro
Oppida, jam medio carbasa victa mari.
Iam mea facundis transmitto carmina Gallis.
Et malè nata domi, perlegit Aula foris.
Non mihi vel Rheni latices, Vahalisque vel Ya,
Aut satis ad Musas est mea terra meas.
Exul abit vatis furor, & longinqua pererro.
Imbibit hoc pronis Sequana carmen aquis.
Et Stellas audax adit, & compellat amicè,
Et Domino Stellas quærit & astra suo.
Invenisse mihi fingam. dum, Stella, refulges,
Crede, tuo potero gratior esse Iovi.
Annue Stella juvet vestra me gratia linguæ.
Et tibi quem sentis, fac benè velle mihi.
Maxime vir, viden' ut se laxet libera vatis
Pieris, officiis garrula facta tuis?
Nil moror, affari fas est, quem vidimus olim.
Prandia cum multis disperiere jocis.
Cum meus ad lectas epulas Vicfortius ambos
Posceret, & læto tingeret ora mero.
Ex illo mediis vultus hæsere medullis.
Accensæque mora plus valuere faces.
Quàm memini, cum bella mihi Sueonasque referres,
Casaque Teutonico castra ducesque solo.
Gustavumque patrem & bellacia prælia Finni.
Et fusas alibi Cæsaris esse manus.
Quàm memini, cum doctorum rapereris in orbem,
Iudicio signans scripta virosque tuo.
Tunc etiam lusus nostros & amœna probabas
Otia, & heroum, quod modulamur, epos.
Excitat hæc faciles rursum fiducia Musas,
Et totum Stellæ me tibi tradit amor.
Dic, manda, mihi, Stella, jube, fecisse, quod optes,
Fortunæ fuerit sors satis ampla meæ.

Nunc

Nunc tibi praeludunt elegi. mox impete raptus
Ingenio pandam totum Helicona tuo.

IN NVPTIAS
Ampliſſimi Viri
IOHAN. WTENBOGARDI,
Quæſtoris &
LVCRETIÆ van HOORN.

Qui Batavo, Quaeſtor, numeras ſtipendia Marti,
Et bellatrices erigis aere manus;
Publica qui loculis imples araria noſtris,
Et ſortem uſura pauperiore juvas;
Nunc aliud tibi, quod numeres, cum matre Cupido
Imperat & thalami debita poſcit Amor.
Baſia jam numera, & Sponſa cum baſia centum
Fixeris, hac centum non ſatis eſſe puta.
Baſia ſed centum ter centum millibus auge,
Et tunc illorum plus ſupereſſe velis.
Mox totidem amplexus numeris tot millibus adde,
Et totidem Paphiis luſibus adde jocos.
Adde Cupidineas inter tot baſia voces.
Sic voti creſcet Summa benigna tui.
Quam das uſuram populis, tibi redde. tuoque
Vſuram, Quaeſtor provide, quaere thoro.
Poſteritas uſura tua eſt. cum conjuge ſors es.
His quae naſcentur pignora, fœnus habe.
Quàm melior quaeſtura thori eſt. res vilior, aurum.
Nil moror argento ſcrinia fœta ſuo.
Nil hortos, Luculle tuos, nil jugera Craſſi,
Aut quas congeſſit rex ſibi Crœſus opes.
Baſia, quae dignos gignunt fecunda nepotes,
Baſia, nec noctu nec numeranda die,
Baſia & amplexus & dulcia murmura amantum.
Attale, divitiis ſunt potiora tuis.

Horum cum Quæstor jam sis Bogarde bonorum,
Ne cupias summi Consulis esse loco.
Nec tibi Præturæ placeant. una omnia Sponso
Cypris erit, blandis officiosa jocis.
Sic Quæstura duplex tibi contigit. una laboris,
Vna Cupidinei dulce furoris opus.

In Poëmata

LAVRENTII NIENDALII,

Iurisconsulti & Poëtæ.

QVam leve rancidulis nitidas conspergere chartas
Versibus, & vatis nomine vana loqui.
Quam leve, Pieriæ genti debere cachinnum,
Et nugas seclo deteriore legi.
En, vates turbam facimus, strepimusque frequentes.
Ipse sui Phœbus præda futura chori est,
Iamque poëtarum Parnassus mole laborat,
Castaliosque bibit turba profana lacus.
Docte Niendali, appropera. & meliore Camæna,
Hinc procul ignarum carminis agmen age.
Et vulgus raucum & streperas sine lege cicadas
Pelle & Apollineis castra molesta scholis.
Ordiris plus dulce melos. patriamque serenis
Vocibus & Latio jam facis ore loqui.
Post Themidem Musas repetis. post jura furores,
Causidicusque tuis ingeniosa canis.
Præstat Cirrha foro. præstant hæ litibus artes,
Mitior est querulo carminis aura reo.
Nos nobis judexque sumus legesque forumque.
Arbitrio vates vivit agitque suo.
Nos nobis rubrica sumus, decreta, Senatus.
Nil juris nostra in carmina Cæsar habet.
Cogitur in nostras Princeps cum Cæsare leges.
Et faciunt nobis nomina tanta pedem.

Hæc quoque cum poſſis, facias, peragaſque poëta,
Dic, Themidis titulis, hunc placuiſſe magis.

In Domum ANATOMICAM, quæ Amſtelodami viſitur.

Viderat excelſas in ſe pater Amſtela turres
Surgere & ingenti templa dicata Deo.
Viderat immenſum diſpargi vela per orbem,
Et portus ratibus tot patuiſſe ſuis.
Tot pandos naturæ opibus turgere penates,
Quas Oriens vel quas Veſpera dives alit.
Viderat hic tragicis aptari tecta cothurnis,
Et nova diverſo pulpita vate loqui.
Viderat omnigenas librari pondere merces,
Officiiſque aptas talibus eſſe domos.
Armaque diſponi ſpatiis Mavortia magnis,
Arma, quibus duri frangitur ira Tagi.
Cum ſic ſoſpes ait: minus eſt, quod fecimus urbi,
Nec decor ad laudem ſufficit iſte meam.
Erige funereos praſtans Reſpublica circos,
Erige, quos habitet trux Libitina, lares.
Vivimus incolumes alibi. hac penetralia morti
Condimus, hac raptis pellibus aula riget.
Cernimus hic avidi, quicquid ſumus intus, & illa
Quæ latet, in media fabrica luce patet.
Hæc animæ locus, hæc mentis veneranda taberna eſt,
Hæc minor occultum capſula numen habet.
Quod fuimus, non jam ſumus. En, defloruit ævum.
Et lacer extincto lumine ſordet homo.
Adſpicite hæc cives & dicite Faſcibus: hic vos
Poſſe modos mortis diſcere, nolle mori.

In Librum
DANIELIS MOSTARTII,
Amstelodamensium Reip. à secretis de scribenda Epistola.

SCribite vulgares animæ. tunc scribitur aptè,
Cum genio loquitur litera quæque suo.
Decurrit gravibus regalis epistola dictis,
Et tetricæ dictant verba severa togæ.
Acer honoratum sermo compellat Achillem.
Acrius ad Phrygium scribit Elisa ducem.
Mitius Oenone Paridem formosa salutat.
Mitius Ægidem Cressa puella suum.
Intererit multum Davusne loquatur an ipse
In tabulis duro litiget ore senex.
Purpura grandiloqua est, lenis prætexta, severus
Miles; amans facilis, vir gravis, æqua parens.
Vt difformis honos, sic dispar forma decori est.
Atque aliis scribi vocibus illa cupit.
Hæc populos, Mostarde, doces. hæc, optime scriptor,
In mediis præstans Amstela discit aquis.
Scripsimus ad normam pueri. te præside vocum
Discimus exacta scribere lege viri.

Ad Nobilissimum Virum
CHRISTIANVM MOLLIVM,
de FEVDIS aliquoties cum laude disputantem.

NVper in Advaticis, Molli doctissime, campis,
Victrices Batavûm tot sonuere tubæ,
Cum puer Auriacus grandævos sterneret hostes,
Captivasque Duci signa dedere manus.

Tu

Tu (si bella licet Themidis conferre cruentis)
Bella geris studiis non aliena tuis.
Lis pro Iure tibi est. pugnax fit arena Lycæum.
Et sua jam vernans arma Iuventa quatit.
Omnis ab ingenio labor est, ratione triumphus.
Et partes peragit lingua diserta suas.
Non alio, Astræa miles, tua Feuda paratu
Asseris & Gothico nomine victor ovas.
Munera prisca Ducum Legum virtute tueris.
Nosque reos spreta conditione facis.
Dat Princeps, terrasque suis largitur & agros.
At memores tanti nos cupit esse boni.
Libertas quæ nostra fuit, donantis habetur.
Et redit in Dominum gratia sola suum.
Totaque posteritas fatis innexa parentum,
Non alia proavûm præmia lege capit.
Hæc, Molli, dum cuncta doces, pro Principe faris,
Et tua magnorum pagina causa Ducum est.
Imperet obstrictis Majestas gentibus. illud
Grandius, Imperiis scribere jura Scholas.

Ad Nobilissimam Dominam
ANNAM TRESLONG,
Viduam, cum à me jussu Zulechemii & Hoofdii Muydam invitaretur.

ANna veni, quò te vernans invitat Aprilis,
Verque suum gestit fallere vere tuo.
Vere tui vultus & centum vere leporum,
Queis magis innocuum nil habet ipsa Venus.
Anna veni, summisque viris adsuesce vocari,
Quos Zulechemus ager vel mea Muda colit.
Ecce suis Helmanna tuis arridet ocellis,
Basioloque tuum læta coronat iter.

Ecce tua Satrapa miſcetur dextera dextra,
Teque ſalutiferi ſideris inſtar habet.
Occurrit Mariæ inſolitis amplexibus Anna,
Nec tamen hæc utero, vel venit illa gravis.
Occurrunt viduæ & captæ novitate loquendi,
Negligit illa mihi, negligit iſta loqui.
Nil moror. aſſurgam geminis, venerabor utramque.
Sufficiet digitis fimbria tacta meis.
Forſitan hæc noſtras accendet fimbria Muſas.
Et poteris per me nobilis Anna cani.
Non virtutis eges. ſumma matrona litandum eſt.
Quanta ſies modico carmine Belga ſciat.
A te ſimplicitas mores, reverentia geſtus,
Temperiem Cypris, ſeria diſcit amor.
Adpropera & tantis Mudam virtutibus imple.
Teſſelaque ad veſtram fulgeat ipſa facem.
Non petit hoc ſolus vates. ſed feſſa procellis,
Mitior, ut venias, ſupplicat aura tibi.

In Laudem
I V B A L I S,
primi Muſicorum inſtrumentorum inventoris.

LÆtitiæ primæve dator, clariſſime Iubal,
Melliſluum cujus fluxit ab ore melos,
Cum tua tot rerum laudes vocalis arundo,
Et ſummum caneret tibia docta Deum,
Cum citharam digitis, cum pollice tenſa ferires
Barbita, cum numeris flaret avena ſuis,
Cum calamis diſtincta fuit tibi fiſtula, cum te
Cymbala inauditis detinuere ſonis:
Quam potuit bis vita tibi placuiſſe canendo,
Et nimis atrati diſplicuiſſe dies.
Quam tua per longas duxiſti gaudia luces,
Quam tibi nulla fuit noxque dieſque gravis.

Sollicita

Sollicitæ quoties premerent præcordia curæ,
Discußit curas fistula prima tuas.
Et tua cum validæ torrerent viscera febres,
Solamen tanti plectra fuere mali.
Terruit iratam Lachesin lituusque tubæque,
Velocesque chelys traxit amica dies.
Ad cantus lususque tuos, ceu nescia fati,
Mors stetit, & potuit dememinisse sui.
Buccina vix nati cecinit cunabula mundi.
Claßica pacificis insonuere modis.
Pecten, chorda, fides, nervi, modulique, lyræque
Versiculi, ingenii sunt monumenta tui.
Quæ pia posteritas quoties miramur, amantes
Dicimus, hoc magni Iubalis audit opus.
Ille dedit voces cannis linguamque salicto,
Et lepidum è buxi cortice finxit epos.
Magne pater Iubale, tuæ præconia prolis
Collige, & à sero præmia vate cape.
Si tua nascenti placuerunt carmina mundo,
Nostra fatiscenti sit placuisse satis.

In Hinnulum missum à IOHANNE POLYANDRO à KERCKHOVEN, Heenvlietæ Domino, & Saltuum Hollandiæ Præfecto &c.

Hinnule, qui Batavûm silvis nutrite, tot inter
Diceris agrestes gloria prima feras;
Hinnule, qui toties saltus emensus & undas,
Liquisti celeres post tua terga Notos:
Hinnule, qui rapidis subduxti crura molossis,
Donec amatori victima facta meo es:
Iam Batavo præbes illustria fercula vati,
Et spolium nostris dentibus esse cupis.

Scilicet est sua nobilitas & stemma poëtis,
Et genus ex alto nomina tanta trahunt.
Nos genio studiisque Deum contingimus Aulas,
Et genitor Phœbus fingitur esse mihi.
Hinc epulas, hinc fercla Ducum, Polyandre, meremur.
Et tuus hac nobis vult tribuisse favor.
Hinnule, convivis dissecte in frusta voraris,
Qui viridi saliens gramine totus eras.
Hinnule, nos multo perаratas sumine costas
Vidimus in mensis ordine stare meis.
Hinnule, nos lauros costis infiximus illis.
Hæc decora, hæc vatis signa fuere tui.
Hinnule te Satrapa, te discerpsere poëtæ.
Te meus insontem dilaceravit Eques.
Hinnule, non hæc res odii est, sed testis amoris.
Hoc facit ad laudes, hinnule cocte, tuas.
Hinnule, qui propriis pedibus decurrere nescis,
Iam discis pedibus currere posse meis.
Hinnule, dic grates Domino. dic Hinnule, dentes
Esse mihi cicures, nec minus esse feras.

Ad Amplissimum virum D. BARTHOL. MVLLERIVM, Reip. Hamburgensis Senatorem.

ACcipe laudatos cineres & funera magni
Consulis, & scriptum post sua busta senem.
Quos meruit nuper vivus, quos gessit honores,
Post obitum poterunt jam quoque saxa loqui.
Succedis, vir magne, seni. & cervicibus urbem
Consiliisque levas publica vota tuis.
Te cives patriaque vident tot lumina. certè
Iudice me, tantis nasceris exequiis.
Atque alium vestris donant te Nestora terris
Numina, in applausus officiosa tuos.

Seu

Seu Batavos legatus adis, nostrique Senatus
Et coram Auriaci Principis ora vides:
Seu tua Stormarias flectit facundia gentes,
Et volupe est cives demeruisse tibi.
Fallor? an exstincto, quem dixi, Consule, spes est,
Vt novus in Patria commoda consul eas?
Hac virtus tibi sternit iter. sic auguror absens.
Hoc cupiant cives, hoc voluisse Dii.

Ad Nobilissimum
D. IACOBVM CATSIVM,
cum suffitus mihi Lusitanicos misisset.

NOn Arabum jam thura moror messesq; Sabaas,
Ipsaque Panchaicis balsama missa jugis.
Nulla ab odoriferis veniant mihi dona Meluccis,
Non recreor fumis dives Iāva tuis.
Catsius Hispanos plena mihi mittit odores
Pyxide, & officii nomina scire cupit.
Pastillosque Tagi & suffitus donat Iberûm,
Illecebrasque meis naribus arte facit.
Iam vestis nidore placet, nidore capilli,
Et viduo melius lectulus intus olet.
Fumea delectant nentes hypocausta puellas,
Et sub veste latens fit medicamen odor.
Discutiunt fœdas fragrantia ladana nubes.
Illa potest segnes aura juvare viros.
Quanta mihi mittis, Catsi, secreta Diones,
Quam tibi nostra salus, quam tibi debet amor.
Quam fumis me multa doces. nos vivere fumis,
Et similes fumis ocyus ire dies.
Fastum fumus alit, fumi ludibria luxum,
Ventilat ancipites fumus & aura scholas.

Fumant

Fumant magnificæ vanis suffitibus aulæ,
Fumat dissidiis curia tota suis.
In bellis fumant mixtis incendia flammis,
Cunctaque fumigiis gloria pasta Ducum est.
Nos etiam vates fumos divendimus orbi.
Et cum carminibus res peritura sumus.
Sic mihi dum fumi donas tot nomina, fumos
Accipe pro fumis, magne poëta, tuis.

Ad Amplifs. doctissimumque virum

D. SILVESTRVM TANCKELMANNVM,

Iudicem territorii Lingensis.

QVos mihi mensarum mittis, Sylvester, amores,
Accepit cupidis nostra culina focis.
Sylvestres donas pecudes & cruda Cherusci
Fercula, grunnitu non metuenda suo.
Das animal, sine mente placens, post funera solum
Vtile, cui sumen pingue saburra facit.
Das mihi, quâ cæsa junguntur fœdera, porcam.
Scilicet hoc veteris relligionis habet.
Agnosco natale solum. pecus ilice pastum,
Victima VVestphalico quæ cadit icta solo.
Qualia Bæotûm rudibus pascuntur in agris,
Qualia in Arcadicis clara fuere jugis.
Qualia mandatis superûm fastidit Apella,
Qualia liberior præputiatus amat.
Hæc mihi in hybernos servantur dona Decembres,
Cum sua Saturnus festa Batavus aget.
Tunc epulas lentis torrebimus ignibus astas,
Gloria sympofii sus erit una mei.
Totus in hac acuet dentes animosior hospes.
Exstimulat sævam cum mora longa famem.

Sic

Sic fervere focos facit & tua perna lebetes,
Et medias inter stat speciosa dapes.
In perna latices, in perna vina Lyaus
Laudat & in perna parte viator ovat.
Nunc etiam vates. & dum mihi pernula fumat,
Non sat cocta tibi carmina perna facit.

In observationes Medicas Clarissimi Viri
NICOLAI TVLPII.

QVam miseri morimur, Tulpi. quàm plurima nostri
In dominum pars est perniciosa suum.
Conspirant dens, lingua, caput, cor, pulmo, cerebrum.
Membraque jam tibi sunt, jam malefida mihi.
Prodimur & tacitis jurant in funera causis
Viscera, in humanas officiosa neces.
Nunc capitis fatale malum est; nunc gutturis arctas
Claudit & obvallat longior uva vias.
Turget venter aquis & cœcis fluctuat undis,
Et vivus tumulum bajulat ipse suum.
Labimur exanimes, membrisque ferocia crescit,
Convulsasque rigat lurida spuma manus.
Vt lapides surous ingenio, sic fervida renum
Temperies lapides saxaque dura fovet.
Hac nos scena manet. tantis tortoribus agri
Vivimus & querulo corpore vita dolet.
Talia dum memoras doctis spectacula chartis,
Pagina quaque mihi carnificina fuit.
Ærumna facies crudique doloris arena.
Et lachrymis undans flebilis urna suis.
Hac, scriptor praclare, docent. eademque malorum
Charta mali causas, crimina nostra, notat.
Peccamus luimusque simul. Venus improba morbos
Parturit & rabies exitiosa gula est.

Ira

Ira nocet sanis. vitalem suffocat ignem
Luctus & excussa relligione dolor.
Quæ mala si cessent, possent cessare libelli,
Morborumque ferax Ilias esse minor.
Et tuus agrorum properans ad limina currus,
Attonitis posset stare quietus equis.

IN PRÆDIVM IACOBI CATSII

Equitis, & Hollandiæ Ordd. Syndici, quod Hagam & Scevelingam inter, in arenis conspicitur.

IAm Batavus securus agit; dum turribus insons,
Et sterilis vallis ludit arena suis.
Mœnia conspicimus, nullis metuenda Philippis.
Tot fossæ, nullo bella movente, patent.
Circum gleba riget spinisque exasperat arces,
Quas viridi natas cespite fudit humus.
Catsius hic totos muris accommodat agros,
Et campos speciem Martis habere facit.
Mutantur planis sublimia, summa profundis,
Miraturque suas terra subacta vices.
Arida se liquida distinguit Naiade Vesta,
Torridaque æternis jugera tingit aquis.
Insertis pulchrè frondent arbusta salictis,
Ordinibusque suis conspicienda virent.
Hic piger acclivi gleba decumbit Iacchus,
Et medio tangi Solis ab igne cupit.
Hìc, ubi Pan timida lateat cum Phyllide fessus,
Silva verecundis surgit opaca comis.
Hic Italûm poterunt Baiæ Cumæque locari,
Et meliora mihi fata Sibylla canet,
Seu Schuurmanna volet fieri, seu Tessela vates.
Seu cupiet Princeps carmen Eliza loqui.

Scilicet

Scilicet hæc Phœbi domus est. hæ Palladis arces.
Hæc nova non unum mœnia numen habent.
Claudunt innocuas hæc propugnacula Musas,
Ne tersas violet barbara turba Deas.
Arcentur Momi tribulis, & scommata pungit
Vndique marginibus spina cruenta suis.
Arcentur portis curæ, livorque dolorque.
Quisquis amans recti non eris, hostis eris.
Vna Helicona refert, Parnassia culmina turris
Altera, & has geminas adspicit Haga Pharos.
Scandimus hos apices gradibus. qui celsior exit,
Æquoreos propius monstrat adesse Deos,
Et latè tot rura aperit, Superûmque penates
Pandit & Auriacas culmina pulchra domos.
Hæc quicunque vides solertis prædia Catsi,
Et nondum fessi grande ligonis opus,
Dic: Labor hæc fecit. similis jam Belga creanti est.
Cum desunt terræ, fabricat ipse solum.

In Theophrasti Herbarum Historiam à IOANNE BODÆO à STAPEL, Medicinæ Doctore luculentis notis illustratam.

ADspice Græcorum tabulas & prisca renasci
Secula, naturæ parturientis opes.
Cecropidum patuere scholæ, patuere recessus
Dogmataque ingenii tot, Theophraste, tui.
Hic herbas frutic esque suos vetus explicat Hellas.
Pagina pulvillum qualibet ista facit.
Quicquid in hoc felix genuit natura theatro,
Singula stant spatiis conspicienda suis.
Iugera sunt chartæ; viridaria tota libelli,
Area qua mundi est laxior, arcta patet.

Mira

Mira loquar. durant isti sine solibus horti,
Non opus hic Zephyris, Æole blande, tuis,
Non arbusta rigant pluviæ, confundimus anni
Tempora ; quod carpas bruma vel ipsa dabit.
Nullum gleba facit, nullum discrimen arena.
Prostat in hoc nostro Græcia tota solo.
Distincti còeunt grandi discrimine fructus,
Germinaque adversis dissociata plagis.
Vna Arabum Cilicumque graves hic fascia messes
Colligit, una gerit gramina mille manus.
Vna domus, capit unus ager, quæ dividit orbis,
Et mundi exiguo venditur ære labor.
Hoc sapiens Theophraste, tuum est. Bodæus honores
Addidit, & voces tersius ire facit ;
Et longa mersum secli caligine verum
Eruit, & vultu dat meliore legi.
Marcebant veteres herbæ ; decesserat illis
Et vigor & formæ gratia prisca suæ.
Nunc melius fragrant, tanto sub vindice, plantæ,
Pulcrius, incultæ quæ jacuere, virent.
Balsama, thus, alios aloë diffundit odores,
Tollit inoffensum palma superba caput.
Quam prius ignavi zizania presserat avi,
Invenit hic laudes, laurus amica suas.
Cauliculi, radix, calices, fibræque, striæque,
Omnia conspectu splendidiore placent.
In Dominum natura redit. cedrumque perennem
Conficit his ipsis officiosa notis.
Vt, quem non valuere herbæ servare labantem,
Post obitum possint semina salva loqui.

IN DIATRIBAM
Nobilissimi Viri D.
CONSTANTINI HVGENII,
Equitis, Zulechemi Domini &c. de Organorum in Templis usu & abusu.

SI pia Seraphicæ modulantur carmina mentes,
Excelsumque canit maximus ordo Deum:
Si sua cœlorum series concentibus aptat
Corpora & exactis incitat astra sonis;
Regia si summum cecinerunt plectra Tonantem,
Et Solymæ modulis perstrepuere suis;
Si mediis olim sonuerunt organa templis,
Cum pietas pressum tolleret alma caput,
Nec fureret Martis rabies in sacra Deumque,
Otiaque asserta relligionis erant;
Cur nostro tetrici damnabimus organa seclo?
Aut grave crediderim carmina sancta cani?
Materies laudum Deus est, tot gloria rerum,
Omnis in hunc hominum plausus & horror abit.
Hunc natura stupes & vis & norma canendi.
Plena suo nunquam numine lingua silet.
Cur sileant digiti? cur non facundia vocis,
Atque attenta manus nobile pulset ebur?
Dummodo mens digitis, digitus comes incubet arti,
Et quæ sunt auris gaudia, sint animi.
Constantine, Dei si nos Sapientia totos
Condidit, hunc quavis impero parte cani.

IN OBITVM
Nobilissimæ & eximiæ Dominæ,
ANNÆ IONCQVERS,
Conjugis Nobilissimi viri
DANIELIS SCHONCKII,
Poelgeestæ Minoris Domini.

Vix thalamos, Ioncquæra, tuos & fœdera lecti
Scripsimus, & patriæ vota benigna tuæ;
En, vocor ad tumulum lacbrymans, mæstosque penates
Ruptaque conjugii vincla fidemque queror.
Excipit officium teneræ Libitina Diones.
Attonitusque tuo funere plorat Amor.
Exstinctasque faces dolet eversamque pharetram,
Et subito impatiens vulnere læsus obit.
Venisti ad Batavos conjunx, ut mater abires.
Et moreris, titulo sed meliore parens.
Ereptamque sibi te servat in obside Natâ
Schonckius. hoc pignus possidet ille tui.
Virtutesque tuas hac vellet prole renasci,
Nec tibi dissimili posteritate frui.
Cur Natura facis matres, ut perdere possis?
Et cupis hanc, ista conditione, mori?
Cur socias par dilectum, & sejungis amantes?
Copula cur nexu solvitur ipsa suo?
Cur, Lucina, thoro facilis, jam facta noverca es?
Cur tantis illam vis peperisse malis?
Et fieri latam tristi mercede parentem?
Gaudiaque ingenti prima dolore premi?
Scilicet humanis defuncta puerpera curis,
Spes alias vovit relligiosa Deo.
Et potuit sprevisse levis dispendia mundi,
Quæque nimis volumus nos, voluisse minus.

Sic

Sic gignens, Christo genita est. partusque labores
Finiit, æterna facta quietis amans.
Dumque sui nusquam vultus atque ora mariti
Conspicit, his discit posse carere bonis.
Optima tot gemitus genitrix ignorat in astris.
Nec speciem misere parturientis habet.
Lætior in vultu species divina renidet.
Gaudiaque à summo Numine plena capit.
Quam suus implicuit castis complexibus Albis,
Flebile nunc nobis, Rhene, cadaver habes.
Et nuptis tantæ veneranda exempla maritæ
Objicis & velles sic adamare tuas.
Tu, Schoncki, tua damna doles. mihi divide luctum.
Parte dolet, quisquis condoluisse potest.
Destitui consorte, grave est. plus illud, amari
A Superis, quam non semper amare queas.
Sin oculis, hæc ipsa geri, minus adspicis æquis;
Non alia est, homini quæ tibi scena patet.
Insanum est, ipsi voces opponere cœlo.
Et tecum Pietas officiosa silet.
Ne pete in amplexus, quam nunc amplectitur æther.
Non tua dos, cœli est; mutua facta tibi.
Quæ pia, quæ cunctis vixit peramabilis, illi
Debuit in pacis sedibus esse locus.
Maxime vir, solos non hic affligit Atridas
Iste dolor. quæ nunc sors tua, nostra fuit.
Ex æquo dolor ille nocet. sine compare possum
Verba tibi à latis valdè aliena loqui.
Quos animos gerimus, libret Prudentia. fas est,
Majores Fati casibus esse viros.

Ad

Ad Doctissimum Virum, D. GVILIELMVM PISONEM, Ill. Comitis Mauritii Nassovii Archiatrum, cum ex orbe Americano in Europæum rediisset.

Sidera vidisti nostris non visa sub oris,
Pantagonumque truces, optime Piso, lares,
Barbaricasque domos crudique cubilia Martis,
Ludus ubi est, hominem dentibus esse hominem.
Suave fuit, gustasse graves dulcedine cannas,
Pisaque nominibus non aliena tuis.
Suave, tuas implesse novis concentibus aures,
Quos procul à Batavis discolor edit avis.
Et tetigisse feras & castigata veneno
Corpora & Occiduæ monstra stupenda plagæ.
Olfecisse suo manantes cortice succos,
Balsamaque effluviis luxuriosa suis.
Nunc cunctos Patriæ reficis dulcedine sensus,
Et post longa abitus tempora, Belga redis.
Et mores cum cœlo alios & mite resumis
Ingenium & veteris verba benigna soli.
Induis hic Batavum, crudelemque exuis Indum,
Et melior prisco sub Iove civis agis.
Non hic nigra polo nubes, sed stella refulget.
Non hic thuribulum, sed cynosura micat.
Non Argo nunc visa, nec implacabilis Hydrus,
Sed propius pronis cernitur Vrsa rotis.
Adspicis hic placidos cœlesti in Virgine vultus.
Forsan ut in terris Virgo placere velit.
Quique tibi tensum Chiron surrexit in arcum,
Ex oculis longè nunc abit ille tuis;
Et blandæ te vult Veneris perferre sagittas,
Et casto dominæ delituisse sinu.

Sic

Sic aliis aſtris regeris. tua flumina potas,
Et patrium comedis lætior hoſpes olus.
Quò trahimur Fatis homines, diſcernimur ipſis
Orbibus, immenſis diſſociamur aquis.
Hac, illac, quà terra patet, cum Sole vagamur,
Nec ſpatium voti gleba puſilla capit.
I, Piſo, jam Piſo redi. quem conſcia recti
Mens habet, & cui ſplen ridet, ubique domi eſt.

IN PICTVRAM
Eximii Pictoris
IOAC. SANDRARTI,
qua Apoſtolorum in terras omnes abitionem exhibet.

ADſpice Apoſtolicos vultus ſpectator & ora,
Totque ſacroſancto nomina ſacra Deo.
His potuit peccans famulis reſipiſcere mundus,
His ducibus mores induit ille novos.
Hi ſunt, qui fœda merſas caligine terras,
Noſque reos certæ ſurripuere neci.
Hi ſunt, quos Stygii tremuere palatia Regis,
Impietas quorum concidit icta ſonis.
Sal terræ, lux iſta hominum eſt, & buccina veri
Plurima, & ætheteæ ſigna faceſque viæ.
Agricolas, teſteſque vides, patreſque piorum,
Et celeres in tot nuntia læta pedes.
En, abeunt miſſi per rura, per oppida. quiſque
Intrepidus Chriſti voce vocatus abit.
Dant dextram dicuntque vale. mentemque Tonanti
Quilibet & cœlo pectora tacta vovet.
Nil reſtat, niſi flagra, cruces, tormenta, ſecures.
Suſtinet hoc precio ſpes animoſa loqui,
Regnantumque minas populique opprobria ſpernunt,
Et volupe eſt Chriſto ſub duce cuncta pati.

m *Si*

Si tabulam excellens Sandrarti dextera pinxit,
Si templis altè cernitur illa tuis,
Res levis est. illud majus: si Cæsar & Orbis,
Quæ sacri vates nos docuere, velint.

In Poëmata Cl. Viri
CORNELII BOII
Zelandi, Iurisconsulti.

QVi Leo Mattiacis medium se tollit in undis,
Emergens Patriæ prisca figura fuit.
Nunc vatis nova forma sui est. qui primus in illis
Fluctibus è salsis dulcior exit aquis.
Attollitque caput clarusque emergit & ipsum
Obruit Aoniis fontibus Oceanum.
Et tetricam absorbet Tethyn lenitque procellas,
Neptunoque facit mitia vota suo.
Barbaries sic mersa perit. lepor ille resurgit
Atticus & Latii carminis exstat apex.
Boyus verba facit Batavoque à sidere robur
Concipit & pergit nil nisi grande loqui.
Seu Famæ ostentat Belgas & consecrat ævo
Bella Ducum & socio Principe scriptor ovat;
Seu thalamis miscet tumulos, funesta serenis,
Iamque illum Veneres, jam Libitina vocant;
Seu Phœbum per sacra rapit Christumque Deumque,
Nomina per terras relligiosa, sonat.
Carmen res non una facit. patet omne theatrum
Vatibus & passim, quod venerentur, habent.
Ipsa Themis tetricas Boyo mitescere leges
Imperat. absolvit Cæsaris ira reos.
Indulget veniam miseris, facilique poëta
Vult faciles etiam dicere jura togas.
Femina cantatur, nec displicuere modestæ.
Irruit in doctos noster Apollo sinus.

Quique unam colit, has laudes unius amori
Devovet. & vati gratia nata domi est.
Tu quoque te portasque tuas Zelandia debes,
Magnaque gens isto surgis honore foris.
Adspice, Mattiaci incipiunt ridere Leones,
Caudaque praeconem mulcet amica suum.
Et qua lingua trucem solita est irata cruorem
Lambere, mansueto verbere lambit epos.

In Novam
P. VIRGILII MARONIS
Editionem, curante doctissimo viro
D. CORNELIO SCHREVELIO,
Gymnasii Lugdunensis Rectore Vigilantissimo.

HOc est grandiloqui Carmen sublime Maronis.
Hae voces Latii detinuere Deos.
Sceptra probant vatem, damnataque pagina flammis
Vivit & Augusti Caesaris ore placet.
Ista poëtarum norma est. tunc surgimus omnes,
Fimbria cum nostra tangitur ista manu.
Hic cunctos super exstat apex. hac lambit Olympum
Gloria, nec seclis tot finit esse parem;
Posteritas desperat. amat, quem suspicit unum,
Et radiis tanti sideris aegra jacet.
Tu, Screveli, reddis Soli sua lumina & illas
Cernere das flamma fulgidiore faces.
Scena novum nuper per te Tarpeïa soccum
Induit & nitidis vestibus Afer iit.
Nunc tua magnanimum Aeneam solertia nobis
Vindicat & Phrygius Dux sine nube micat.
Cingitur Andinus non uno interprete vates,
Romaque jam melius Martia verba capit.

Debet Troia tibi, debet Sichaia Dido,
Ipse repurgato carmine Turnus ovat.
Sic Ducibus castrisque Ducum bellisque tubisque,
Sic comites audent regibus ire Scholæ.

IN NVPTIAS
Amplissimi Viri
HARALDI APPELBOOM,
Serenissimæ Suecorum Reginæ res
in Batavis curantis,
Et Præstantissimæ Virginis,
SVSANNÆ ROGEAV,

IAm Ver molle tuum est. jam ridet amoribus annus.
Quique dies mundo, plus placuere tibi.
Optima tempestas Veneris descendit ab astro,
Et Geminos fratres pronuba signa facit.
Scilicet in thalamis Pollux cum Castore fulgent.
Inque tuas jurant sidera tanta faces.
Et cui Maja dedit Romana vocabula, mensis,
Principium vestri dulce furoris amat.
Nec vanum reor hoc. genitrix fuit illa loquentis
Pro Iove, pro Superûm Numine Mercurii.
Vt tibi Suecorum pro Majestate loquenti,
Idem sufficeret verba diserta Deus.
Adspice Naturæ, præstans Haralde, favorem.
Omnis in hac tecum conjuge vernat ager.
Adspice Christinæ tibi suffragantis honorem.
Illa tuo Princeps quæ cupit ore loqui.
Sceptra favent, studiisque favet genialibus æther.
Hæc sunt conjugii prospera signa tui.
Et si quod vatis precium est, nos jungimus istis
Vota poëtarum dextera Numinibus.
Ambiat Haraldum lætis amplexibus uxor,
Basiolisque neget posse carere tuis.

Tu

Tu quoque, dilatis Sueonum, suavissime, jussis,
Ne numera sponsæ basia, funde lubens.
Si nimium gelida & rigida est tua Suecia, cautè
In Batavis astro fervidiore cales.
Et dum Regales committunt prælia partes,
Prælia jam terra, jam metuenda mari,
Vos geminos thalamus, concordes lectulus abdit,
Et speciem belli nil metuentis habet.
Hic hominum in terris furor est. Mars, oscula gliscunt.
Incubat ille ferox Regibus, hæc tua sunt.

IN NVPTIAS
Ornatissimi doctissimique Viri
D. STEPHANI vander HAGEN, I.V.D.
Et lectissimæ eximiæque Virginis
MARIÆ REAEL.

Optima quæ toties Virgo, puerilibus annis,
Tempora fecisti candidiora mihi,
Cum gravitas hæc nostra tuo penderet ab ore,
Attonitusque suo carmine staret Amor,
Gratiaque in labris (memini) facunda nataret,
Et summos traheres blanda puella Ioves:
Tunc ignota tibi poteras, dulcissima, fari,
Et Venus insonti fabula sæpè fuit.
Tunc Phyllis, Cassandra, tibi cantata revixit,
Et placuere tuis nomina ficta jocis.
At nunc se veri testem Barlæus amoris
Præbet & à grato carmina vate refers.
Seria jam loquimur Sponsæ. mentita facessunt
Oscula, & ad Veneris limen adulta venis.
Et jam vera probas, quæ quondam ficta probabas,
Lectaque amatorum pagina, tota tua est.

Iam quid tela, faces, jam Sponsa Cupidinis arcus
Discis & officiis Cypridis ipsa vacas.
Dum Sponsus partes Daphnis, tu Phyllidis imples,
Inque Cupidinea luditis arte pares.
Interea circumvolitat gens omnis amorum,
Inque tuo gaudet pulchra juventa thoro.
Et tenerum quodcunque, recens, imbelle, venustum
Invenit, & quicquid triste, senile, fugat.
Verna nitet facies geminis, facundia verna est,
Vernantes oculi. nil in amore grave est.
Talis juncta fuit Sappho formosa Phaoni,
Non alio vultu nupta Creusa fuit.
Æmula se Paphiis acuit fervoribus æstas,
Et Sol à vestro concipit igne facem.
Sic Superos attingit amor. Geminisque sub ipsis
Hagius exuviis virginitatis ovat.
Conveniunt doctrina, Themis, probitasque pudorque,
Formaque præclaræ femina mentis amat.
Scilicet his sobolem dabitis virtutibus ambo.
Et pater in natis conspiciendus eris.
Tunc aliquis dicet, Mariæ frons ista, parentis
Ista, refert oculos ille vel illa tuos.
Hæ sunt conjugii voces, hæc præmia lecti,
Illa suo genitrix personat ore Venus.
Vivite felices & ab ipso discite vate,
Illecebram flammæ nubilis esse moram.
Vivite concordes, & veram credite vocem,
Quod facitis, quondam perplacuisse mihi.

C. BARLÆI
POEMATVM,
MISCELLANEORVM
LIBRI II.

Ad Illustrissimum Dominum,

D. DVDLÆVM CARLETON,

Magnæ Britanniæ Regis apud Federatos Ordines Legatum, postquam regium mihi munus exhibuisset.

Salvete puppes, quæ Britannicum pignus,
Et Carletoni sanguinis decus clarum
Portatis undis; cujus Albion curis
Suffulta curas fulciet Batavorum,
Et bellicosos Belgici soli patres
Sororiante lenis eriget sceptro.
Salvete puppes: Tuque Nerei conjunx,
Et qui patenti rector incubas ponto
Neptune: seu iam Carolo favens regi
Classes adornas lætus, & rates quassas
Bellis adaptas: sive transtra Flandrorum,
Hostesque Morinos, mobilesque prædonum
Invadis arces, victimasque Cattorum
Vltor cruenta rursus expias cæde:
Expone terris creditum mari magno
Illustre nomen, cui vices dedit fandi,
Facundiæque celsa jura transcripsit
Princeps Stuartus, ille triplicis regni,
Boreique splendor orbis, alma majestas
Populi potentis, imperique majorum.
Mitescat æquor omne, nec sacrum pondus
Violent procellæ, donec ora Toxandrûm
Aut Mosa tanto gratuletur Heroi,
Coëatque dextra dextra Federatorum.
Stamus Batavi, vivimusque non victi,
At Rege socio. cur satur triumphorum

Turges

Turges trophæis Belga? cur tui Martis
Stupescis ausus? poscit hic sibi partem
Laudum Britannus. his Eliza vexillis
Involvit ensem, Cantabroque nobiscum
Cruore tinxit. Hac Ibericam classem
Demersit undis, hujus ultima Gades
Arsere flammis. sola nec tui facti
Vis tanta rerum est. cur superba despexit
Ostenda Batim, messibusque plus ternis
Attrivit hostem? lenit famem Britto,
Illaque arenâ miles occubans Scotus,
Formidolosi spretor inclytus lethi,
Terram momordit; quoque constitit vallo,
Patriæ trophæum fixit, & sibi bustum.
Ille obseratis victor irruit portis,
Mauros fugavit, acer institit Flandris,
Stravit Varaxum, totque laureas junctis
Divisit armis. ipsa pressa libertas
Injuriosa servitute latronum
Redintegrata debet huic decus sortis.
Nec bella solum, & gentis Asturum diros
Domuit furores, exulemque Gradivum
Ferociente nuper exuit parma.
Cum rex utrique jura dictitans Phœbo
Victas sub ipsa cerneret rates Calpe,
Tartessus atros fumigantibus transtris
Spectaret ignes, Herculique vicini
Tremerent labores, jamque fessus armorum
Philippus acri posceret moram bello,
Iterum phalanges scribit, & suas Rheno
Sociat cohortes, Martiasque despumat
Tamesis procellas. Vnus hostis ambobus,
Commune bellum est. Tu Deos Batavorum
Proceresque nostros, Belgiique custodes,
Affaris, Heros magne, tu Rosas lato

Donas Leoni, regiosque facundus
Iussus recludis, consilique momentis
Latè patentis flectis imperi frena.
Talis feroces voce flexit Atridas
Nestor disertus, & duces Mycenarum
Affatus olim est. talis arce Tarpeia
Cyneas Quiritum Patribus dedit pacem,
Doctè locutus. Et velut mari vasto,
Postquam furentes stella latior Cauros
Fugavit undis, emicantque perculsis
Ledaa signa, terror exulat ponto,
Dimissa rursus vela Tiphys expandit:
Tu sidus almum, tu jubar salutare,
Heliceque fulges, vindicesque Belgarum
Dexter secundas: quo loquente bellorum
Horror facessit, Hesperique regnator
Ferale rebus augurat suis signum.
Sublimis anima, magne regis interpres
Dudlae, qui me purpura Britannorum
Donis inauras, pessimoque tot vatum
Offers stupendum munus optimi Regum,
Musisque nostris censor aquus applaudis:
Has sume grata mentis obsides chartas,
Arram clientis, candidique libamen
Castum poëta. Sorte si meâ dignum est,
Placuisse sceptris, jam benignus indulge,
Placuisse vobis. cur iniqua sit Phœbe,
Favente Phœbo? cur neget serenatos
Aurora vultus: quem serenus adspexit
Titan, tuaque gentis editum Numen?
Me si favoris compotèm tui faxis,
Excelsus ibo, quà super Deûm sedes
Mundique tractus, fornicesque flammantes,
Superûm theatris destinaris, & cœlo
Pramittis amplùm splendida decus famâ.
Sic lata semper Carolo fluant secla,

Vi-

Vivat beatus, veritatis assertor,
Et Christiani nominis potens robur.
Sic gratus illi, particepsque curarum
Sospes superstis. Patriaque jam fare,
Qua verba laudet Belga, damnet Hispanus.

Ad Nobilissimum virum,
LAVRENTIVM REAEL,
rerum Indicarum nuper in India Orientali Præfectum, nunc Matheseos studiis vacantem.

VIr magne, cujus dexteram calens pavit
Eous orbis, fervidoque supposita
Imperia Phœbo, cujus Occidens ductu
Latè potentis fregit arma Castellæ:
Quem fama belli, Martiique conatus,
Tidora supplex, Cantaberque depulsus,
Totiesque Belgis impetita Ternate
Vexere cœlo, quà latus per Arctoum
Delapsus Indus exteras rates vectat,
Gangesque lato Bengalæ sinu latrat:
Iam pacis almæ cultor, & procul fusi
Satur cruoris, exilique majorum
Laudatus ultor, victimis Iberorum,
Patriæ, tuisque plus satis parentasti.
Post bella Phœbum, barbarasque post cædes
Cyrrham capessis, & furore Mavortis
Tandem expeditus, subdis ocio Martem,
Hastam Camœnis, pileoque commutas
Placidaque olivâ lauream triumphalem.
Non jam tremendus vindicem Moluccarum
Ensem coruscas, nec tuas Batavorum
Curas lacessit miles, aut minax classi

Instat Malacca. rapta Cantabro regna,
Victum cubile Solis, æquor Eoum,
Tuaque laudis spatia vasta metiris.
Non jam superbas Amsteli fori gazas
Bellator auges, scriniisque mercantum
Infers avaræ dulce pabulum mentis.
Non ventricosas mercibus rates lassas;
Non federatas regibus manus jungis;
Valloque castra cingis, aut struis muros.
Quid Banda vectet, auribusque protentis
Malbaricus hospes, Borneumque, securus,
Stellata mundi templa, siderum lapsus,
Ortusque rectos, & tueris obliquos.
Deûm penates jam placere cœperunt,
Cui domita tellus; quaque parte terrarum
Emergat Arctos, occidatque, vel rectus
Volvatur orbis, & moras tenebrarum
Titan adæquet lucibus, vel extendat,
Scrutaris, alti municeps novus cœli.
Quæ causa priscis astra sedibus trudat,
Cur Spica fugiat Virginem, & minans cornu
Medio remotus orbe frigidum spectet
Aries Booten, cur suos trahat currus
Borealis Æthon, plusque pellat Australis.
Vt axe in isto, quo ferox Ducem sensit
Iberus, umbra dextra, vel sinistrorsum
Flagellet æstum, bisque torreat fruges,
Bis altus ipsum verticem premat Phœbus:
Toties quadrigas sistat; & dies nocti
Describat æquos; luminumque tot vultus
Attollat omnes, & mari lavet cœlum.
Quot vasta sese terra passibus pandat,
Vestigat animus, aut quibus sagax China,
Feraxque Timor santali, vel Ambona,
Spatiis Batavo distet orbe, metitur,
Discitque inermis, quæ subegit armatus.

Hæc

Hæc ipſa certe docuit accolam Nili
Chaldæus Abram. norat iſta cœlorum
Librator Atlas, Herculeſque ſuffectus.
Hac involutos arte temporum faſtos
Cæſar recudit, & novum decus ſceptris
Alphonſus addit: barbaroſque crudeles,
Tenebricoſos Cynthiæ notans vultus,
Flexit Columbus, quoſque contumax Indus
Cibos negabat, eruditus extorſit.
Hac arte mundi ſuſpicis creatorem,
Luſtrator operum, machinæque ſolertis.
Quantumque poſſit numinis vigor ſummi
Nutu potente, mens quieta perdiſcit.
Vices beatæ, ter quaterque felices,
Quæ te ſerenis hoſpitem Camœnarum,
Divæque templis reddidere doctrinæ.
Quam vita diſpar, diſpareſque jam curæ
Pectus fatigant, ſpiritumque Bellonæ
Furias peroſum, & ſæva jura Mavortis,
Vel Archimedi mancipant, vel Euclidi.
Qui caſtra nuper, militemque lunari
Clauſum figurâ, circuloque direxti,
Impune circos, anguloſque jam formas
Levi papyro, & ficta caſtra depingis
Dux incruentus. qui ſuetus armatam
Numerare gentem, filioſque Neptuni,
Quot Vrſa ſtellis, Pegaſuſve cœleſti
Micent theatro, ſupputare jam gaudes.
Nec trux machæra, fulminanſque balliſtæ
Profligat hoſtem. circinos rotat dextra,
Quæ ſtrinxit enſem, perticæque chartarum
Se diſſecantes arte dirigunt ſulcos.
Sphæram volutas, hoſtiumque tot tractus,
Goam potentem, vaſta regna Sinarum,
Diteſque Iavas: quaſque adire non ſivit
Hiſpanus oras, tutus undique adſpectas.

Sic fama duplex posthumum vehet nomen,
Patriæque Mavors te sacrabit, & Pallas.
Quantumque vires horruit tuas Batis:
Defensa quantum vindici suo debet
Eoa tellus, insulæque non victæ:
Batava tantum, plusque terra debebit
Bellonæ alumno, præstitique Musarum.

In Poëmata Amplissimi & Clarissimi Viri HVGONIS GROTII.

PRæclare Groti, tota cui Caballino
Inebriata fonte provocat priscas
Thalia lauros, & prioribus seclis
Ligata verba; seu gradu cothurnato
Sublimis altum nubibus caput condis;
Seu soccus humili lenis ambulat gressu,
Elegosque fundis, & necis Lycambeæ
Testes iambos: Ecce, semipaganum
Tuas ad aras sacra ferre vix ausum,
Iam ferre cogit horror ille divinus
Tua Camœnæ, & invidenda majestas,
Quæ me relictos rursus ad lares Phœbi,
Cirrhamque revocat, pallidamque Pirenen,
Vt post faventes Vossii tui voces,
Post vota Baudi, calculumque Iosephi
Tanto poëtæ, vindicique Musarum,
Ineruditum serus accinam carmen.
Præclare vates, lux, decusque Belgarum,
Libitina cujus nulla nomen exstinguet:
Vt me loquentem perculit sacer Ionas,
Iam tertium renatus, & solo cœlum
Placans redemptor! Quis furor Deo dignus,
Quæ sancta Manas pectori tuo sedit?

Cum

Cum per ſacratas myſtica dapes menſa
Rotas trochæos, altiuſque ſubvectus
Pia futurum mente concipis feſtum.
An Pallas aliqua præſidens Dei templo
Hæc ipſa ſuaſit? aut Apollo cœleſti
Afflatus aura ſacra Chriſtianorum
Didicit ſonare? vel receſſit in Cyrrham
Cyrrhæ creator, & ſcholas poëtarum
Neſcire non vult, quæ beare nos poſſunt?
Vileſcit omne, quicquid eſt profanorum
Vbique vatum. non Catullus, aut Naſo,
Vaferque Flaccus, Bilbiliſque laſcivæ
Dicax alumnus pulpitum fatigabunt,
Te vate. longo linquitur gradu Vida,
Et Symmacho commiſſus ad pedes ponit
Faſces poëta, terreos ſuper quando
Raptus penates vota nuncupas Chriſto.
Cedit Iuvenci, cedit illa Seduli
Senis Camœna: dumque ſancta deſtillas,
Simul omne Clarium doctus artifex robur,
Helicona totum, & quicquid eſt venuſtatis,
Et eruditæ antiquitatis, expandis.
Beata tellus noſtra, quæ decus tantum
Oſtendit orbi. ſi quid accolæ Galli
Debent Thuano, ſi Caſauboni manes
Veneratur Anglus, plus vetuſta Cattorum
Gens, terror orbis, artiumque fecunda,
Plus tota paſſim turba laureatorum
Tibi debet, heros. Tu relicta Civili
Imperia Batavûm, bella tot per æſtates
Pugnata Belgis, dexteraſque commiſſas
Dextris Iberûm, tu vices laborantis
Terræ, gemenſque Belgium ſub Albano,
Cædes nefandas Principum, nurus raptas,
Exuſta templa, gentis improbæ motus,
Feduſque toties Marte vel dolo ruptum

Tran-

Transcribis ævo. Tu ferax triumphorum
Arcessis altè stemma Nassovæ gentis,
Dignumque sceptris Romuli genus cantas.
Tu, ne trophæa parta dextera forti
Arausiorum posthumus neget livor,
Aut sileat ætas, das nepotibus sciri
Ignara lethi. Quid per Isthmium littus
Florem virorum, ludicrosque victores,
Vilesque palmas, fervidasque quadrigas
Thebane jactas? alter hic triumphalem
Scandit quadrigam, victor efferæ gentis,
Regisque Iberûm, patriæ datus cadis
Mauritius ultor. quique Belgicæ testis
Virtutis esset, urbiumque captarum,
Hoc solus axe Grotius quatit plectrum.
Nec bella solum, militisque funesti
Depingit ora, sed furore Mavortis,
Patriaque damnis expeditus, infestos
Hostes adunat, exulemque Gradivum
Multùm petitæ præco pacis exarmat.
O cygne Delphûm, non tuas Batavorum
Viris adæquant gesta, nec tuis una
Sat regio cœptis. transmarinùs assurgis
Ad sceptra Regum; quaque duplicis regni
Iacobus hæres triplicem domat gentem,
Albiona, Iernen, & Caledonis lucos,
Festo recentem purpuram beas versu.
Quis non stupescat gratulantium voces?
Sic posse fari Galliam, loqui Scotos,
Et cum Britannis sedis incolas nostræ?
Tu lingua cunctis, Musa, vox, & orator
Tot subditorum vota solus exolvis.
His vectus oris Tethyos vias longè
Tranas poëta, radis Herculis metas,
Mixtusque duræ navigantium turbæ
Mersas Iberos. Vivis acer Heemskerki,

Et

Et iste quandiu Solis occidet currus,
Carteia stabit, accolent fretum Gades,
Fatale nomen pertimescet Hispanus.
Sed mox severos, facta mitior, ponit
Thalia vultus, principum canens tedas,
Mixtamque sobolem. qualis ille Veronæ
Cecinit marinam Pelei ducis nuptam.
Aut qualis uno nexuit thoro sponsam,
Honoriumque Claudiana Pimpleis.
Exinde Latios posse jam Syracusias
Sonare cantus, Atticasque mirabar
Veneres amictus induisse Romanos.
Quid Græcia jam proprium? refert sermo
Latinus illam, & si quod est decus Grajis,
Et oris ampli Doriensium genti,
Non æmulandus æmularis interpres.
Tandem gementis præfica capis munus,
Et justa solvis. sequitur una defunctos
Laus sempiterna vatis, & trucis lethi
Sepulcra laxat. Scilicet fuit tanti
Nunc occidisse, præmiumque virtutis
Tulisse memores carminis tui flos.
Hæc inter, ibam, quà per omne doctorum
Agmen faventes prodigus rapis Musas,
Nunc ora regum pingis, aut amicorum
Censes labores, nunc libris poëtarum
Præludis, amplum vel per æquoris littus,
Miracla Batavûm, mobilem Noto pinum
Velis adornas. navigat tibi currus,
Curritque navis. arguunt ratem venti,
Currumque tellus. arguunt ratem vela,
Rotaque currum. creditur licet currus,
Nec triga tamen est, nec quadriga, nec biga.
Risi subinde Lentulum, tui risi
Fallax amoris somnium; sed hærebam
Adstricta cernens jura Cæsarum versu,

Osque hic disertum. donec illa me Crœsi
Midaque gazis, annulisque Gorlæi
Potior supellex voce pavit arguta.
Princeps poëta, mensque fœta doctrina,
Quo thure quæso, qua tibi novenarum
Chorus Dearum, aut quisquis est Caballina
Sititor unda, victima dabit sacrum.
Tu major omni victima. placet solum,
Vt jura moto des Poetica Phœbo.
Et nos, tuarum vilis umbra virtutum,
Humiles myricæ, verba vincta conantes,
Qui farre tantum adoreo & molâ salsâ
Inopes litamus, te fatebimur proni
Vatum (facesse livor) Imperatorem.
Tantoque cunctis vatibus magis vatem,
Quanto es Batavis omnibus magis charus.

Ad
CONSTANT. HUGENIUM,
EQUITEM,
cum Panegyricum suum eidem mitteret.

QVi clara magni fata Principis luges,
Mihique latus accinis parentanti:
Nunc vatis ausus alterosque conatus
Dignare veniâ; dum per inclytos raptor
Ducum labores, præpetique sublatus
Pennâ furentem Marte verticem stringo.
Hic sceptra Princeps, & novos paludatus
Fasces capessit, & decus Batavorum,
Togæ secures, vasta regna Belgarum,
Et fœderati prisca jura Gradivi
Iussus tuetur. hic parentium lauros,
Nomenque Adolphi, & tincta cædibus Thracum
Gentis suorum bella spectat Henricus.

Loquitur Loysa, perfidosque Francorum
Damnans amores, dexteraque venalis
Scelus nefandum, tanta fata solatur
Vltore nato. cui pueritiæ fervor
Porrexit ensem, Martiusque conspersit
Pulvis juventam: sive duplicis Rheni
Circum fluenta Cantabrûm globos sistit,
Vahalimque turmis asserit laborantem;
Seu pene victis Marte Cimbrico muris
Avertit hostem: sive dux Palatinas
Conscendit arces, & futurus assertor
Gaudente Nicro fessa castra disponit.
Cœleste magna stirpe defluit semen,
Originique mentis aura respondet.
Se donát orbi, nec sibi petit vitam,
Regnique poscit jura sanguis heroum.
Privata spernit, publico vacant curæ,
Mundique causa lassat arbitros mundi.
Quid non Batavûm terra speret, Hugeni,
Rectore tanto, quem Parentis excelsi
Invicta virtus, indomabilis Frater,
Et gésta claræ bella destinant famæ.
Quem cum creari vellet Imperatorem
Patrum voluntas, pronus annuit Mavors,
Plausere cives, federisque consortes,
Gallus, Britannus, Adriæque potator,
Et Scotus audax: solus horruit Batis,
Et sævus Astur, & solo triumphantis
Quicunque nobis hostis invidet laudem.
Tu vota confer, quique Belgici scribis
Arcana regni, & tot petacibus chartis
Responsa reddis, sacculosque rixarum,
Et litigantis empta Curiæ verba,
Nunc decidentis vile jurgium stillæ,
Nunc derelicti triste murmur hæredis,
Nunc qua molestus poscit ara consultor,

Sere-

Sereniore Principis fugas vultu:
Applaude mecum. Nassava favet genti,
Defensus illa quisquis hic stetit dextrâ,
Non victus hosti. si per Elidis campos,
Olympicosque Pindarus ruit ludos,
Et æmulantum pulverem quadrigarum
Non æmulanda fert in arduum penna:
Si consulares Mallii canit fasces,
Romæque dominos altus invehit cœlo
Nili poëta, fervidoque qui debet
Cunas Canopo: nec pudebit audaci
Cantare cantu Belgici soli Patres.
Quod si superbus altiùs vehi credar,
Ceraque niti; mergar Icarus ponto,
Pereatque Musa pejor optimi civis.

IN OBITVM
Clarissimi Viri,
ÆLII EVERARDI VORSTII,
Medicinæ apud Batavos Professoris celeberrimi.

MAnes beati, tuque municeps cœli
Mens casta Vorsti, qua negata jam terris,
Mundique fœdis expedita cancellis,
Tumultuantem cernis orbis orchestram:
Et nos tragœdos, fabulasque, quæ dantur,
Sublimiore tuta sede despectas:
Si celsus hisce condolet malis æther,
Superosque tangunt mœsta verba viventum,
Hos sume questus, consciasque virtutum
Voces tuarum, nostra quas tibi Pallas
Inerudito tristis ingemit lessu.
Plorant dolores cæteri, stupet præsens;

Cyrrham-

Cyrrhamque claudens, pallidamque Pyrenen,
Haurire sacri fontis impedit lympham.
Quin ipsa frontes irrigans Poëtarum
Libethra rarâ labitur dolens guttâ.
Ereptus orbi est magnus arbiter fati,
Domitorque mortis, & labantium vindex,
Et restitutor, & peritus assertor.
Qui proruentis tela contudit lethi,
Iamque occidentes, jamque penè clamatas
Luces retraxit, staminumque director
Tardavit arte propera fila Parcarum.
Cui jura vitæ, seculique languentis
Imperia, Phœbo deferente, parebant.
Hac sensit ipsa, quæ superstes excussit.
Hoc ore priscos Græcia imbibit patres,
Senemque Coum, Pergamique doctorem
Studiosa pubes, & scholas Pelasgorum;
Et quicquid olim sapuit Hellas antiqua,
Traduxit ad se; totque damna morborum,
Vitæ labores, abditas vias lethi,
Attenta didicit. Hic senis Stagiræi
Oracla genti prodidit Batavorum,
Medicisque curis tanta verba præstruxit.
Quippe illa sacri fœderis ligat nexu
Doctrina prudens, nesciosque Naturæ,
Cacosque turpis inscientiæ mystas
Damnat Machaon. non medebitur rectè,
Sanare quisquis, quem volet, stupens nescit.
Nec fata solum, funerumque tot casus
Mens cauta flexit, ingenîque nascentis
Caliginosos voce dispulit vultus.
Hunc Federati Martis inclytum fulmen,
Arausiorum gentis & soli Princeps,
Humanitatis vindicem suæ scripsit.
Vt, quæ potentem cura lassat Hispanum,
Orbemque nostrum fulcit, ille fulciret.

Talis Lyceo, patribusque Musarum,
Sic vixit urbi, quodque laudis est summum,
Sprevisse potuit, quos stupemus, applausus.
Sed vixit, eheu, fidus ille morborum
Curator animus, & salutis antistes,
Recti satelles, & severus exactor,
Cultor bonorum, victor invidi dentis,
Industriæque pertinacis exemplum.
In quo benigno lenitatis adspectu
Gravitas verendæ miscuit decus frontis.
Abivit, eheu, speque plena natorum
Terris dicavit vota, spiritum cœlo.
Vbi beatis celsus accubans mensis,
Humum perosus, seculumque, quod fluxit,
Orditur aliud, nec salutis humanæ
Iam sospitator, corporisque quassati,
Felicitatis occupat suæ portum.
Vbi perennes vita protrahit luces:
Coram tuetur, quæ remota speravit:
Non luctus illi gaudio comes vadit:
Nec membra quicquam carnifex dolor frangit:
Morbi facessunt, febriumque tot turmæ,
Clarusque terris Vorstius, viget felix.

IN
Diatribas Scholasticas
Cl. Doctissimique Viri
THEODORI SCREVELII
gymnasiarchæ.

R*Ector Iuventæ, ductor efferæ gentis,*
Scientiarum multiformium doctor,
Et arbiter perite disciplinarum;
Potens docendi, quum docentis ex ore
Ignara pendet palpitantium turba:

Potens

Potens monendi, quum monere te poscit
Recalcitrantum dives aula Cyclopum,
Et insolentis improbus furor secli:
Quis hic serenæ pulpitum quatit famæ
Novus Palæmon? porticusque doctorum,
Et perstrepentes maximi lares Phœbi
Redonat orbi? quis puertiæ primos
Castigat annos? traducesque dilectos,
Parentiumque tot propagines latas,
Semen Batavum, patriæ renascentis
Perenne germen, spemque gentis invictæ
Sub jura cogit, & rebellis orchestræ
Retundit ausus? pandis ora, Schreveli,
Diserta Rhetor, & scholasticum Belgis
Regnum reformans, sceptra pædagogorum,
Trepidosque fasces, & tribunal augustum,
Totumque cœtus litterarii circum
Legum catastis vinculisque constringis.
Hic oscitantum nænias magistrorum,
Hic imperitos commatum latratores,
Ineptiarum serios rogatores,
Scabrasque voces, & superba fastidis
Elementa vocum, ludicrosque natales.
Hic sparsa latè regna Grammatistarum
Arctas ephebis; dogmatumque congestos
Purgas acervos. hic nepotibus diram
Ferocientis Orbili dicam scribis:
Corylisque lentis, frondibusque nodosis
Præfers minacis acre jurgium frontis.
Hic Tulliastros verba more mendici
Ferruminantes, sordiumque priscarum
Quasi ostiatim luridos petitores,
Reos lacessis: hic rudes solœcismos,
Fecesque Euandri, Rhetorumque tot morbos
Arces Lycæis, puriorque præfaris.
Hic erudita pubis impigros gressus

Urges

Urges triumphis, laudibusque suffulcis
Avara famæ pectora, & facem subdis
Virtutis œstro. torpidas pudor mentes
Incessit atrox, seculique despectum,
Vivumque rerum nesciis parat bustum.
Hic fœta vitiis induit repurgatos
Natura vultus, & docentium curis
Gaudet renasci, ne profana stribligo,
Illiterata mens, proterva vecordem
Analphabetis vita reddat ætatem;
Interque cœtus semifœminatorum,
Inersque vulgus langueat veternosa.
Quid prisca jactas Orpheum tuum Thrace
Flexisse tigres, amniumque veloces
Stitisse fluxus? horridas Hebri vatem
Stupuisse rupes? hic tigres Batavorum,
Rabidumque pectus fervidæ juventutis,
Osque illud audax, & jecur leoninum,
Furiasque docta voce mulcet orator.
Quid sponte grandes credis erigi Thebas,
Cantuque flecti lubricum pecus Nerei
Excors vetustas? quid laboribus fictis
Alcmena natum laurea poëtarum
Superba donas? sordibus repurgatum
Stabulum tyranni, sævientsque Stymphalis,
Et pullulantum fata Lerna monstrorum
Scholæ fuere, agrestiumque pugnaces
Iuvenum palæstræ, flagitique fœcundæ
Sodalitates. Tu Batavus Amphion
Has condis arces, urbiumque præmunis
Virtute portas. Tu renatus Alcides
Hydras fatigas, & potente doctrina
Nessum trucidas, frangis ora Centauris,
Et versipelles arte subdis Antæos.
Per te aleator, improbusque scortator,
Perjurus, exlex, cœlitumque contemptor,

Et fastuosus, publicusque grassator,
Et qui superbas inflat impotens buccas,
Et qui bibaci vina gutture eructat,
Æris paterni nominisque decoctor,
Et quicquid usquam criminum atque monstrorum
Perdit venustum impuberis decus vitæ,
Mundo fugantur. Sanctitas, fides, candor,
Sororiansque veritas fatiscenti
Redduntur ævo. Tu velut mari magno
Flectens carinam Tiphys, ocium fesso
Donas ephebo, jam vigil truces ponti
Diffringis æstus, & minis procellosum
Componis æquor; mox severus obstantem
Hellen flagellas, exuisque Neptunos.
Vir magne, cujus insidens labris regnat
Vis tanta fandi, quo nec alter hoc cœlo
Aut jussa dictat rectiora cirratis,
Aut verba balbis aptiora præmandit,
Sive explicatos Rhetorum sinus pandis,
Seu sensa vinclis contrahis Stagirais,
Vel in recessus grandium poëtarum
Doctor recedis: Iam Palæmonem Belga
Audit loquentem. dumque gymnasî priscos
Evolvit ortus, regibusque calcatos
Legit penates, atriumque Pelida,
Sublime majestatis ardua limen
Veneratur ultro, & fascibus tuis charos
Subdit Quirites. Ipse vocibus doctis
Recoctus infans, jamque plus sibi notus,
Fidem Tonanti, lumen ingenî famæ,
Consulta Patriæ, verba commodat rostris,
Seque esse gaudet, qualis haut potest nasci.

Ad
ISAACVM DORISLAVM,
quum Iuris V. D. crearetur.

CVi pulvis oci, & pædagogicum murmur
Ferulæque tristes, & recocta ter crambe,
Et elocati temporis dies lenti
Erectioris mentis indolem frangunt,
Animumque sellis mancipant magistrorum;
Isace, quin te seculo tenebroso,
Vmbraticoque nomen eximis ludo,
Et inquieta prælegentium turba?
An illa Graji docta suada sermonis,
Oris'que Latii prædicanda majestas,
Sophiæque sacrum pectus, & labor Phœbi,
Servire semper poscet? & fremet voces
Rudi Iuventæ, barbarasque purgabit
Illitteratis sordibus diu chartas?
Captivus istis quando liber è vinclis
Tibi vacantem spiritum trahes latus,
Patriæ decorus? num Scholæ sacramentum
Illiberale, pertinaxque dixisti?
Nec sat superque laudis indigens fama
Attrivit avi primulum tui florem?
Fallor. verendos en tibi lares pandit
Astræa virgo, & prisca Cæsarum jura,
Ac purpuratas expedit Themis voces,
Legesque regni, multiplexque sufflamen
Prævaricantis dictat ausibus mundi.
Hac arte nixus, altius Deûm sedes,
Fastigiumque laudis, & procul vulgo
Ignaviaque dissitas domos scandis,
Olidi'que sensim pulpitis virescentes
Subducis annos. altioribus curis

Debe-

Debetur ætas ista, quæ sui juris
Spectare Soles, plusque candidos possit.
Non sat, Iuventæ profuisse; jam rostris
Virisque sacri sensa juris imperti;
Et ipsa tecum patriæ salus crescat,
Tuasque laudes commodis suis jungat.
Ecquid Palæmon, Orbilique clamores
Tardant euntem, ignobilique concludunt
Cœlestis auræ portiunculam circo?
Vir docte, vir venuste, flos amicorum,
Balbutientis hactenus scholæ verna,
Iam majus adstet impetus tuus Numen,
Tandemque vincla mentis expedi robur.
Servire nescit, quem Senatus augusto
Investit auro, pileoque libertas.

IN HONOREM LEONARDI SYPESTEYN,

I. V. Doctoris.

Præstans Ephebe, corculum Camœnarum,
Constans Batavæ humanitatis assertor,
Et summe cultor elegantiæ morum,
Vindex severi Iuris Imperatorum,
Quos vel superbis Roma collibus quondam,
Rerumque dominos Occidens salutavit;
Vel quos Eoa parte vidit augustos
Helles sepulchrum, barbarusque Thrax pavit.
Seu jam profundos disputator illustras
Legum recessus, Italosque doctores,
Trucesque Baldi Bartolique rubricas,
Balbutientis seculi sacras voces,
Totque involutam nubibus Themin pandis:

Seu jam decorum verticem tibi lambit
Phœbæa laurus, Cæsarumque concedens
Indulta Pallas magna verba transcribit:
Exurge curis expedita morosis
Mens docta tandem, desidisque jamdudum
Spretor Vacunæ, ingloriique languoris,
Vocem Poëtæ gratulantis hanc audi:
Excelsa virtus indolesque non vilis,
Discreta vulgo, semet erigit semper;
Novoque gestit ira celsior motu,
Contenta nunquam. vividæ focum mentis,
Ignesque sufflat laudis aura sopitos.
Nec precia spernit, anxieque nec poscit
Honestus ardor. illa spernit & damnat,
Majora meritis quæ sibi dari credit.
Quæcunque lenis gratiæ favor confert,
Aliena dicit, emta nec placet fama,
Veniamque sperat inscientiæ nullam.
Sic teste Leida, pectus ussit erectum
Fax ista laudum, gloriæque vis prima
Fastidiosas otii moras rupit.
Nec docta Phœbi templa lentus intrasti,
Aut te sequentum studia ponè spectasti,
Sed quà præibat turba litteratorum,
Sitiensque honoris alter, acer ivisti.
Et qualis ille fervidos rotat currus
Superbus Hiero, totque despicit retrò
Ducum quadrigas, quas vel Isthmium littus,
Vel vidit Elis, carceres tuos linquis
Gradu citato, terminique jam compos
Apollinari laureâ caput cingis,
Plaudentiumque vota colligis latus.
At tu, beate, sive patriæ solves,
Quæ docuit ipsa, sive regna Gallorum,
Veteresque Celtas, Ausonasque spectabis,
Justi memento, nec leves puta voces

Tho-

Themidos verendæ, & (ah) labantis Astrææ.
Tua scita præsta, sanctiorque commendet
Doctrina mores. alterum cave lædas,
Suumque Titius auferat, suum Cajus.
Non cura fallax pestilensve donorum
Decidat æquo, nec malus clientelam
Consultor unquam commoda improbæ causæ.
In lege jus sit. non diserta laudatur,
Effronsque jura mentientium lingua,
Vocisve multum differentis orator,
Sed recta suadens, nesciusque mercari.
Sic jura Minos gentibus dedit quondam,
Sic Sparta causas dixit è tribunali,
Sic gratiæ expers pallidique livoris
Tot inferorum versat Aeacus sortes.

Clarissimo Viro,

PETRO SCRIVERIO,

novam Tragœdiarum Senecæ & aliorum Editionem paranti.

DVm luctuosi carminis tragœdiam
Molitur orbis, & cruentos induit
Bellona vultus, dum Thyestes, & novus
Tumultuantem pulsat orchestram Creon;
Dum sævus altis Pyrrhus instat arcibus,
Et exsecrandi nurubus adventant dies,
Phryges fugantur, & maritis dissitæ
Lugent Creusa, prisca Troas luditur,
In se feroces tota convertit manus
Europa demens, & furentem pellicem
Imitata natis ipsa succenset suis:
Tu Martialis docte Scriveri jocos,
Pariterque grandes vatis Annæi sonos,
Et insolentes funeras luci nova

Veterum cothurnos, Delphicæque præsides
Quæsitor urnæ litteratorum gregi.
Exsanguis illa nempe conflictatio est,
In quâ triumphum victor & victoriam,
Victusque cladis percipit fructum suæ.
Stant bella calamo: nulla regnorum sitis,
Aut invidenda regibus cubilia
Materia litis. obsitos fœdo situ
Purgare sensus, involuta pandere,
Et impeditos lectionum compedes,
Erroneamque vindicare dexteram,
Hoc agitur omne. quisquis Oedipus fuit,
Aut Sphinx acuta, vel peritus arbiter,
Applaudit illi tota censorum schola,
Musisque amicis gloriæ palmam refert.
Hac arte lacerâ pelle fœdus Hercules
Nitet serenus. gaudet excuti suos
Atreus furores, & Thyestis ferculum.
Hac arte rursus Oedipus felicior
Lumen recepit; temporumque injuriâ
Distractus iterum Virbii currus ruit,
Sed restitutus. proximum Phœbo caput
Tiresia divûm clarius pandit fidem,
Oracla reddens. rapta filii manu
Redit Iocasta vita, teque vindice
Adest petitus omnibus votis Creon.
Quin Hecuba multis involuta plexubus,
Vt dixit olim, filios plangit suos.
Fugiens Iason redditur, mater furens
Discerpta multis membra colligit locis.
Sed ille laso mollis Ægisthus thoro,
Et bellicosi conjugis conjunx latro,
Dolent nefandum litteris prodi scelus.
Alcmena gaudet obsitum caligine,
Lentaque secli tabe confectum decus
Redire nato. ringitur Cæsar Nero,

Octa-

Octaviaque vellet occasum suæ
Oblivioso supprimi silentio.
Tu nil moratus monstra, pristinum decus
Scenæ redonas; dumque picta fecibus
Detergis ora, puriùs multò pater
Tragœdiarum nostra pulsat pulpita.
Inimice vates gentis Hispanæ, tibi
Cur illud adeò gentis Hispanæ placet
Hostile carmen? cur iniqui littoris
Tractas Poëtas? an novenarum chorum
Non tangit ira, si qua Principes ciet?
Nec sæva Musas odia sceptrorum premunt,
Neuterque Apollo est? Omnis assurgit tibi
Recentioris docta seculi cohors,
Grataque fasces mente submittunt suos.
Sic dùm sepultis vindicas scriptoribus
Priscos honores, posthumam laudem feres.
Non ille lethi dentibus teri potest,
Qui litterarum principes vetat mori.

Ad Nobilissimum Virum, GODEFRIDVM de HAESTRECHT, varias Sciotericorum formas Astronomica arte delineantem.

TV, qui citato promoves cursu diem,
Sororiaque crederis lucis parens,
Auguste Titan, magne mensor ætheris,
Pelusiorum gentis admiratio,
Et sanctus horror, qui per obliquos sinus,
Chelasque Cancri, & fronte submissa Caprum
Gradu retorto fervidos currus rotas:
In quem vetustas primus annorum vias
Cæsar reduxit, Cynthiaque motibus
Inordinatos arte transtulit dies:

Subsiste paulum: sive jam recens mari
Emersus umbras contrahi sensim cupis,
Seu vectus altùm rectior gentes feris,
Seu fessus almum fluctibus mergis diem,
Fumansque vultus terra dispandit tuos.
Metitur orbem pertinax industria,
Cælique spatia circulo claudit brevi
Proles Promethei, & temporum signat notas.
Tu per patentes ætheris vadis domos,
Raptusque verum scribis in cœlo diem;
Horasque paribus explicas vestigiis.
Hic in tabellis orbitam pingit tuam,
Et usitatas ponit horarum moras,
Cursusque rarus artifex, mimus tui.
Te prodit umbra, quoque cœli cardine
Currant jugales, monstrat humanus labor.
Stat plana, & æquo deserit libramine
Inflexa nulla parte terram lamina.
Quam recta tenuis linea secat via,
Mediumque Superis figit & mundo diem.
Hæc limes ille est, umbra quo brevissima
Septentrionis dexterum ferit latus,
Nullamque cernit bis quotannis machina
Obliqua nusquam, quo Syene torrido
Supposita Cancro nescia est umbræ semel.
Transversa rectis ducitur mox angulis,
Tangitque primam norma, quo distans pari
Statione tellus, hic cadentis lumina,
Nascentis isthic indicet Solis jubar.
Hanc umbra lambens parte quartâ circuli
Distat priori, & sexta mortales pigros
Vel poscit hora manè, vel sera expedit.
Quas inter alios scribit horarum situs
Mens arte certâ, qualis emensus polum
Colurus alter, doctus index temporis,
Terræ incubantem dissecat cœli viam.

Exinde gnomon fixus umbram projicit,
Tenebrisque spatia certa designat suis.
Indocta non hunc ponit in circo manus,
Sed gnara rerum. cernis ut celso micans
Cynosura cœlo, nec Batavis occidens
Hoc orbe justo surgat è terrâ gradu,
Axisque curvo permeet centrum situ?
Hac lege gnomon cuspidem tollit suam,
Austrumque spectat hinc, & hinc septem videt
Boreæ triones, horridumque Caucasum,
Vbi Solis expers mensibus sex incola
Tethyn perenni damnat adstrictam gelu.
Nec plana solùm dicit horas machina:
Erectus altis asser assurgens locis,
Terraque recto dissidens libramine
Partitur illas. flectit in muro calens
Tyrois habenas, terminosque conspicit
Motus diurni lucis aurea parens.
Hic arctiore verus horarum situs
Regione distat, anguloque prominens
Angustiore pendet ad poli gradus
Stylus relictos. versat ætheris domum,
Totamque sphæræ obliquioris indolem,
Mens erudita. fabricat Gallis suum,
Suumque Iberis, accolisque Vistulæ,
Heteroscii sque, fervidisque Amphisciis,
Perisciisque frigidis tempus notat.
Fluxere Græcis Solis indices aquæ,
Horasque mensa est discrepantes clepsydra.
Imitatur illas, & vetustis invidens
Hic Belga seclis vindicat palmam sibi.
Godefride, quò non igneus mentis tuæ
Perrumpit ardor, visque cœlo debita?
Quos Archimedes circulos duxit senex,
Et quos Pelasgus docuit Euclides sinus,
Trianguli que multiformis indolem,

Numerosque doctis legibus coërcitos,
Transversa quoties aquet orbem linea,
Quadrata quantum circulari discrepet
Figura, nosti. vasta jugerum loca,
Pressasque valles, montiumque vertices
Metiris oculis. nec satis tellus tibi
Vilisque arena est. scandit editos Deûm
Animus penates, quaque servat Parrhasin
Vrsam Bootes, & triangulum micans
Meruit locari, Siriusque urit solum,
Spectator hæres. hic nefas visum tibi
Nescire, quantis passibus cœli ruant,
Vt summus orbis inferos trahat Deos,
Sequensque lentè vadat adverso gradu,
Stellasque raptu vectet hærentes suo.
Quibus ille tardus exeat vestigiis
Platonis annus, tertiusque qui queat
Trepidare motus. cur propinquior premat
Diana fratrem, nunc remota deserat.
Cur illa plenas porrigat mundo faces,
Conjuncta nullas, cur subinde cornibus
Adspectet Ortum, Cynthium sequi velit,
Moxque antevertat. cur Draconis horreat
Vterque nodos, cur petulantior Venus,
Nunc ire, stare, nunc retrogradi audeat.
Qua parte cœli noctibus minans dies
Aries adæquet, latiusque non sinat
Solem vagari Cancer. ut terram super
Exorta serò Pleias Autumnum ferat.
Quæ zona radiis urat infestis caput,
Quæ temperatis gaudeat caloribus,
Quas non solutâ Iuppiter damnet nive.
Quantum Deorum tecta nostris sedibus
Semota distent: quotque dimensus pedes
Titan coruscans, Marsque supputet minor.
Hac arte fœda dissides inertia,

Vulgum

Vulgumque ſpernis, ſanguinique nobili
Nunquam labantis fœneras fama decus.
Sic aſtra Cæſar didicit, & Solis vias
Oſtendit olim gentibus. ſic circulos
Arauſiorum pingit, inter prælia,
Princeps ſtupendus. ſic Olympi machinam
Atlas ſuperbis fulſiit cervicibus.

Ad Clariſſimum Virum
ARNOLDVM BVCHELIVM,
In Huberti Goltzii libros de Vitis Cæſarum ex numiſmatis Romanis reſtitutis,

HENDECASYLLABI.

VVltus Æneadum, duces Quiritum,
Stantem curribus eſſediſque Romam,
Et Romæ dominos, & illa priſci
Secli nomina, Romulique ſtirpem,
Nobis Goltzius exhibet videndos.
Tu præbes mihi, Bucheli, legendos.
Devotaſque animas perennitati
Tranſcribis mihi, lege non loquendâ.
Spectо Iuliaden, verenda qualis
Dictator tulit ora, vel remiſsâ
Obnubit caput infulâ ſacerdos.
Agnoſco phialaſque, laureaſque,
Et ſtellas, aquilas, decempedaſque,
Vexillum, capedunculas, aratrum,
Cultros cum lituis, faces, patellas,
Vrnas, pilea, Flaminum ſecures,
Et quæcunque ſibi popoſcit augur,
Et quæ promeruit ſibi triumphans.
Hic cernas patriæ decus parentis,
Cernas indigetem, ſuoſque quali

Deducat genitore Cæsar ortus,
Ænea Venerisque matris ora,
Seu victrix fuit illa, sive felix,
Seu malit Genitrix Deûm vocari.
Luget Gallia perditis trophæis,
Lugent Teutones, & pater bicornis
Romanas vehit invidus cohortes.
Ægypto domitâ ruunt carinæ,
Et frendet Crocodilus, ampla Nili
Rostris ostia permeat viator.
Vltor Brutus adest, trucesque sicas
Ostentat Latio, comesque Cimber
Tollit pilea fascibus receptis.
Indignor caput improbum ferocis
Antonî, Lepidusque me triumvir
Plus vultu reficit gravi, decoro,
Dum victor domat Asturas superbos,
Exarmatque Tagum, ferumque Batin,
Aut grandi sedet altior caballo,
Aut curru dominam pererrat urbem,
Aut vastos regit imperator Afros,
Aut sævi exuviis furit leonis.
Risi tergeminas sodalitates
Antonî, Lepidique, Cæsarisque,
Non hostes satis, aut satis benignos,
Non charos satis, aut satis malignos.
Vibrant Armenii graves sagittas,
Vincit Ventidius, duplexque serpens
Hinc illinc capiti imminet, viroque.
Iungit castra manus, fides maniplos,
Ægyptum Latio; sereniores
Expandit mulier superba vultus,
Et sculpto Cleopatra fulget auro.
At tu, qui titulis Deûm triumphas,
Vatum grande decus, decus juventæ,
Iam Consul toties, tribunus, augur,

Divi nate patris, trophaea prisco
Octavî tua colligis metallo.
Iam Trinacria, jam subacta Memphis,
Victrices tibi consecrant figuras.
Sacrat Bilbilis ipsa, Cantaberque,
Et qui signa gerit reducta Parthus.
Te Germanice posteri loquentur,
Dum Chaucos, Frisiosque, Saxonasque,
Catthos subdis, & impigri Visurgis
Accenses spoliis tuis pharetras.
Sub te Rhenus arundifer recumbit,
Lugent Vindelici, novisque victi
Prabent pramia pineam triumphis.
Aras intueor, bases, columnas,
Cippos, querceà serta, tot quadrigas,
Deductos peregrè tibi colonos,
Taurorum juga, quosque Gracus, Afer,
Europaque Asiaque latus orbis
Sculpendo tibi nuncupant honores.
Cedunt arma toga, ferocientem
Claudunt templa Deum, tuosque felix
Ostendit mihi Capricornus ortus,
Ac lauri tibi militant perennes.
Mox fastos mihi Consules recludunt,
Et qua Casaribus priora seris
Currunt secula, temporumque fasces,
Gallos, Semproniosque, Claudiosque,
Pictores, Rutilosque, Iuniosque,
Flaccos, Posthumios, Atiliosque,
Fortes Scipiadas, Paterculosque,
Cottas, Æmilios, truces Metellos,
Et claros domitis duces Faliscis,
Et claros Siculis duces subactis,
Captisque Insubribus duces ovantes,
Et victum Fabio morante Pœnum,
Presis Sardibus inclytum Mathonem,

Imbelles Ligures, Getas, Cethegos,
Et Gracchos querulos, graves Catones,
Mixtosque omnibus alites galeros.
Quid Drusos referam? quid Africanos,
Pisones, Curiosque, Caßiosque,
Scauros, Cæcilios, Papiriosque,
Et capto Marium ferum Iugurtha?
Quos ne dicere singulos laborem,
Quotquot Romulidum duces fuere:
Quotquot Goltzius exhibet videndos,
Tu præbes mihi, Bucheli, legendos.

IN HONOREM IOHANNIS BODÆI à STAPEL, Medicinæ Doctoris.

Veteres Pelasgi, palliata natio,
Et vos togati gentis Italæ patres,
Veneranda senio turba, prisca gloriæ,
Et eruditi prima nominis parens;
Quos ipse quondam mille morborum vices
Gratasque vitæ Cynthius docuit moras;
Tunc, cum renatum Virbium mundo daret
Ars Æsculapî, territisque curribus
Discerpta membra redderet Phœbi puer.
Et tot cadentis Græciæ Phrygum manu
Sagax Machaon duceret lentè neces:
Spectate Batavos, Belgicæque porticus
Augusta templa, litteratorum domum,
Sedes amœno destinatas otio,
Circumque honoris, & bonæ famæ scholam.
Majora certè, nec probata Cecropi
Momenta laudum posteri persolvimus
Docta Iuventa, quam laboris orbita

Ad summa rerum vexit, & scientia
Ardor profanis segregavit usibus.
Tollit superbâ sede praclarum caput
Phœbi sacerdos, & decus subsellii
Sublimioris altius mentem vocat;
Nec humile quicquam, seculique ineptias
Apinasque vulgi, futilesque nanias
Spectare suadet. laxat effusos sinus,
Virumque monstrat digna majestas toga.
Et ille celsas pileus radens comas,
Insigne pulsæ servitutis, libera
Placitis magistri sensa doctorum expedit.
Semperque servum, semper obsequens pecus,
Et usque sectans antecedentum gregem,
Erectus odit; nec faventibus Diis
Didicisse credit, qui docere nesciat.
Digito coruscans annuli solers labor
Precium sciendi pensat, & tot artium
Tractus patentes, disciplinarum modos,
Totumque Phœbum circulo claudi docet.
Sociata dextra dextra Musarum fidem
Adiurat obses, symboloque publico
Damnat Camœnas mentis indigas bona,
Sterilesque rixas litterarii fori.
Hìc sævientes commatum super situ
Criticas cohortes & minaces paginas:
Hìc obsoletis sordibus Pacuvii,
Vel discrepante lectionum indagine,
Blattæque morsu, dentibusque aranea
Enata bella, rupta fratrum fœdera,
Odiisque fœta pectora, atque irâ gravi.
Nunc clausa celsis charta pulpitis jacens,
Hoc scire nos vult, quod reservat abditum.
Nunc ipsa celsis charta pulpitis patens,
Crebro labantis ingenî prodit vicem.
Dum nostra facili miscet ignorantiâ

Humanus error ſcita, nec totam cupit
Aut ſe videri vel recondi veritas.
Non iſta Pallas ſedibus ſanxit ſuis
Monumenta laudum, nec nepotibus Remi
Corona doctum dignior cinxit caput.
Non ſic Lyceo, non Cleanthea domo,
Non Socratea gente prodiit puer.
Qualis ſub axe Belgico fama vadum
Tentat Bodæus, invidique nominis
Decus reportat, & ſerenum verticem
Lætus paternis inferet penatibus.
Habet omnis ætas æſtimatores boni,
Sapientiæque rarioris arbitros;
Non pretia recto defuere, non favor.
Suique magnis debiti virtutibus
Plauſus fuere, nec recentis ſeculi
Aut poſterorum cura ſegnior fuit.
Nunc vos favete, quotquot herbarum trahit
Inſons cupido. tu Camœnarum pater,
Latè patentis magne luſtrator ſoli,
Et tu virentes Flora diducens ſinus,
Maneſque, clarus quos beavit Atrebas,
Fovete Iuvenem, quem triumphali vehit
Doctrina curru. veſtra non ſegnis ſacra
Veneratus hoſpes, graminum quidquid ſuis
Extruſit agris vaſta mundi machina,
Ter mille ſervat paginis reconditum.
Illi corollam dii, deæque, nectite,
Ter mille textam frondibuſque & floribus.
Sic doctus ille mille lector graminum,
Examinator mille fibrarum ſagax,
Cenſor colorum, mille promus nominum,
Herbaſque pernox interens & exedens,
Herbis tegatur vivus, herbis mortuus.

Ad

Ad
IOSEPHVM VORSTIVM,
I. V. Doctorem.

INusitatum cur mihi barbitum,
Situque fœdam tendere me chelyn,
Iosephe, cogis? cur triumphos
Dedecoras strepitu poëtæ,
Me vate famam, pilea versibus?
Cur invidendis clarus honoribus,
Nec testis expers, vile speras
Pauperis officium Camœnæ?
Dos ipsa virtus est sibi: quam sequax
Licet precetur nominis ambitus,
Se debet ævo, sola victrix
Invidiæ, immemorisque fati.
Crescis merendo, nec titulos tibi
Ignava scribit gratia; nec favor
Aut servit indignæ Iuventæ,
Aut vitium precio coronat.
Tu juris acri præsidio potens,
Intorta legum dogmata dissecas.
Tu Principum consulta gnarus
Excutis, & sinuosa Baldi
Præcepta pandis. Tu Decios sagax,
Accursiosque, & nomina labili
Erepta seclo, quæque terris
Sol Oriens dedit, Occidensque,
Edicta Regum digeris arbiter:
Gravesque jussus Cæsarei fori,
Et vindices recti secures,
Et scelerum recitas catastas.
Astræa tali præside latior
Terras revisit: jura legit reis;

Nec

Nec innocens causa vacillat,
Nec veniam meruere culpæ.
Privata cedunt commoda publicis;
Emptum tribunal displicet; & manus
Avara lucri, quæ nefando
Iudiciis famulatur auro.
Cives tueris: fraudibus obicem
Obdis profanis: te lachrymabilis
Pupillus exorat, rogantque
Te vidui gemitus patronum.
Præstat trophæis tuta domi salus,
Victisque Iberis justitiæ rigor.
Plus, jura condidisse Belgis,
Quam peregrè domuisse Calpen,
Formidolosis vel mare classibus
Stravisse totum. Scipiades pater
Plus cive servato superbit,
Quam domitis Numidûm sarissis.
Quin litterato nobilis otio,
Per Graja raptus compita, Græciæ
Fontes bibisti, nec Latinæ
Inferior studiis Minervæ.
Nunc vectus alâ præpetis ingeni,
Vatum beatos sollicitas choros;
Nunc voce facunda disertus
Attonito loqueris Lyceo.
Mox erudito das Venetûm patri
Chartas Philippi, & fluctibus Adriæ
Infers Batavorum labores:
Et veteris monumenta mundi.
Augusta nescit mens spacio capi;
Quocunque laudum fervida vis vocat,
Grassatur audax, impetuque
Insequitur generosiore.
At cuncta blandæ fama modestiæ
Momenta honorum transilit, & novos

Doctrina

Doctrina successus decenti
Dissimulat pudibunda vultu.
Beate Vorsti, Palladii decus
Diffunde regni; & Celtica dum petis
Illustris arva, vorticoso
Insinua titulos Garumnæ.
Ne docta Rheni pignora Sequanæ
Cedant alumnis. Laxius explica
Laudum theatrum, nec tribuli
Sufficiat placuisse Belgæ.
Sic Leida jactet Vorstiadem suum,
Sic tanta Fratri gaudia divide,
Sic Ælium repone terris,
Et patrio cineri parenta.

In Vetulam libidinosam.

SVnt, quas dedecorant hiulca naris,
Obstipum caput, & retorta cervix,
Aut centum facies arata rugis;
Sunt, quas depreciant putres mamillæ,
Et fœdis recubans caper sub alis;
Illi dens veluti ferocis apri
Pando prominet ore, pendulumque
Labrum non finit admovere labro:
Hanc gibbus populo eximit Quiritum:
Illa est cernua, & ista prona multum
Terram vel gradiens deosculatur:
Claudam spernimus, odimusque luscam,
Et balbam, tremulamque, garrulamque.
At tu Tartareo tremenda vultu,
Mater Tisiphones, soror Megaræ,
Orci filia, squallidum cadaver,
Impurissima sordium cloaca,
Dum pruris nimis, & libidinosa es,
Vno in corpore plus habes malorum.

Clarissimo doctissimoque Viro,

D. THEOD. SCHREVELIO,

pro missis filiolo libellis scholasticis,
Gratias agit pater Hendecasyllabis.

Mittis munera, Schreveli, libellos,
Quæ possunt pueri placere patri:
Mittis munera, Screveli, libellos,
Quæ possunt puero placere patris.
Illic Grammaticos tonare casus:
Illic Rhetoricum sonare schema:
Illic dactylicum rotare carmen:
Illic verba referre Tulliana,
Et fraudes recitare disputantum
Addiscent pueri rudes, tenelli.
Quo Flaccus socios suos aceto;
Peccantes sale perfricet Quirites:
Quàm tristes elegos remittat exul
Vates, per Scythicas vagus pruinas:
Quo cantu Corydon, feroxque cultu
Tellus gaudeat: ut truces poëta
Gradivi lituos canorus inflet,
Et grandi tuba consonet Maroni.
Hic voces repetunt suas Athenæ:
Pelidæ stomachum legunt Batavi;
Romanosque duces, & illa belli
Quondam fulmina Romuli nepotes.
Fastos Sulpicius sacros recludit,
Iudæosque patres redonat orbi.
Et postquam pueris misella terra
Visa est gloria, & eruditionis
Tantæ portio vilior videtur:
Spectat pusio siderum meatus,

Spectat

Spectat retrogrados superbus ignes:
Atque inter Veneris, Iovisque cyclos,
Inter Signiferos, polos, triones,
Zonas, Andromedas, lyras, sagittas,
Et pisces, aquilas, canes, leones,
Fastidit ferulas, scholas, magistros,
Ipsis altior ipse jam magistris,
Cunctis doctior ipse jam Lyceis.
Hæc dum munera mittis, ac libellos:
Libros mittere dico, non libellos:
Quin grates toties loquor datori,
Quot donas puero meo libellos.
Quorum qui benè pondus æstimarit,
Nullos dixerit esse plus apertos,
Nullos dixerit esse plus disertos.

Ad
CONSTANT. HVGENIVM,
EQVITEM,
Poëmatum suorum libros Latino, Gallico, Italico, & Belgico sermone edentem.

O Celle Batavûm, sidus Itali soli,
Britanna Phœbe, Suada gentis Gallicæ,
Cultor Latini nominis, togæ decus,
Et inquieti digna portio fori,
Sodalitatis eruditæ corculum,
Omnisque plena pyxis elegantiæ,
Quem magnus ille triplicis regni pater,
Heresque Elisæ regia tangens manu
Vulgi profanis segregavit cœtibus,
Et invidendo consecravit ordini:
Vt quum disertis implicaris vatibus,

Chartas-

Chartasque volvis, & levem Gnidi Deam,
Nixumque centum fraudibus Cupidinem
Doctè flagellas, nominis tanti memor,
Equitumque famæ, nobilisque sanguinis,
Dextram labanti commodares patriæ:
Quò te Poëtam raptat insolens furor
Tuæ Camœnæ? quæ Thalia, quis novo
Grandes cothurnos Phœbus aptavit pedi,
Nec usitatâ ducit in cœlum viâ?
Non sic priorum lingua Belgarum ferax
Sese locutam meminit, ipse quùm suis
Leges Cheruscis ductor Arminius daret.
Non victor isto VVestphali gentem soli
Affatus ore est, quum cruentis cædibus
Aquilas Quirini terra stravisset ferox,
Positumque longè Roma sentiret malum.
Tu barbarorum verba Celtarum sagax
Nobis recudis. tu propinquos Nereo
Populos virenti laureâ vates beas,
Latiumque reddis Belgio, Cirrham mari,
Helicona Cattis. tu Caballinos doces
Potare fontes salsa regna Tethyos,
Clariisque lymphis ora Teutonum lavas.
Seu quum stupendus vesperas amantium,
Vmbraticæque porticus deliria,
Nemorisque grati basia, & murmur sacrum
Cantu revelas: sive moribus juvat
Ineptientis seculi nasum dare,
Fluxasque semper vestium lacinias,
Et implicatos perfricas braccæ sinus.
O flos virorum, debitum cœlo caput,
Secretioris magne possessor Dei,
Animæque grandis hospes, & Iovis labor,
Quàm nos, & omne, quicquid est vatum uspiam,
Post te relinquis, totque scriptum gentibus
Nec æmulandum posteris cantas melos!

Est,

Est, cui perennis fœnerat fama decus
Germana Pallas, & perunctus fecibus
Tumultuantis vultus ultor Velsii.
Fuit Secundus, quem venusta, quem jocans
Neæra blandis vellicavit osculis,
Suusque Latias traxit in Musas furor.
Sunt queis süaves Sequanæ placent Deæ,
Ligerisque Siren. cuncta concessit tibi
Natura solers, dum quadruplici sono,
Apollinaris plectra barbiti quatis.
Sic altiores usque spiritus gerens,
Assaris omnes, Belgiique terminis
Exis poëta, nunc Latinorum Albulam,
Nunc blandientis pocla Matronæ bibens.
Mox te Britannus verba conantem sua,
Et cernit Auson, Italoque Vandalus
Permixtus ori. nulla non civem suum
Te terra credet, nulla non vatem colet.
Quò plus laborum restat, & se latiùs
Diffundit Helicon, impetus urges tuos,
Novâque laudis pectus accendis face,
Nec scire non vis, scire quod quisquam volet,
Qualis per alta montium cacumina,
Libyæque valles impotens sui ruit
Ferox leæna, cui perurens Sirius,
Aut cura raptæ prolis indomabiles
Accendit iras. illa fontis limpidi
Vestigat ortus, omne scrutatur solum,
Nec antè cessat, quàm repertus dispulit
Insanientem Nilus aut Nigris sitim.

Ad

Ad
IACOBVM PETITIVM,
Advocatum Vltrajectinum.

QVi virtute petis Deûm penates,
Doctis omnibus expetis probari,
Nec quicquam petis, haud tibi petendum:
Non æris malefidus appetitor,
Non laudum malesanus expetitor:
Quem suum Charites, suumque Pallas,
Et suum Themis, & suum sodales,
Et conjunx petiit, petit, petetque,
Bonis omnibus expetite, qui me
Convivam toties petis petite,
Nomen conveniens habes Petiti.

In helluonem.

HEri vocatus venit ad meam cœnam,
Quo nil virorum Sol gulosius vidit,
Nec esitasse plus queat Saguntbinus,
Mutinæque civis, aut Cyclopicus venter,
Orcique custos, & vorax Phari monstrum.
Lactuca primum sessilis gulæ cessit,
Præludiumque vile perna cœnanti.
Strinxit petaces pinguis offa gingivas,
Artocreæque transiere fumantes,
Armusque ovillus dentium minas sensit,
Etiam scolopax pasta, præda brumalis.
Moxque ore eodem pectus anseris condit,
Qum sex placentis una bucca distenta est.
Totque esculenta diluit tribus tandem
Vini lagenis, & liquoribus coctis.
Posthac Milonem ne suum Croton jactet,
Taurum vorare possit & Milo nostras.

D. WILHELMO HERBERTO

Comiti Penbrociæ, Supremo Aulæ Regiæ Præfecto.

SCAZON.

Heros, Britannæ sidus inclytum terræ,
Illustre regno nomen, & decus sceptri,
Qui penè spretis solus annuis Musis,
Batavoque precium grande feneras vati,
Fautorque laudes asseris poëtarum:
Seu jam tiaras purpurasque suffulcis
Nestor verendus: seu remissus à curis
Regum labores lubricamque perpendis
Sortem potentum: seu receptus in Cirrham
Vatum serenis cantibus diem fallis:
Hunc, qui per atros Nerei venit fluctus,
Viasque longè permeat procellosas,
Leni libellum, prædicande Mæcenas,
Continge dextrâ. laudibus tuis Regis
Vacat, tuumque nomen exhibet Belgis.
Si plura poscis, consecrabo me totum
Tuas ad aras. quoque majus haud possum
Donare, dono, mancipoque Barlæum,
Tanto poëtis omnibus minùs clarum,
Quanto es Britannis omnibus magis charus.

Honori Doctissimi Iuvenis,

HERIBERTI de BEAVMONT,

de Nummis creditis, mutuo, commodato, deposito, &c. disputantis.

Pallens Nummule, tinniensque numme,
Dati nummule pignoris redemptor,
Obses nummule, commodate numme,

Quem nec credere vult bonus libenter,
Nec quem reddere vult malus libenter:
Litis Nummule mater, & sequester,
Eversor male numme nummulorum,
Lucrator bone numme nummulorum,
Qui nunc hunc potes obligare, & illum,
Nunc fidem vadimonio revincis,
Nunc egentibus alligas penates,
Agros, prædia, & incubare mœstis
Noctes porticibus soles, diesque:
Quam tu per populos potens & urbes,
Regum maxime, verticem superbum
Circumfers, dominator Universi!
Quam te vocibus invocat disertis,
Argenti gravis esuritione
Aulæ cultor, & haurit usque ad ossa
Clientem penitissimis medullis!
Quàm te castra cohorsque pessimorum,
Et furti venerantur institores!
Quàm te templa colunt, & ære cunctos
Vendens sat modico Deos sacerdos.
Quàm te per Scythicas vagus pruinas,
Quàm te per Libycas vagans arenas
Mercator malesanus expetissit!
Quam te numina summa litterarum
Summi numinis instar osculantur,
Et seras tibi lucubrationes,
Et chartas tibi consecrant & artes!
En Toxander, & optimi parentis
Proles altera, gratulante Leida,
Causas exequitur pecuniarum,
Et leges tibi prælegit severas.
Format pignora, mutui patronus,
Docet depositum, tuosque casus,
Et tot nequitias maligniorum,
Et tot nequitias potentiorum,

Cona-

Conatur tribus explicare chartis.
Illam post operas laboriosas,
Curas multiplices, nec otiosas,
Post laudum titulos, licentiamque,
Iuris præmia, pileum, togamque,
Inter caussidicos tuos loquentem,
Inter virgineos choros amantem,
Et mox conjugis optimæ maritum,
Et pulchra sobole beatiorem,
Multis Nummule nummulis inaura,
Pallens Nummule, tinniensque numme.

Amplissimo doctissimoque viro,

D. IOHANNI SAECKEMA,

Curiæ Frisiorum Senatori.

AVla Senator, curiaque præluſtris,
Cui verba Minos dictat, Æacus jussa,
Astræa sacras temperat fori leges:
Ocelle Frisonum, qui ferè unus in clarâ
Tellure Musas asseris suæ laudi;
Nec litterarum regna, nec veternosis
Sordere Phœbi templa vis magistellis:
Vindex leporis Attici atque Romani,
Omnisque tutor gratiæ ac venustatis:
En quæ verendis justa manibus scripsi,
Atrasque voces, funebremque discursum,
Laudantiumque grande syrma verborum,
Quæ fortè marmor poscet, aut dolens saxum,
Aut ambulator mane vel die sero
Cadaverosis cernet in sepulcretis.
Interpres adsum rancidus tuæ chartæ,
Tuisque verbis verba reddo, singultum
Quæ lectitanti syncopenque mox faxint.
Hic mos & usus optimæ vetustatis,

Et seculi, quod currit, ut rogi laudes
Aut scriptitet cœnatve posthumus testis.
Si præficæ me deesse partibus credis,
Et invidendas ingredi per ampullas,
Encomiastem, ignosce mœsta scribenti:
Si placeo docto judici ac Senatori,
Frisiæque ocellus illa non videt lævus,
Iuvabit hos expectorasse Scazontes.

In Tumulum Nobilissimi viri,
ERNESTI ab AILYA,
Dongriæ-Orientalis præfecti.

VIator adsta, paululumque, si vacat,
Subsiste, donec, quis sit hic cinis, scias.
Quem fata cœlo, fama terris consecrat,
Æternitati vita, patriæ fides
Prudentiaque vis & impiger labor:
Ernestus Alua clausus hac urna jacet.
Hispanus odit, terra dilexit sua,
Amavit omnis qui bonus, fugit malus.
Præfectus agris jura, leges condidit,
Fecitque, quicquid imperaverat prior.
Legatus aulæ jussa pandit exteris.
Martem catastis Belgicum coërcuit
Bis sex in annos. sceptra fœdere illigans
Iunxit potentes, consilique pondere
Sororiantis juvit imperî Patres.
At tu moneris, lenis ut sis civibus,
Pernox honesti cultor, æquus arbiter.
Recti bonique, dantis osor dextera,
Et juris empti. totus obses publico,
Opum modestus æstimator & tui.
Talis moneris esse, talis hic fuit.

DIRÆ.

FRANCISCI PETRARCHÆ

in tumuli sui violatorem improbum.

QVis heu quietam parricida nocturnus
Lacessit urnam? quis manu Thyesteâ
Satelles Orci, barbarusque prædator,
Dudum sepultis manibus ciet litem?
An rursus orbi monstra parturit tellus?
An alter Atreus, artuumque discerptrix
Colchis resurgit? aut Lycaonis mensis
Dapibus nefandis hospes apparat quisquam?
An fas, pudórque, & lex verenda secretæ
Mortalitatis, pulverisque sepolti,
Cessere mundo? perditusque suffossor
Impune sacris ossibus dicam scribit?
Impure scurra, dedecusque naturæ?
Probrum Deorum, sorde concubinarum
Contaminate prædo, quid ferox audes,
Et latro pernox mortuum fatigare?
Petraque tectum seculoque subductum
Laceras poëtam? mortis archipirata,
Tyranne fati, subrutor sepulcrorum,
Terræque, nostrûm matris, exterebrator,
Princeps malorum, sceleris antesignane
Et primipile, quo minus venenator
Sicariusque peccat, aut malus mœchus,
Pecuniæ recisor, & bovinator,
Tortorque & expilator urbis ac fisci.
In te omne crimen majus, ô pater furti,
Cui spem cadaver improbæ facit prædæ,
Spoliumque busto, lucra morte quæruntur.
Super paternum Tulliæ furor corpus
Egit quadrigas. Fulviæ fuit lusus

Ludibriumque immane doctus Arpinas.
Furens Orestes matre pessima pejor
Crudelis audit. omne flagiti punctum
Tu raptor exples, lancinator exstincti,
Sacrique fœde funeris profanator.
An hac Quiritum dicta, facta taxantem
Mactas Petrarcham sorte? vapulans quondam
Pœnas sacerdos hocce poscit à saxo?
Tam serus ultor. scilicet cui duplex
Fortuna scripta est, experitur adversam.
Et quem malignus livor horruit vivum,
Iam mortuo jam bella dicit exangui.
Gemoniarum compedumque possessor
Future, flagris enecande tercentum;
Non te nocentis ipsa Tartari mater,
Non trux Megara, Cerberusque latrator,
Erebique sævus portitor, nec implexam
Quatiens Medusa mille ab anguibus frontem,
Aut contueri aut tangere ausit invisum.
Fuge impudice. terra, pontus & cœlum,
Quicquid deorum est, quicquid est deos infrà
Instant scelesto. quam mihi rapis partem,
Quod corpori eheu brachium revulsisti,
Ante ora crudum stabit, & minans furi
Occultiore pectus ungue discerpet.
Animumque pravi conscientia franget
Tortor perennis. Interim mei vivet
Pars ista melior, famaque inseret cœlo
Mortale nunquam nomen Itali vatis.
Tibi Patavi cultor, ac domus Phœbi,
Tibi Arqua nostri longa corporis custos,
Padique multus accola, atque Veronæ,
Euganea tellus, Adriaque potator,
Non expiandas imprecantur hic diras,
Proque hoc scelestus scelere præda Campanis
Eris, lupisque provolutus Hirpinis.

At vita postquam cesserit, jecur nequam
Famelicus alter exedet tibi vultur,
Vel orbe raptus, quo rotatur Ixion,
Elumbis, exos, fractus & lacer totus
Rapti Petrarchæ brachii lues pœnas.

MANES
Illustrissimi viri,
DOMINICI MOLINI,
Serenissimæ Venetorum Reipublicæ
SENATORIS.

NEPTVNVS.

ABstulerant terris ingentem Fata Molinum,
Et populis visa est flebilis umbra suis:
Cum pater Adriacis regnans Neptunus in undis,
Dicitur æthereos increpuisse Deos.
Deserimur Superi. secedunt numina. vix jam
Adria, quo sese vindice servet, habet.
Non satis est præclara geri. Tritone caremus.
Scribere tot doctis dextera sueta, jacet.
Reddite patritium. vel, Fama teste, profabor:
Iam Venetos, post tot secula, posse mori.

MOLINVS.

PAtrum pompa gravis severiorum,
Civium quoque turba grandiorum,
Et vos quotquot adestis eruditi,
Et vos quotquot abestis eruditi,
Manes dicite posthumos Molini.
Sub quo purpura clarius refulsit.
Sub quo purpura latius rubenti

Sparsit lumine muricis favillas.
Qui rexit mare, classicum, triremes
Belli consiliarius togæque,
Sortis maximus utriusque victor,
Spretor invidiæque sibilique,
Iuris regula, viva lex honesti,
Æternum decus elegantis ævi,
Omnis arbiter eruditionis.
Quem prudentia floribus coronat,
Libertas lachrymis suis inundat,
Fides murmure lugubri reposcit.
Quem plorant Charites, Apollo, Pallas,
Rhetor, & Sapientia magister,
Et quotquot coluit pater disertos,
Aut illum coluere quot diserti.
Idem namque Molinus & Camœna,
Idem namque Molinus atque Apollo,
Idem namque Molinus & poëta,
Idem gloria, splendor Italorum,
Civis optimus, optimus Senator.
Quare quotquot adestis eruditi,
Et vos quotquot abestis eruditi,
Patrum pompa gravis severiorum,
Civium quoque turba grandiorum,
Manes dicite posthumos Molini.

VENETIÆ.

QVot me sceptra vident oculis vicina sinistris,
Non uno toties surgit ab hoste labor.
Nunc Ister, nunc arma parat vetus Albula, (nunc me
Sollicitas jussis, magne Othomanne, tuis.
Hæc inter secura steti. tot sprevimus iras,
Nec volui tantis succubuisse malis.
Si moritur pars magna mei, si terra Molinum
Condidit, & cessat purpura docta loqui;

Erigi-

Erigimur tamen, & quæ fatis restat ab ipsis,
Intrepidam me nunc sola vel umbra facit.

VRNA MOLINI.

Italiæ prælustre decus, Patavique coruscum
Sidus, & in Veneto clarior orbe pater,
Tot cantate viris, tot delassate Camœnis,
Maxima doctorum gloria, cura, labor;
Cujus finitimæ strepuerunt laudibus Alpes,
Et volet à sero fama nepote cani:
Cui non una suas trivit facundia voces,
Cum flueret siccis Castalis unda vadis:
Hoc rogo, clare senex, Batavo concede poëtæ,
Ut tua sublimi pendeat urna loco,
Sidereosque inter Tumulus præfulgeat ignes,
Possit ut à cunctis vatibus illa coli.
Tunc dicet Venetus, Gallus, Germanus & Auson,
Dalmata, Cres, dicet Sarmata, Belga, Ligur:
Illa Senatoris Veneti spectabilis urna est,
Nota domi, multo carmine nota foris.
Quem terras, pelagusque ultra, montesque lacusque
Scripsimus, ecce novis vocibus astra canunt.

Lachrymæ MYLII.

Myli, Batavo nomen inclytum solo
Myli, Senatus pars vetusta Belgici,
Myli, Lycei rector, & quondam Scholæ
Magnæ imperator, lumen ac decus meum,
Et tot bonorum fautor & solatium:
Illustre bustum lachrymis riga tuis,
Et purpurato adsperge pulverem rogo.
Molinus, eheu, vixit, & cultum Tibi
Cœleste pectus, vividique spiritus
Non æmulandum robur astris reddidit.

Rupere Parcæ fœdus, & tuum truces
Rapuere Oreſtem. deſtitutus Theſeo
Pirithous erras, Scipione Lælius.
Quaque efficaci voce te nolunt ſequi
Iam fata, mœrens triſte ſubmittis Vale.
Sic fleſſe Pollux creditur, cum Caſtori
Gravis incubaret ultimus vitæ dies,
Fratreſque tantos Atropos divelleret.
Tecum omnis ordo luget, & ſororibus
Luctu remiſſis næniâ Phœbus præit.
Quin ipſe celſis devolutus Alpibus
Benacus, altis condolet ſingultibus,
Ripaſque ſtreperis tundit eiulatibus.
Euganea tellus, Tethyoſque filiæ
Corcyra, Naxos, & crepundiis Iovis
Superba Creta, quique Veronam colunt,
Et Adduæ potator, & præfertilis
Civis Cremonæ, Antenoriſque Troii
Clari nepotes, juſta funeri parant.
At ille celſi rarus hoſpes ætheris
Inter beatos eminentior choros,
Mortalitatis expeditus vinculis,
Te flere non vult, queſtibuſque proſequi
Manes amici; quem per ora gentium
Clangente ſemper Fama buccinâ vehet.
Dum turbulento fluctuabit in mari
Vrbs terror urbis. dum Deorum porticus
Marcique Fanum ſtabit, & frendens leo
Sacrum tenaci ſtringet ungue Codicem.

P V R P V R A.

DVm faciem mutat Venetus, moriente Molino,
Et ſecura diu ſceptra duceſque timent;
Palluit, & veteres excuſſit purpura vultus,
Et riguere, prius quæ rubuere togæ.

Exangui cum fronte dolet Respublica, fas est
Et vestes patribus condoluisse suis.

FVGA morientis Molini.

CVm ferus Ausoniis Totilas incumberet agris,
Flammaq; Tarpeias perderet una domos,
Et spolium foret omnis humus; cineresq; rogosq;
Adspiceret mærens Itala terra suos:
Fit fuga, & Adriacis surgens Respublica stagnis,
Iura recollectis gentibus aqua dedit.
Adfuit, & magnam Nereus se fudit in urbem,
Tectaque Naïades disposuere Deæ.
Quàm metuo, ne cuncta ruant, fugiente Molino,
Et Venetæ gentis gloria prisca cadat.
Hic vindex fuit. hic animis suffulsit urbes,
Et profugos potuit detinuisse lares.
Italiæ fuga prima fuit. postrema Molini.
Illa Deos Venetis tradidit, hac rapiet.

ADRIA.

QValis ubi immanes tollit ferus Adria fluctus,
Attonitasq; tumens verberat unda rates,
Ille silet, Zephyroque truces mandante procellas
Ponit, & attentis mitior exit aquis:
Non aliter motusque Ducum rabiemque potentum,
Fregisti monitis, clare Moline, tuis.
Fallor? an à Tyberi jam surrexere procellæ?
Cur? non flat Zephyri lenior aura tui.

BARLÆI Threnus.

O Qui fuisti vivus Adriæ fulgor,
Assertor urbis, & natantium latè
Tot insularum; juris horridi ac prisci

Et vindicator imperi senescentis,
Traslans Moline, exemplar elegans natæ
Divinitatis, cymbalumque doctorum:
Tibi dolentes versibus parentamus,
Et fata premimus fascibus querelarum.
Cur non amicis, ut soles, peregrinis
Scribis frequenter? litterisque Barlæi
Magni reponis litteras Senatoris?
Cessa'que Phœbi missitare thesauros?
Seu Tiberis aliquid seculo movet dignum;
Padusve carmen Minciusque cantillat,
Sive Athesis undas imbibit Caballinas,
Seu Bergomas, sive Insubrûm scholæ dictant
Æternitati verba, quique Tarvisî
Docta penates voce personat Vates.
His, te remoto, ferculisque donisque
Heros, caremus, & misellulisucco
Hoc destituti, rore vivimus nostro.
Quoties amœnis scriptionibus fronti
Detersa ruga est; quam serenus applausum,
Et densa vatum vota transmarinorum.
Calamosque legi dispares poëtarum.
Sensit verendi ponderis notas tellus,
Quacunque vexit, nec latrocinans dextra
Apollinare polluit sacramentum.
Quoties Molinum, non tamen mihi visum,
Potui videre, tot canentibus Musis.
Quoties nivosas nomen exhibens nostrum
Alpes papyrus transiit, nec invidit
Felicitati, quisquis obvius, tanta.
Tu non merenti, nec memor tuæ sortis,
Responsa doctis sensibus remittebas
Ad semidocti vatis aridas chartas,
Quas in Batavis exaraverat stagnis.
Audi beate, & de domo tenebrosâ
Hos sume questus, & superstitis lessum.

Qui luctuoso emancipatus è ludo,
Se sperat inter sidera atque secura
Perennitatis regna Te reperturum.

Ad Nobilissimum CONSTANT. HVGENIVM, fatis Molini condolentem.

INgemit, & mediis Nereus singultit in undis,
Dum videt atratos tardius ire patres.
Mœsta Senatorum magno palatia luctu,
Dalmaticaque procul perstrepuere fores.
Trans Alpes iit iste dolor. quaque intonat armis
Auriacus Veneto condolet aula Duci.
Constantine doles. & quo sua federa mittit
Belgica, communis te quoque causa rapit.
Stas claros juxta cineres & busta Molini,
Et patrios spectas illachrymare Deos.
Vt se magnanimo frænet Constantia vultu,
Vt laceret tabulas publica cura suas.
Vt trahat informem titubans Prudentia pallam,
Ambulet excussa Musa Thalia chely.
Vt totas laniata genas concordia rerum
Marceat, & dubitet se superesse Fides,
Qua dum mœsta vides, extinctum à sidere sidus
Hos Genios inter credis habere locum.

In Prædium GVILIELMI BARDESII.

ARces turrigeræ, superba tecta,
Bardesî domus, invidenda tecta,
Crassi prædia, splendidi penates,
Tot villæ simul & domus Valete.

Cœlum non alibi magis salubre,
Nusquam latius explicantur agri,
Aut fecundius excoluntur agri,
Non Fauni, Dryadesque non petulcæ
Vsquam luxuriant magis Napææ,
Non amœnior ullibi vel umbra est,
Non valles riguæ magis vel horti,
Non piscosior unda, stagna, fossæ,
Non colles tumulique plus ferarum,
Aut plus Thestylis exhibet leporum.
Amnes veliferi patent, profundi
Nerei pagina, Tethyosse campi.
Præbet delitias canora Procne,
Præbet mare strepitque suave sturnus,
Et tot grex avium facit poetam.
At ne, quod magis est, premam silendo,
Nil usquam domino magis benignum,
Nil usquam domino magis venustum,
Aut facetius aut magis decorum,
Hæ vos delitiæ, domus, penates,
Agri, prædia, villulæ valete.

IN SCAZONTES CONSTANT. HVGENII

Zulechemi Domini de Incendio Aulæ Hagiensis.

QVis ille recto Scazon ambulat talo?
Quis ille docto cogit ore Vulcanus
Fari poëtam? flamma parturit vatem
Facesque diræ grande carmen eructant,
Et insolenti pectus incitant motu,
Supraque celsas evehunt Ducum turres,
Cœloque miscent. incalescis Hugeni,
Et qua per atras Mulciber favillarum

Globos rotatur, nubila inter & fumos
Humi jacentes despicis poëtastros.
Sic sæpe tecta, sæpe sic ruinosi
Flagrent penates, porticusque lapsuras
Ignes adurant, dum tibi calescentem
Et claudicantem Vesta suscitet Phœbum,
Furorque nostri scribat illa Constantis.
Nunc Aula demum vivis. hi tibi vitam
Cineres redonant, sic perisse, vixisse est,
Arsisse lucrum. clariore jam lucet
Palatiorum fama luce Scazontum,
Vatesque grande fenerat decus Musis.
Gaudete cives, quotquot efferos undis
Pressistis ignes. Vindicata jam laus est
Vestri favoris. si quis advocatorum,
Si quis reorum dexteram ministravit,
Si quis rogator, si quis attulit scalas
Apparitorum, scriba si quis aut juvit
Tabellionum, copiarius si quis
Properavit urnam, vel ducis pitissator,
Cellariusque, buccinator aut pistor,
Sartor coquusve, laneo aut trapezita,
Vel qui lupatis impetus caballorum
Equiso frenas, aulicisque pastillis
Collyriisque vel malagmate exactas
Nares focillas & pecunias mulges,
Venator & mirmillo, janitor, cursor,
Et iliceti sector atque sylvarum,
Et quotquot aulæ mancipes fames fecit,
Gaudete cuncti. gratiæ rependuntur,
Chartasque salvas & fidem tabellarum,
Delubra, turres, Principumque thesauros,
Servata per vos Aula nuncupat vobis,
Gratesque reddit. Scazon iste victurus
Vos donat ævo. quid loquar? fidem vestram,
Silente lingua, muta saxa clamabunt.

In

In
ADRIANI TOLLII
libros de Gemmis.

E Recte Tolli, cujus indoles gestit
Debere seclo, & otio fatiscentes
Castigat horas semifeminatorum,
Per eruditas ambulare doctorum
Süeta curas, extricare perplexa,
Purgare verum sordibus vetustatis:
Γαλληνικωτάτων decus perillustre,
Recentiorum lima tersa scriptorum:
Vt nunc Eoos Indicosque splendores
Inter refulges & tuos smaragdorum
Radiis honores sapphyroque diffundis!
Ditemque Hydaspen gemmeumque derivas
In nostra Gangen regna! Non tibi sordes
Et semicocta fercla ventris affecti
Molesta jam sunt, pituita vel putris,
Aut ore stillans turpe fœtido tabum,
Aut prave olentis vultus ater urinæ.
Quin transmarinis elegantiis totus
Nites decore & fulgetris lapillorum
Gemmisque luces undique & coruscantem
Beryllon ardes, succinumque lychninque
Onychesque nigras. ipse quas jacit flammas
Pyropus in te torquet, & virescentes
Notas iäspis lætior tibi pandit,
Carbunculumque & Sardium jubar vincit.
Preciosa scribis, ut cylindrus, ut baccam
Vndis latenter obstrepant Erythrais,
Adamasque duras nil moretur incudes.
Quàm multiformis lividas averruncet
Pestes Achates, languidamque Torcöis

Venerem

Venerem lacessat, vulsaque è mari magno
Coralla largas sanguinum vias sistant.
Et tu feracis munus inclytum Cypri
Cærulea Cyanos, seu Pharum magis laudas
Scythicasque rupes, Caucasique prærupta,
Per te fugari disce torva nocturni
Portenta Morphei & Incubum gravem lecto.
Cum ventre matris abditum latet pondus,
Pullus medetur & sonorus Ætites,
Aquasque magnes allicit putrescentes.
Electra mentem, margarita languentes
Vires redonat. quique friget, afflictis
Hyacinthus ægris somnolentiam gignit.
Quis splendor artis, quam superba majestas
Medici theatri est Æsculapidûm patres!
Queis apparatus cœlites parant tantos,
Famulantur astra, format unda quod sanet,
Aër medelam sufficit, vomunt fontes,
Montes ministrant, & salubre quodcunque est
Arbusta stillant, saxa robur indulgent.
Hic Porphyriten, hic dat Alabastriten,
Illic Pyriten, hic bitumen aut gypsum,
Aurum, cerussam, nitra, sulphur, argentum,
Opesque cunctas mater alma recludit.
Centum juvatur, læditur modis centum
Humana vita, totus orbis objectat
Et damna & usus, commodusque viventi
Incommodusque est. causa mortis atque idem
Salutis author, qualis hasta Pelidæ.
Ante ora morbi fomes, & comes juxta
Medicina præsto est. quicquid obvium tangis,
Sanum flagellat, allevat laborantem.
Corpus vacillat sæpius remordescens,
Cadaverosis debitum sepulchretis,
Rursum resurgit, & valemus athletæ,
Vicesque servant sanitasque morbusque.

Quæ

Quæ cuncta dum nos impiger doces Tolli,
Æternitatis præmio supervive.
Et si nepotes nomen oscitabundi
Tuum silenti nubibus tenebrabunt,
Lapides loquentur. & Boëtii famam
Tuasque laudes gemmula recognoscent.

Ad
P. HOOFDIVM,
Satrapam Muydensem.

V*Atum maxime, lima Belgicismi,*
Orchestræ decus & pater cothurni;
Cujus grandia verba, grande carmen,
Seris Melpomene sacravit annis;
Cujus dulcia verba, dulce carmen
Et tot blanditias facetiasque
Et tot candidulas tenellulasque
Pulchræ Phyllidis æmulationes
Suis ipsa Venus dicavit aris.
Cordatissime scriptor acris ævi,
Et quondam patriæ tumultuantis,
Nec minus tamen, arbitris remotis,
Suavissime basiator Helmans:
Cur perdicibus obruis poëtam,
Et rursum stomacho severiori
Offas objicis elegantiores?
Quales rex edat aut Deûm minister,
Aut pincerna Ducum vel Imperator;
Cur mensa violas mea decorum?
Cur gula illecebras superbienti
Vates objicis? imperasque denti
Tradam dilaniare fastuosam.
Dudum paupere viximus salino,
Et victu tenui nec erudito,
Lactuca gracili, trucique porro,
Aut faba rudiore lentibusque.

Fecit

Fecit prandiolum mihi minutal,
Pulmentum petasoque jusculumque
Ovi sorbilis optimum liquamen,
Vel cervix bovis impigrè saliti,
Aut buccella recocta brassicarum.
Nunc sordent vetera. & procax palatum
Spernit fercula pristini saporis.
Tot perdicibus efferata mensa est.
Et cara fimet esuritione
Venter prodigus. ardeas, palumbes,
Pavos somniat atque Phasianos.
Sic peccare facis tuum poëtam,
Et leges malè subruis culinæ
Hoofdi splendide. si tamen jocantem
Barlæum finis eloqui, quod optat,
Fac, peccem semel hoc modo quotannis.

PASSER SVSANNÆ BARTELOTTÆ, artem nendi edoctus.

ALumne passer, virginis suavissima
Parasite passer, candidate passerum,
Tot artium magister & scientiæ
Pusille doctor, qui Susannulæ tuæ
Strepitu procaci insultibusque lenibus,
Et morsione ludicra blandissimos
Moves cachinnos, & protervis motibus
Nunc altus ipso ludis audax vertice,
Vittasque rostro vellicas tenellulo:
Nunc colla circum eburneosque subsilis
Dominæ lacertos, inde per mamillulas
Sororiantes hinc & inde lusitas,
Sedesque amoris quæris & Cupidinis
Fomenta monstras; o beate passerum,
Victure passer versibus perennibus

Perennis

Perennis Hoofdi; quæ Diana, quis Deûm,
Quis Arcas altis educatus in jugis,
Quis Pan Palesve vel rapacior puer
Te mollicellæ Bartelottæ vendidit.
Vt invidendo viveres passer sinu,
Vt invidendum tangeres passer genu,
Vt invidendam permeares dexteram,
Stares sinistra, cum voles, & saltibus
Totam perexres parvulis puellulam.
Quod nec Menalcæ, non Adonidi licet,
Nec hoc vel illud expetentibus procis.
Tu lene rostrum conscius modestiæ
Propius pudicis admoves labellulis,
Primusque labra virginis devirginas
Amator audax. tu suavis sputuli
Exsugis undam, & ore de purissimo
Mel, nectar ipsum & dulcius quid imbibis.
Tu vectus humeris bajularis, & tibi
Videris Isis esse, major virgine,
Major decora matre. Tu sub auribus
Cies susurros, & salacior licet,
Tamen verendis mussitas hortatibus
Castos amores. Tu genis vicinior,
Quas osculari vellet aulæ pronubus,
Aut Indicarum dives hæres mercium,
Basiola figis, & caves prudentior,
Ne lædat unguis lacteas asper genas.
Tu flammeos & amabiles ocellulos
Coram tueris, & vagum tibi caput
Obvertis illis, teque passer passerem
Vides in illis, & stupes passerculum
A te teipsum diligi ferventius.
Miraris illic vitream tibi domum
Cessisse Divos, & palatium dari
Charitum tabernam, qua latere mavelit
Vel Pyramus, vel ipse mersus improbis

Lean-

Leander undis, vel Phaon formosior,
Vel dux Achilles, aut amator Lesbiæ.
Tu dum per orbes gemmeos lætus salis,
Quos dis Hydaspes alveo vomit suo,
Altoque solers Indus invenit mari,
Mordes, remordes; irritisque morsibus
Iras feroces excitat mendax Ceres,
Famesque duris ludit in lapillulis,
Vexatque semet; nec, quod optat, accipit.
Petit, fugitque; dimovet, quod admovet,
Spretum reposcit. fallit alitem color,
Teresque gemma. deficit prudentia,
Vt jam Susanna credat esse passerem.
Tu lectulum audes, innubasque scandere
Lecti columnas. pervagaris omnia,
Vbi Bartelotta detrahit vestem sibi,
Vbi Bartelotta languidum ponit caput,
Vbi Bartelotta molle reclinat latus,
Vbi Bartelotta blanda claudit lumina,
Vbi Bartelotta somniat süaviter,
Vbi Bartelotta lenis expergiscitur,
Et te strepentem, te volantem cominus
Invitat ad se. Tu legenti seria,
Tu tu legenti mobiles Hylæ faces,
Heroidumque masculas epistolas,
Assistis unus. exulisque dum legit
Batonis ausus, ales alas concutis,
Favesque Cattho. Proh, volucrum numina,
Quæ, quanta, qualis parvuli sors passeris.
Iam passer esse fulminum speret pater,
Cælumque mutet passeris cubilibus;
Queis Bartelotta vivit, ambulat, sedet.
Iam passer esse Phœbus, hanc Daphnen velit.
Et passer esse Phtius, hanc Briseida.
Et passer esse pastor, illam Tyndarin.
Et passer esse Mars, & illam Cyprida.

Et

Et passer esse Flaccus, illam Lydiam.
Et passer esse Naso, & hanc Corinnulam.
Et passer esse Gallus, hanc Lycorida.
Passer Tibullus esse, & illam Deliam.
Et passer esse Stella, & hanc Hyantida,
Vt cominus sit quisque compos osculi,
Vt cominus sit quisque compos lectuli,
Vt cominus sit quisque compos virginis,
Vt gaudiorum cominus nunc omnium
Compos, beatus ter quaterque passer est.
Dolete picæ & discolores psittaci,
Dole coturnix, pavo, turtur, Daulias,
Gallina Numidûm & Adriana. plangite
Vos Phasiani, & vos aquatiles aves,
Queis cavea domus est, arctiusque ergastulum,
Cibusque vilis hordeum vel granulum
Milii pusillum. noster hic passerculus
Arces domosque possidet, turres ducum
Liber pererrat, & Susannulæ lares,
Dominæque mensa, ferculis, bellariis,
Et esculentis delicatulis fruens
Aquilas Tonantis ridet & quas curribus
Veneris columbas Cyprius junxit puer.
Laudate passer, te supernis inferi
Superûm theatris indoles, industria,
Et passerinæ perspicaciæ volunt
Nota celebres. Tu sagax acus heræ
Moderaris ore, ferrulumque acutius,
Et fila rostro gnarus artium trahis.
O docte passer. qui labores dividis
Cum Bartellotta, sarcinantis virginis
Consarcinator, tu fuente dextera
Strophiola, vel subuculas juxta suis,
Et flammeum vel supparum & pallam facis,
Quam Cinxia Thalassio donet tener.
Si quando capiti tegmen illa detrahit,

Tu

Tu ſedulus, tu morſiunculis tuis
Acicularum prenſitas faſtigia.
Si quando capiti mane tegmen induit,
Tu ſedulus, tu morſiunculis tuis
Acicularum promoves acumina,
Crineſque ſparſos faſciaſque colligis.
Quid nunc Arachne es? quid ſuperbis ſtamine
Lanifica Pallas? quid tapetibus ſtudes
Nurus Laertæ? paſſer ad leges venit,
Et diſciplinas & ſcientias capit.
Paſſer venuſte, corculum tot paſſerum,
Paſſerculorum rex, profeſſor, Satrapa,
Paſſerculorum prima laus & gloria,
Sartor tenelle, animula major paſſere,
Muydæ voluptas, gaudium, ſolatium,
Qui verba vati mille dictitas tuo,
Nec plus volentem ſcriptitare, deſeris;
Vt te canentem, te fuentem laudibus
Sum proſecutus, fata proſequar tua,
Tumuloque carmen exarabo poſthumum:
Paſſer. Suſannæ. luſus. hic. ſitus. jacet.
Suſanna. luſus. paſſeris. luſum putat.

Ad doctiſs. Iuvenem
D. IOHANNEM HELMONT,
cum me prædio ampliſs. Conſulis
ANDREÆ BICHERI
avunculi ſui excepiſſet.

Helmonde, pernox cura matris optima,
Helmonde, matris gaudium piiſſima,
Helmonde, dulce Diveræ ſolatium;
Qui moribus probiſſimis ſuaviſſimos
Miſces lepores, ingeniique flammulam
Sub me decoris artibus reſuſcitas;
Præſtans Ephebe, candidate Palladis,

Alumne

Alumne Themidis & gravis scientiæ:
Iam Consulari prædio stamus duo,
Auditor & præceptor. hic vati tuo
Faves benignè, & pulveres Scholasticos
Multum venusta comitate discutis.
Totus renascor. scribimus divortium
Severitati. vos valete pulpita,
Scholæ, labores & gravissima vices
Tot lectionum. Nunc amœnis ambulo
Securus agris, & serenus dormio,
Vbi torva nuper innatavit fluctibus
Feroxque Najas. piscium cubilibus
Iacet poëta. quaque velis navita
Arctous ivit, Æolique turbidis
Vixit procellis, Musa sedes otii
Et eruditis invenit locum jocis.
Helmonde, quò me, quo rapis vatem tuum
Per rura, campos, trans arenarum juga
Venator acer? meque nescium cupis
Insuetis passibus sequi feram,
Canibusque & hinc & inde victimam gulæ
Captare leporem? pone tardus insequor,
Contentus illo mitior spectaculo.
Tu glande sæva deiicis fastigiis
Guttur voracis & loquacis alitis,
Nec fata meritos tam cruenta passeres.
Te stagna propter garrulæ timent aves,
Anasque & anser planipes, & ardea
Intenta ranis. terra, cœlum, flumina
Prædam ministrant. nec tibi negaverit
Natura quicquam. quin caballis imperas,
Et me superbis curribus jubes vehi,
Longisque ferri latiorem semitis.
Monstras amœnum quicquid aut fecit Deus,
Aut ars magistra: queis carere possumus,
Et non carere: quæ necessitas monet

Curare, vel quæ suggerit mortalibus
Dispar voluptas. Consulis nostri lares,
Avunculorum tecta, matris provida
Vidi penates, villicos, novalia.
Vbi consul urbis liber à negotiis
Vix nata rura bobus exercet suis.
Vbi consul hortos ordinat, ponit pyros,
Salicesque lentas, fraxinos quincuncibus
Disponit æquis, & virentes adspicit
Spatiis decoris arborum tot ordines.
Vbi consul amplis educat vivariis
Genus natantum: & frena mordenti domos
Aptat caballo. qualis olim creditur
Duros Latinus Imperator vomere
Fregisse sulcos, & famem cordatior
Sedasse mensæ vilioris ferculo.
Hæc vita nostra est. excipit curas quies.
Gaudet remitti, publico si quis vacat,
Suusque gestit esse, quisquis omnium est.
Hæc Læliorum vita, talis Tullii
Fuit recessus. sic Catones maximi
Vixere quondam, cum fatigatis darent
Villæ levamen, Formiæ vel Tusculum
Vel ipsa Circes imminens mari domus.
At tu recentis chare lustrator soli
Helmonde, si vis commodis ruris frui,
Nec vanus esse prædii cultor tui;
Magni benignam numinis stupe manum,
Quæ vis creatrix rura tot mortalibus
Donarit agris. quis labor tot fluctibus
Subduxit agros, fabricaverit solum,
Terrasque nutu portet immensas suo.
Hic cerne, nobis ut ministret Cynthius,
Sororque Phœbe & siderum fixa faces.
Mirare ventos, aëris purgamina,
Mirare pluvias, lapsa cœlo flumina,

Mirare siccum jam latrare Sirium,
Mirare sicco Pleiades interseri.
Mirare sensim lata nasci gramina.
Mirare sensim lata pelli gramina.
Mirare primi candidum veris decus,
Brumamque & æstus, & remissius decus
Labentis anni. sic tua totus Deus
Menti patebit & potentiæ vigor,
Sapientiæque grandius miraculum.
Hæc cum serena mente cogitaveris,
Te cerne propius & tibi renascere,
Pectusque pulchris nuncupa virtutibus.
Sic universi digna vives portio:
Sic inter agros ambulabis dignior:
Sic stirpe dignum splendida tolles caput.
Sic tot propinquis, sic parenti Diveræ,
Avunculisque, sic mihi, sic omnibus
Placebis unus unice. sic osculis
Te sponsa tandem pulchra, dives, optima,
Crebris, pudicis, mollicellis obruet.

In

CONSTANT. HVGENII

Meteorologiam, sive de Meteoris Epigrammata jocosa.

Contra-ambulonem maximi Stagiritæ,
Flagrum Lycæi, Græciaque censorem,
Nunc serium, nunc perfaceta scribentem
Legi poëtam, temperata jucundis
Severiorum verba disciplinarum,
Salesque mixtos sensibus gravis Stoæ.
Quos perspicacis scripsit arbiter veri,
Et eruditi classica inter & vallos
Et castra & enses fudit ardor Hugenî.

Vacat

Vacat omne Musis tempus. inter armorum
Strepitusque & iras, otiis Camœnarum
Mens læta gaudet, & movet quiescendo.
Nec tunc quiescit, cum quiescit insani
Palæstra Martis. inquieta per cœlos
Terraque tractus ætherisque discurrit,
Originemque cogitat suam pernox.
Dum miles umbra Martium latus donat,
Segnisque cantat cantiunculas turpes,
Dum ganeoni lurco commodat dentes,
Et vinolentis ructibus calent hastæ,
Vel Thais hunc effeminat cataphractum,
Aut grande numen, ac Deos sacramentis
Ipsósque Divos ore miles infamat:
Dum sordida per vestis abditos calles
Turbat satelles divagantium turmas
Pediculorum, & quicquid invenit perdit:
Rubiginosos alter illinit pingui
Gladios amurca & vindicat situ parmam:
Hic pectit altos vertices caballorum
Iubasque stringit ordinatque cincinnos,
Nec una cura filios habet Martis:
Tu literarum lux inusitatarum
Per avios Libethridum volas campos,
Zulecheme noster. & Iovis Panomphæi
Sublimiore raptus altius penna
Sedes pererras, ac tonitruis imples
Delubra Phœbi, fulminasque per Cyrrham,
Tuisque terres fulgetrisque flammisque
Cæcutientis pavida tecta Barlæi.
Tu sævientum cæca flabra ventorum,
Et Æolorum regna, pallidam Lunam,
Et nunc rubentem, nunc süave ridentem,
Faces, Dracones, lanceas, refulgentem
De sole solem, grandinesque saxosas
Nivesque doctè & horridum gelu cantas.

Tu signa prodis aëris serenati,
Tu signa prodis aëris procellosi,
Pater sereni ac nubili, pater rerum,
Quæ vel videntur Sole vel vident Solem.
Tu discolores pingis Iridis vultus,
Nunc Vesperæ cadentis aut renascentis
Faciem diei, te docente jam scimus
Cur verticosis sese hiatibus magnus
Diffindat æther, & Deûm salutares
Mingat procellas semipota majestas.
Cur macula Phœben turpet, & coruscantem
Titanis orbem polluat latens stigma.
Cur dira mœrens horreat cometarum
Ostenta mundus, purpuraque peccantes.
Quis ventricosam vibret impetus terram,
Eructet ignes, saxa, sulphur & fontes,
Cur fatua flamma persequentibus cedat,
Timidos sequatur, stella decidat cœlo,
Et Tyndarin gemellus oderit frater.
Inter vapores halitusque fumosque
In abditis recessibusque natura
Examinatum opinionibus verum
Rides, sugillas & jocando castigas.
Nubivage scriptor, vade, quo rapit vatem
Vis tanta fandi. Perseo comes vade,
Aliosque fontes mentis ungula pande,
Et Pegaso per alta nubium vectus
Me linque fessum, languidumque & exhaustum.
Qui te secutus hactenus per & terras
Tumidosque fluctus, æmulusque cantanti
Nunc ire juxta, pone & ante despero,
Excors, remissus, plurimum oscitabundus,
Expers caloris, conjugis, thori, lusus,
Quem concupivit Herculis pater valde,
Nec concupivit mater Herculis raro.
Hirquitallire rursus & catullire

Si

Si siverint me fata, tunc tuum fulmen,
Tonitru, pruinas, fulgura & faces nostro
Aptabo amori. tunc tibi novos fontes,
Pluviasque & imbres, flammulasque dementes,
Terraque motus, & cubilium fortè,
Lambensque reddam basium, & tuas chartas,
Acuta verba, mustulenta commenta,
Mel Atticum & rorantis ingenî succum,
Verbis facetis, vinnulis, venustillis,
Amoris inter bella, castra, congressus
Redimam poëta, amator & Stagirita.

In prædium Boreale Amplissimi Consulis ANDREÆ BICHÆRI.

MAgni prædia Consulis valete,
Horti, jugera, silvula, caballi,
Et vos quadrijugi valete currus,
Qui per rura, per aggeres poëtam
Vexistis, sociisque tot leporum
Helmondis, sociisque tot viarum
Charis fratribus, incitastis axes,
Et Plutonis equos, quibus dolenti
Posset Persephone rapi parenti.
Vos curas animi severiores,
Vos urbis strepitus patentioris,
Vos, ô prædia, sarcinas laborum,
Tot rerum grave dispulistis agmen.
Dum Bickarula molliter procatur,
Dum Bickarula suaviter jocatur,
Dum Bickarula basiis mariti
Adsuescit, bona, lenis & venusta,
Dum non virgo, sed esse mater optat,
Et jam nupta puellulas repellit,
Et conjux nova conjuges salutat:

Nos terras patrias agrosque lati
Emetimur equis, lacusque vastos
Calcamus pedibusque curribusque.
Hic cubilia piscium tenemus,
Domos Naiadum, domos natantum.
Hic per limina Tethyos vagamur,
Hic paludibus incubamus ipsis,
Postquam cedere trux coacta Tethys,
Et cunctos Satyri bibere fluctus.
Hic vecti ratibus rotis vehuntur.
Aurigis patet aula navitarum.
Hic pandunt lepori viam procellæ.
Hic velox leporem premit Molossus,
Hic turdus laqueo misellus hæret.
Hic se retibus implicat scolopax,
Exertumque dolet nocere rostrum.
Hic cum Phyllide Thyrsin ambulantem,
Hic cum Thyrside Phyllidem jocantem,
Hic cum Chloride Pana lusitantem,
Hic cum Doride Pana saltitantem,
Et tot gaudia sensimus beati,
Quot tellus nova villulis abundat,
Quot tellus nova fructibus redundat.
Testes prædia tot facetiarum,
Hostes prædia tot molestiarum,
Horti, jugera, silvulæ, caballi,
Magni prædia Consulis valete.

In Prædium sive villam Nobilissimi IOHAN. HVYDENCOPER, Equitis, Domini in Marssenveen.

AMœna villa, villa perplacens Diis,
Hominum voluptas villa, prædium meis
Vacans Camœnis, qualé quondam Formia

Habuere sedes, quale Tusculum fuit,
Tiburque fessis obvium Quiritibus,
Aut prædicandus usque Bajarum nitor,
Salvete tecta. Vechta quæ strepentibus
Pulsat susurris, cujus irrigat sinus
Permixtus undis, Rhenus, & terras beat
Fecunditatis uberes testes suæ.
O villa Superûm, quam vel ipse Iupiter
Procator olim pratulisset Thessalis,
Vbi Phœbe Daphnen persequi velis tuam,
Vbi blande Thisben Pyrame optares tuam,
Formose Adonis Cypridem, Sapphum Phaon.
Mihi villa ride, meque amœnitatibus
Persunde centum, gaudiisque percoque
Mentem severam, tetricamque grandibus
Curis Sophorum, Stoicisque jurgiis
Adsperge pacis spiritum lenem tuæ,
Et literatis otiis da perfrui.
Beata Villa, quam propinquam conspicit
Mitrata turris, urbsque tot Divûm sacris,
Tot clara templis, cœtuumque regulis;
Vt jam virescis, & tuum late jubar,
Vmbris inumbras, porticusque dædalas
Disponis aptè, & ambulantum vertices
Foliis coronas: ut ferax tot fructibus
Iam nunc superbis, & rubentibus rosis
Ornas Susannam & nubilis Constantiæ
Pectus pudicum, & lacteis mamillulis
Decerpta vati dona ridens ingeris.
Tibi læta circum prata porrigit Pales,
Pomona pomis hortulos pingit suis,
Avidasque cerasis mille provocat manus.
Pan ludit agris, Thestylis lac elicit,
Magistra mulctra, fœna vectat curribus
Lentè Menalcas, in Decembrem providus.
Tiliæ venustas explicant frondes tibi,

Et inter illas albicantes populi
Sese proceris erigunt fastigiis,
Cœlo minantes, sensuum illices locos
Et ordinata spatia tot quincuncibus,
Fontesque vidi, fraudis humidas vias,
Et innatantes rivulis altè pilas,
Fluxasque semper mobilesque casibus
Regum coronas, stellulasque turbine
Natas aquarum, & nunc madentem Cynthium.
Hic Taurus iste raptor Europam vehit,
Latrant molossi, tendit arcum Cypridis
Salax puellus, saxa vortices vomunt,
Spuunt Dracones, infremit trux simius,
Bibunt olores, permadescunt Orphei,
Labentibusque plectra tingunt lymphulis.
Hic magna Tethys arte speluncam facit,
Marisque spoliis fornices condit labor.
Vbique fons est, undique è conchis scatent
Vnda, ruuntque fistulatim flumina.
Tubisque longè Martiis volant aquæ.
Dynasta Marsi, tuque conjux conjugis
Coymanna tanti, quam beatos aspicit
Vos æquus æther, vestra si nostis bona.
Hic expedita mens tumultus Amstelæ
Fastidit omnes. hic avaras spernitis
Dextras ementum & sarcinas vendentium.
Vnique grati, quicquid hic est munerum,
Debere cœlo vultis. O par optimum,
Salvete vati. germinent vobis agri,
Non urat illos Sirius, non horridus
Imber flagellet, aut ferocior Notus.
Et qui Poetam feriantem longius
Fovistis ambo, sic fovete crebrius.
Et hic bibentem vina vestra suaviter,
Et hic vorantem pruna vestra largiter,
Et hic edentem fraga vestra fortiter,

Sic

Sic incubantem pernulis ferociter,
Sic ambulantem, sic jocantem jugiter,
Sociis puellis, blandulisque matribus,
Sociis maritis, Hoofdiis, Vic-fortiis,
Vectum caballis, splendidisque curribus,
Leonè quamvis æstuante cœlitus,
Latrante quamvis undequaque Sirio,
Vir atque conjux, advocate sæpius.

In Capturam Turdorum, ad
IACOBVM BAECKIVM.

IAcobe Baecki, lene pectus, & fera
Crudelitatis ac furoris nescie,
Crudele quid me poscis ad spectaculum,
Et vis videre semipendulas aves,
Laniata fœdè membra, luxatos pedes,
Et præfocatas vinculis tuis gulas,
Suspendiorum multiformium modos,
Quibus immerentes alites mortalium
Damnat libido. dum petita gutturi
Alimenta strictis sæva nectit nexibus
Rostroque mortis ingerit trux pabulum.
Vidi alligatum Ixionem sua rota,
Vidi voracis Tantali vanas dapes,
Vidi revinctum Caucaso Promethea,
Saxoque semper incubantem Sisyphum,
Vidi Megaræ territantis verbera,
Suspensa ventis corpora & diras faces,
Laqueos Arachnes, queis pependit mortua,
Flammisque tostas filias Orionis,
Et quicquid ira Tartari in pœnam parat.
At ficta vidi. fabulosum hoc credimus,
Quodcunque vates finxit & vatum furor.
Sed enecari & strangularier genus

Late volantum, vera verba credimus.
Tuus hoc theatrum multiformis supplicî
Ostentat hortus, prædiumque Baeckii
Orchestra cruda est & cruenta funerum
Palæstra. quam misellus implet lugubri
Clamore turdus, subdolisque retibus
Fringilla capta; cum tyrannidem ferox
Exercet auceps, & superbo pollice
Caput tenelli exile frangit alitis.
Quod si dolores eloqui possent suos
Turdi voraces, dicerent mox Baeckio,
Injuriosa morte se cunctos mori:
Non legibus, non jussibus volatilem
Turbam teneri. jussa naturæ sequi,
Cæcosque motus. Velle liberum sibi
Negasse divos. ætheris laxas vias
Patere cunctis. nunc sub Arcto vivere,
Nunc ire in Austrum præscias malæ famis.
Volare passim, sic volentibus Diis;
Et victitare bacculis rubentibus,
Et morsitare, quicquid annus obvium
Aptumque vitæ serus Autumnus facit.
Non regna per se mutuis bellis premi:
Aut litigare litis arbitros sacræ:
Non æra posci nummulosque surripi,
Mercantiumque nomen expungi dolo:
Non advocatos esse, qui lucrum bibunt,
Non quadruplare parta fraudibus bona,
Non militare & oppidis dici graves,
Aut rusticantum nidulari in horreis.
Non ut pudicæ virginis lædant sinus
Thalamosque scandant & cubile conjugum
Huc advolasse. transitum solum peti
Alias ad oras, & quod hospiti vago
Unquam negari jura naturæ vetant.
Non hac mereri innoxios suspendia,

Laqueosque

Laqueosque compedesque & altis vincula
Suspensa ramis. judici scelus Iovi,
Et expiandum crimen atrox Æaco.
Amice Baecki, condolere si licet,
Nunc condolere turdulis, perdicibus
Concede vati. vivit aula psittacus,
Et purpuratis χαῖρε dicit regibus.
Impune celsis clamat ulmis ardea,
Impune vultur sordidas vorat dapes,
Impune pennas arrigit pavus suas,
Impune latis innatat paludibus
Olor verendus. eximit ciconiam
Pietas periclo. rustica quotquot volant
In montibus sylvisque vel stagnis aves
Suspendiosum nesciunt lethi genus.
Miselle turde, tu sub ilicis lates
Suspensus umbra, te probrosa victimam
Mors sacrat orbi. stringitur tibi gula
Sicariorum more, vel furis mali,
Aut perduellis aut nocentis publico.
At si poëtas esse quid putas tuos,
Preciumque mœsti carminis magni facis,
Nec vile censes, versibus clarescere,
Hac, crede vati, digna res suspendio est.

Incomparabili Iuveni CONSTANT. HVGENIO Filio, cum Adamum suum peccantem misisset.

Magni parentis magne & elegans Puer,
Caput Camœnis omnibus sacerrumum,
Alumne Phœbi, dulce ver Libethridum,
Charitum Iuventa, prima doctrina seges,
Præstans honesti surcule, herba lætior
Messis futura, spes loquentis Patria,

Turgens leporum gemma, torrens carminum,
Tyro canentis eminens facundia;
Qui penè gressus es supergressus tuos,
Metamque vixdum carcere emissus tenes:
Legi ruentis improbas Adæ manus
Crimenque primi patris, & tristes vices
Mortalitatis & labantis seculi.
Sed illa mens est vatis & sensus tui:
Poëta, cujus lemma Adamus est Peccans,
Nunc lemma scribat hoc: Poëta non Peccans.

Ad Magnificum virum D. PETRVM C. HOOFT, SATRAPAM MVYDENSEM,

cum Invictissimi Galliarum Regis HENRICI Magni vitam & res gestas gravi oratione enarrasset.

Scriptor stupende, Belgici soli vates
Non æmulande, cujus incubat labris
Vocis Batavæ curiosa majestas:
Qui sceptra verbis, purpuramque transcendis,
Eburque tollis regium cothurnatus:
Sic perge Famæ, seculoque Belgarum
Debere nomen. non tuis leves curæ
Chartis inerrant, dexteramque cantatus
Hylas fatigat, pulpitisque Theseis
Pulsata cunctis. sed velut Iovi magno
Tonitru decorum est, fulminumque sublimes
Per summa jactus, arduumque quodcunque est;
Incedis altè, verticique regali
Excelsus hærens, fata scribis Henrici.
Vt ille clara Borbonum genus ducens
De stirpe, regnis debitus Navarrorum,

Titulos Olympo fixerit, fidem terris.
Vt per superbos hostium cataphractus
Grassatus enses, inter horridas noctes,
Inter minaces mortis obvia vultus,
Vicesque Martis, mobilemque Bellonæ
Rotatus axem, victor ipse Fortunæ
Magnusque sortis improbæ triumphator,
Dignam potenti straverit viam regno.
Vt turbulento Galliæ mari Castor,
Et mite sidus fulserit, cui frendens
Tumultuantes fregit impetus livor,
Longæque pacis pressit osculum Mavors.
Vt exterarum litium sequestrator,
Bellisque circum sævientis Europæ
Pacator, ipsos increpaverit Reges,
Tot partium, tot dissidentium judex,
Æquus potenti & impotentis assertor,
Cunctis tremendus, indomabilis cunctis.
Hic Federatus vindicem suum Belga,
Columenque discit. spectat Allobrox numen,
Quod infidelis horruit. quod augusti
Coluere Patres Adriæ laborantis;
Nec Roma sprevit, Austriaque regnator,
Non ipse ditis prævalens Tagi rector,
Qui dictat unus jussa duplici Phœbo.
Magne Imperator, cui suam comam Celta,
Braccata Narbo subdidit suos fasces,
Bullam togatus: vive posteris, Princeps,
Scriptore tali. qui tua facem famæ,
Iam voce, jam sententiis serenatis
Præfert tiara. Tu Quiritium laudes
Factis adæquas: hic Quiritium sensus,
Gravemque Taciti donat ausibus tantis
Mentem disertus. Te per orbis orchestram
Vexere pugnæ, bella, tela, ballistæ;
Hunc rebus aptus grandibus tonans sermo,

Divinitatis particeps. tibi legem
Mortalitatis fixit efferus latro,
Æternitati linguâ vindicat nostras.
,, Dignis corona laudibus parentatur,
,, Cum nil malignus detrahit, nihil donat
,, Favor benignus, gratiæque sectator.
,, Tunc regnat ostrum, cum nepotibus seris
,, Regnasse constat, seculisque venturis
,, Trophæa monstrat. tunc Ducum viget virtus,
,, Cum vivit ævo. fortitudinis merces,
,, Regisque sors est summa, non mori regem.
Sublimis Hoofdi, quem Garumna narrantem
Miratur, & decora Sequana sedes,
Et Matrona potator, & Liger clarus,
Venerare Gallum. si tuos per annales
Borbonius ingens ambulat, per annales
Regisque gesta Maximi perennabis.
Regale crescit Lilium. Leo noster
Te sic loquente, lætior jubam quassat,
Socioque triplex ungue Lilium prensat.

IN NVPTIAS
Amplissimi Viri,
D. IACOBI PERGENS
Et laudatissimæ Virginis
LEONORÆ BARTELOTTÆ.

Leonora virgo, nec minus Cupidinum
Fecunda mater; pars puellaris chori,
Eademque princeps; casta formosissima
Neptis Diones, vera proles Cypridis,
Ocelle amoris; cujus è labellulis
Insons venustas, ore spirant Gratiæ,
Candor renidet & verecundus pudor;
Mensura pulchri, amussis elegantiæ,

Et multiformis officina Palladis:
Leonora, Te nubente, priscus carminis
Resurgit ardor. Te calente, flammulæ
Vrunt poëtam. crede, crede, ab osculis,
Amplexibusque risibusque, quos loquor
Stillant iämbi. basiis tuis meos
Æquabo versus; quotque nictibus feris
Lacerasque amantem, quot marita vinculis
Stringis maritum, quot süavitatibus,
Leporibusque ludicrisque plausibus,
Procacibusque pulchritudinis notis,
Sponsum lacessis, tot ligabimus pedes,
Venerique referam par pari vates tuæ.
Leonora, perge, quò priores ivimus,
Cum me pudici cura tangeret thori,
Nec tunc carerem, quâ velim præsens frui.
Leonora, perge, quò tibi pergit Paphum,
Gnidique culmen & Dionæam domum
Monstrare Pergens, optimus ductor tui,
Vitæque fidus conjugalis assecla.
Leonora, Sponsa es. solve zonam virginis.
Leonora, nupta es. flammeo vela caput.
Leonora Sponsa es. myrteas corollulas
Suspende lecto. lusitent passerculi
Turturque compar & palumbes ad fores,
Et sterile quicquid audit & fugit parem,
Proscribe nupta. nil nisi concordiæ
Exempla fas est cogitare conjuges,
Odisse tetricos solitudinis patres,
Sexumque quotquot disparem ferunt minus.
Leonora, cælos cœlitesque suspice.
Omnes procantur, Te procante. Cypridi
Mavors adhæret, instat Hebe Phosphoro,
Apollo Phœben deperit, Iuno Iovem,
Bacchus Dianam. te procante, Cepheum
Astræa poscit, Herculique poscitur

Andre-

Andromeda virgo. flagrat impotentiùs
Perseus amator, & licet stet frigida
Regione cœli, trux Bootes uritur.
Leonora, terras adspice. ad famam tui
Vivunt amoris populi. manus ligant
Lascivientes pampini. tenacibus
Hederæ sequaces vinciuntur brachiis,
Et canna cannæ, & alnus alno assibilat.
Leonora, fluctus respice. ad tuas faces
Accensa Tethys languidum urget Nerea,
Squamæ calescunt piscibus, phocæ rubent,
Mulli jocantur, atteruntur ostrea,
Percæ liquescunt, ambiunt se rombuli.
Leonora, quàm tu tempora & dies tuo
Aptos amori seligis. Gemellulis
Fratrum sub astris, tu Lacæna, fulgidum
Iubar decoris explicas cubilibus.
Ver horridum renascitur, te conjuge,
Meliusque vernat. germinant tot herbulæ,
Florentque, te florente, mille flosculi,
Panduntque se, virente te, tot gemmulæ,
Truduntque latas hortuli propagines,
Prolemque tecum cogitant tot bulbuli,
Quot matris horto Flora dìs recondidit.
Sic totus æther incubat mundo procus,
Et terra Sponsa est; seque desponsant aquæ,
Maritat aer, nuptiis calens tuis.
Leonora, te ridente, pennas concutit
Ales Cupido, & dexterum thori latus
Plausu secundo verberat. gaudens puer
Quicquid leporum vel sagittarum sua
Clausum pharetra gessit, omne distrahit,
Venditque amorum filiis. quin ignibus
Circum crepantes æstuant viciniæ,
Volant ocelli amantibus, sororiant
Et hinc & inde nubiles mamillulæ,

Et hinc & inde Phyllidum molles genæ,
Et hinc & inde Thyrsidum susurruli,
Venerumque passim blanda conspiratio est.
Leonora, amores occupa. fuga diem,
Arcesse noctem. tristis expectatio est
Et dura lecti. bis dolet, præsentium
Carere fructu, & lactitari gaudiis,
Quæ ratio laudat. res amor sanctissima est,
Cœlique species. conjugum sodalitas
Lex prima mundi. non timet virgo mori,
Quæ mater optat esse. cuncta despicit,
Consors mariti. vendicat terram sibi,
Quam prole donat. perge perge in dulcius,
Causamque gaudi perge complecti tui.
Præclare Pergens, si superstitem mihi
Tanti furoris credis esse flammulam,
Et appetentem conjugis suavissimæ
Hærere mentem, quæ prosabor mitius,
Vultu sereno, verba vatis accipe:
Quàm tu beatus Bartelottam repperis.
Quàm bis beatus Bartelottam deperis.
Quàm ter beatus Bartelottam amplecteris.
Et quàm beata Bartelotta te videt.
Quàm bis beata Bartelotta te cupit.
Quàm ter beata Bartelotta te capit.
Quàm vultis ambo, quod nefas non velle vos.
Quàm vultis ambo, quod decet jam velle vos.
Quàm vultis ambo, quod siletis strenuè.
Quàm vultis ambo, quod silebo non minus.
Quàm vultis ambo, quod silendo prodimus.
Quod ipse Brutus, quod Cato severior
Patrique similis concupivit Porcia,
Antoniaque & Iulia & Calphurnia,
Cossutiaque & cum Mamæa Octavia,
Etiam Sabina & Arria & Cornelia,
Gravisque quamvis molle cor Sempronia.

Tu

Tu vir venuste, docte, comis, integer,
Dilecte nobis, Bartelotta & Amstela,
Quem regna, mores, gentiumque tot vias
Lustrasse dudum gloriosum credidi:
Si non adoras fata Consul tertium,
At nunc adora fata Sponsus tertium.
Compesce linguam Livor, obloqui cave
Votis secundis tertiisque conjugum.
Si res amica, si jucunda, si bona est
Puella conjux, cur vetas bonâ frui,
Bis hac carentes? nubimusque & ducimus,
Ne fœda sterilem vastitas mundum voret.
At hoc cavemus bis quaterve conjuges.
Bis æde Cypri, bis stetisse sub Papho,
Bis vulnerari, ter medullitus peti,
Ter igne carpi Romulæ possunt nurus,
Et cœlibatus nescii Grajûm patres.
Si suave rident liberi, si penduli
In ore matris lusitant tenerrimi;
In ore patris vagiunt tenerrimi;
Quis esse tales deneget ter conjugi?
Non flamma, pestis, non procella liberis
Conjux modesta est. non penatibus faces
Immittit atrox, cui noverca perplacet.
Noverca nulla est, quæ marito condolet.
Noverca nulla est, orphanis quæ subgemit.
Noverca nulla est, quæ mariti basiis
Placide fovetur. sunt amabiles thori,
Placabilesque, nesciæque litium,
Et jurgiorum, cùm leves cunæ rotant
Litis sequestrum pondus, & pacis vadem.
Primos amoris impetus ciet furor,
Ratio secundos. prima fax dementiæ est,
Sequens malorum conscia prudentiæ.
Quin prima amantum studia sunt discentium,
Et nescientum conjugî miras vices.

Nos illa scimus, Sponse; quis rebus modus,
Quæ vis amori, quæ fides, quæ gratia,
Quid expetendum, quid cavendum mutuò.
Si vidua turtur nuptias odit novas,
At optat illas Lesbiæ passerculus.
Soles redire cernimusque & occuli,
Cur non amantes? solitudo pessima est,
Cur non Creusæ, post maritales rogos?
Vagos amores odimus. sed & viri
Facti secundò tertioque. plus amant,
Experti amoris verba, rem, dulcedinem,
Et quicquid hic est sesami & papaveris.
Non ille Tiphys, qui ratem semel mari
Committere ausus, sed frequentius, fuit.
Non Hector audit, qui semel vaginula
Distrinxit ensem. sæpè miles militat,
Et ense crebrò hostile perforat latus.
Nunc vos silete exucca, mœsta corpora,
Patres severi, humanitatis & joci
Et conjugalis vinculi hostes improbi;
Aut sapite mecum. Te, virorum maxime,
Iam teste, dictâ glorior sententiâ,
Tuoque, Pergens, nixus exemplo loquor.
Leonora quàm te respicit, Britannicis,
Quos Tamesis effert, plus diserta Nymphulis.
Leonora quàm te suspicit, Batavicis,
Quos Ya laudat, plus disertum amantibus.
Leonora Sponso porrigit flores tibi,
Quos docta jam nunc carpsit hortulo manus.
Dat illa myrtum, dat süavem amaracum,
Dat florem amoris, & venusti Adonidis,
Violasque molles, liliumque candidum.
Dat belidem, betonicam, & serratulam,
Calthamque & igne fervidam Daphnoidem.
Nondum calescis? redde tu Sponsæ, precor,
Veneris lavacrum, carduum, & fabas Iovis,

Lappas

Lappas tenaces, lychnidique subjice
Lapathi pusillum. redde nardi spiculas,
Oculumque Solis Parthenique surculos,
Crocum rubentem & smilacem volubilem.
Serpilla, & aptam pronubis atractylim.
Nondum calescit? Nos favemus nuptiis
Fecunditatis nuncii & propaginis.
Ne Bartelotta pergat esse, quod fuit.
At ipse Pergens pergat esse, quod fuit.
Forsan sequemur. sin minus, vati & seni
Amasse liceat, si potiri non licet.

IN NVPTIAS
Præstantissimi Viri,
D. GERARDI ab HELMONT,
Et Præstantissimæ Virginis,
MARGARETÆ BICKERÆ
à SWIETEN.

PRæstans, modesta, blanda, casta Margaris,
Tot Gratiarum corculum,
Quam comitatis rore perpluit Venus,
Cupido mille basiis
Iocisque Sponsam fecit, & jam nubilem
Deduxit in Paphi domum;
Vbi limen omne densa myrtus obsidet,
Fragrant odores optimi,
Madet Sabæus, Persa fundit balsamum,
Sereſque sericis thoros
Sternunt tapetis, tinniunt testudines,
Domusque tota lusus est.
Quàm te venustis, magna Virgo, ocellulis
Chorus tuetur Virginum,

Et longa matrum turba. quàm candentibus
Gliſcunt amoris impetus,
Latenſque votı flamma ſub mamillulis,
Auſuſque cogitat viri,
Secura damni. quam pudoris conſcia
Genæ loquuntur Cypridem,
Et dulce murmur errat in labellulis,
Ac non loquenda muſsitat.
Non Pelei olim pulchrior ſe nuptiis
Oſtendit excellens Thetis.
Non riſit uxor blandius Calphurnia,
Tactura Cæſaris latus.
Nec Cypris olim lætius pulcherrimo
Admovit os Adonidi.
Hebe fluentem pexuit tibi comam,
Gemmiſque diſtinxit novis
Andromeda Virgo. veſtis in talos fluens
Levante fulget Cynthia.
Adamaſque medio pectori lumen facit,
Splendoris æmulus tui.
Veteres amorum fabulas, Apollinem
Daphneſque fatalem fugam,
Caſus amantis Seſtiæ, cum Pyramo
Thisben procantem, Acontii
Fallacis artem, baſiantem Nerea
Et Amphitritem cærulam,
Deos Deaſque & feſta magna conjugum,
Tunicis Arachne intexuit.
Inter puellas eminens Iunonias,
Et ditis Yæ filias
Et tot potentis Amſtelæ illuſtres faces,
Iuvenumque vultus illices
Laudata Sponſa conſides. ſupra caput
Radiant coronæ penſiles,
Caſtæ character virginis. juxta tuos
Fovent amores Nymphulæ

Soro-

Sororiantes, fida custos utraque
Iam jam labantis zonulæ.
Accendit in te conjugis curam Fides,
Dat Suada leniter loqui.
Fomenta pellit litium concors amor,
Et innocentia tuos
Implet penates. exulat Superbia,
Fastusque nomen improbum.
Minus marito, conjugis partes putas,
Sapuisse velle conjugem:
Magis marito, conjugis partes putas,
Amasse velle conjugem.
Mansueta gressum dirigit modestia,
Virtus ocellis emicat.
Erecta mores ordinat prudentia.
Famam vereris & Deum.
Pandora nostra es, elegantiæ soror,
Süavitatum capsula,
Et promaconda, gemmularum gemmula,
Et margarita Margaris.
Helmonde præstans, quàm tibi lætas faces
Accendit ardens Hesperus,
Ætherque pronis insusurrat ignibus
Arcana lecti gaudia.
Legesque Sponso præcipit facillimas,
Leges amandi jugiter,
Leges jocandi & osculandi jugiter,
Et ambiendi jugiter,
Et colloquendi, & annuendi jugiter,
Idem cavendi jugiter,
Idem volendi. Tu bonorum conjugum
Exempla prudens cogita,
Flammas Sichæi, Cepheique vincula,
Tedasque Porciæ graves,
Et sempiternis verba digna seculis
Pæto loquentis Arriæ.

Cum

Cum Sponsa praesto est, dic, Creusa tu mea es,
Dilecta tu Lavinia es,
Tu Sisigambis, tu Mamaea, & Olbia,
Metella nostra & Nysula,
Iustina, Manto, Maja, Phyllis & suo
Amica Doris Thyrsidi.
Perpende voces, Stoa quales edidit,
Graiûmque rumina scholas,
Et quae Stagirae doctor & Graeci senis
Interpres olim tradidi.
Parum est, remotas nosse coelorum vias,
Caecasque causas fulminum,
Solis labores, astra, motus, tempora.
Non his amica nunc eget.
Res ad cubile venit. omnis in thoro
Nunc explicandus est labor.
Tuum hic Lycaeum est. altera his subsellijs
Praecepta poscit Margaris:
Nil suspicari, conjugi blande obsequi,
Probare voces mutuas,
Damnare raro, saepe amoribus frui,
Et non abuti basiis,
Illam vereri, quam potenter diligis,
Miscere gaudiis metum,
Favosque amaris melleos absinthiis,
Vtramque fortunam pati,
Sperare prolem, & nuptiarum germina
Magnae vovere Palladi.
Helmonde, mensas talis inter ambulas,
Sic nuptiis datus tuis
Accede propius, Margarimque quam colis
Ardens amator exue.
Silent poëtae. Tu, quod Hymen imperat,
Curabis intus sedulo.
Dum gratulantur Amstelae cives tibi,
Faventque Curiae patres,

Iuris-

Iurisque sellæ, quas socer tuus premit,
Regitque Consul maximus.
En, Divera æquos mater adspicit Deos,
Lætosque natorum dies.
Et hoc senectæ deputat solatium,
Curæque præmium suæ.
Quin illa pulchrè turribus surgens suis
Domus vetusta Svvietiæ,
Quæ tot celebrem gentibus Rhenum bibit,
Tot tollit agris verticem,
Tot populis involvit umbrosum caput,
Applaudit absens Margari.
Iterant columbæ Margarin, vocant aquæ,
Frondes loquuntur Margarin,
Horti, Menalcæ, fossa, rura, porticus,
Arbusta resonant Margarin.

DIRÆ IN CVLICES

BAMÆSTRÆ & Arcis MVYDENSIS.

VEtusta Muydæ tecta & annosi lares,
Et vos Bamæstræ fertilis novæ domus:
Cur culice crebro vatibus molestiam
Dirisque noctu cantibus facessitis?
Istis susurris rumpitis somni moram,
Istis susurris vatibus suavissimis
Obmurmuratis, & poëtarum melos
Cantusque molles Pegaseii chori,
Phœbique totos ordines exploditis.
Audite Culicum disparem concordiam,
Volucrisque magna parvulæ discrimina.
Tuus, ô diserta Muyda, fortius canit,
Minus Bamæstræ. Muyda, plus tuus ferit,
Tuus Bamæstra lenius. rostrum duplex

Acutius

Acutius Muydensibus. Bamastris
Obtusiore me terebrant cuspide.
Quin grandius corpusculum Bamastriis,
Et literati sanguinis capacius.
Magis tenella membra sunt Muydensibus,
Magis canorum guttur, atque sibilum.
Vos mane solum lancinatis Beemstrii.
Quos Muyda gignit, ictibus saevissimis
Et nocte pungunt & ruente vespera,
Et plus micante saeviunt sub Phosphoro.
Scelesta turba, noctis horror optima,
Invisa turba, garrulae, leves aves,
Sacrae quietis jugis execratio,
Seu dispares seu compares susurrulis
Et hic & illic obloqui vultis mihi,
Abite longè, Zoilosque pungite,
Et queis maligna bile torretur jecur,
Quos livor ater exedit. modestiae,
Et Muyda sedes & Bamastra, vos jubent
Procul exulare. quid moramini malae?
En frigus adflat aëra, & ferox Notus,
Pluviaque vestros obruunt exercitus,
Finemque diro murmuri Autumnus facit.

In litem Satrapae Muydensis cum Domina VICOFORTIA, uter alteri facem praeferret.

Movit süavem nata Lis discordiam,
Placidumque fecit Anna Vicofortii
Satrapae tumultum. num praeiret Hoofdius
Facemque ferret ille, qui facem solet
Praeferre Belgi vatibus vatum caput:
An hospes Anna, quae facem modestiae,

Et comitatis tot decoris matribus
Speciosa præfert. litigare Cynthium
Phœbenque credas, Phosphorum cum Cypride,
Cum Marte Vestam, cum sorore Castorem.
Vult ille, quod non illa. non volunt duo,
Quod urget alter. singulis sententia est,
Sed quæque dispar. compares virtutibus,
Hac lite nutant dispares. Apollinem
Præferre terris lucis usuram suæ,
Sequi Dianam, differebat Hoosdius.
At Anna fatur, hospiti sese hospitem
Debere tanto præviæ munus facis.
Dum litigant, dum fluctuant, dum lampadis
De luce rixa est; Ecce raptor Hoosdius
Attollit Annam, & brachiis circundatam
Ostentat altè, & feminam facit Pharum,
Novumque sidus. portat ignes prævios
Marita victrix, lampademque exporrigit.
Et ille victor Annulam, quam vir gerit,
Obire famulæ vile munus haud sinit.
Sic nullus ordo est aut sequentis hospitæ,
Aut post sequentis hospitis. confunditur
Cum laude sexus, bajulusque conjugis
Fit ille magni bajulator imperî.
Subordinantur Hoosdius, conjux, faces,
Et pervenusto cernimus spectaculo
Præire nullum, pone neminem sequi,
Pedissequamque nec pedissequum dari
Famulamque nusquam. salva partibus manent
Honosque dignitasque. nec jam cedere,
Dum distributa suaviter victoria est,
Aut Anna dici, aut victus Hoosdius potest.

Illustri viro

D. CONRADO vander BVRCH,

Reipub. Amstelodamensis viro Consulari, Scholarum Curatori, à Cimbrica Legatione reduci.

Vir magne, vir diserte, vir potens fandi,
Doctrina cujus abdidit sinu veri
Iustique formas, & scientiæ summam,
Quâ civitatum jura fascibus dictas,
Civesque lege flectis & cupis salvos:
Qui sub rigente nuper axe Russorum,
Moscho fuisti verba nostra præfatus,
Patriæque causam maximo Duci dixti.
Et nunc ab Arcto Cimbricâque legatus
Redux tiarâ sospes Amstelæ vivis:
Dum Tu remotis jussa Federatorum
Sceptris revelas, Regibusque præduris
Suadere tentas conscientiam recti,
Sociisque terris asseris suas merces,
Peculiumque liberum tui Belgæ:
Nos in ferocis Cantabri trucem classem,
Puppesque magni Regis ivimus fortes,
Minasque Oquendi & impetus Philipporum,
Fluidasque turres & natantium ponto
Alvos patentes grandium carinarum,
Virtute sola sprevimus. nec immanes
Animosa moles horruit manus Trompi,
Audaxque pectus. igne, glandibus, ferro,
Grassata gens est nostra, per foros, transtra,
Pilisque latera perforata luxavit,
Costasque fregit navium furens nauta.
Teresa mersa est. tot bibere Neptunum

Vsta Britannis fluctibus rates celsæ.
Salamandra capta est, & ferox Alexander,
Et qui superbos vexit Asturas Feyus,
Lopeziumque sorbuit mari Tethys.
Meruere rostra tot Themistocles nostri,
Duillijque & Reguli renascentes.
Cecidisse Xerxen crede, & alteras ligno
Defendi Athenas, alteram peti frustrà
Salamina Medo. Tanta fecimus, Burchi,
Te longius per regna Saxonum & Cimbrûm
Vrbes loquente. Si juvat triumphantem
Spectare vatem, & magna bella narrantem,
Hæc legere gesti. per tot hostium puppes
Tumultuatur Musa, pugnat imbellis
Apollo, cadit, mergit, urit, exurit,
Milesque factus credor in truci ponto,
Manusque Iberûm cadibus cruentasse.
Tu vive sospes Patriæ, mihi, Phœbo,
Et gratulantis prona verba Barlæi
Exosculare. sunt regentium curæ
Vrbes, Lycæa, bella, curiæ, vates.

In diem Anniversarium Nuptiarum, Nobilissimi viri
D. PETRI HOOFDII,
Equitis & Goylandiæ Prætoris.

HÆc Nuptiarum sera sunt solennia,
Lætique Satrapæ dies,
Quibus venusta rursùs Hellemantia
Virile passa basium est;
Tragicique princeps pulpiti pedem thoro
Novus procator intulit.
Famam creantis Vniversum dexterâ
Diemque Iudæus colat.

Terrasqu

Terrasque seclis exigant mersas suis
Noachidûm propagines.
Tu clara Maceta fata Regis Græcule,
Olympicumque pulverem,
Longis celebra temporum quinquenniis,
Et festa curribus para.
Bellacis urbis Romuli natalibus
Epulum, Quirites, condite.
Tuque imperantis Caroli cunas mero
Adsperge Flander largius.
Plus dulce nobis latiusque prandium.
Dapesque ponit annuas
Leonora mater, & cubantis ad latus
Benignus Hoofdii favor.
O lux serena, quæ severum vindicem
Effeminas Goylandiæ.
O lux amica, quæ vetustis ignibus
Subdis recentem flammulam;
Risusque primos, illices amplexuum,
Vocesque primas conjugum,
Alimenta quondam Cypridis, recogitas,
Et jam facetè ruminas.
Beate Vesper, dic mihi blandissima
Amantium popysmata.
Dic, quot sagittis læserit cor masculum
Chiron, Novembrium Deus,
Dic, quot sagittis læsa Bartelottula
Surrexerit vivacior.
Sin illa non fas eloqui; dic Perseo,
Dic Virgini, dic Cynthiæ,
Dic & Diones filia, quàm jugiter,
Quàm non remissè mutuum
Et osculentur & procentur & velint,
Par æmulandum posteris.
Dic, quàm modesta, matris ad normam suæ,
Cristina proles ambulet;

Virumque verbis mentiatur Italis
Puella, sexu dignior.
Dic, ut parentis candidum germen sui,
Arnaldus, illis vocibus
Puer loquatur, queis locutus est Cato,
Et rex Latinus & Numa.
Vt ille, Threcis instar ensem fervidi
Mirmillo vibret parvulus.
Saliatque, qualis inter agrestes suas
Diana lege subsilit.
Et illa postquam dixeris palatiis
Cunctis Deorum; ne sile,
Prandere mecum, fabulari, scribere,
Et disputare suaviter,
Et gratulari cantibusque & versibus,
Et Hoofdiis applaudere,
Helmansiaque, & nuptiis tantis frui,
Insignę Belgii decus,
Frisiaque ocellum, amœnitatis corculum,
Mensaque præsentis fatem,
Nunquam canendam vatibus nimis, mihi
Semper colendam Tesselam.

IN OBITUM
Clarissimi viri
IOHAN. ISACII PONTANI.

Pontane, quò me, quò tui colens dudum
Pectus relinquis! ætherisque transcendens
Vias beatus tot malis inerrantem
Mortalitatis sede desuper spectas?
Me sume socium, vallibusque subductum
Calumniantis seculi & suo more
Ineptientis, inter integras mentes,

Innoxias-

Innoxiasque nesciasque livoris
Tecum repone. quà virile Cunæi,
Et os loquentis prisca verba Iacchæi,
Virtusque nullum vellicantis Erpeni,
Spernit malignæ virus improbum linguæ.
Illic per astra, per faces tibi scriptas,
Per regna Superûm fornicesque flammantes,
Tonitruumque fulminumque per tractus,
Geminumque mundi culmen ibimus lati.
Propiusque cœli signa, circulos, puncta,
Lunæque vultus & vagantium motus,
Ortusque varios luminumque tot casus,
Arcana mundi, permeabimus coram.
Hic nos moratur pigra corporis moles,
Animumque glebæ affigit & solo mentem;
Crepundiisque ludicrisque curarum
Vanisque miseri næniis fatigamur.
Tu, quem docentem porticus Sicambrorum
Flevique lambens stagna Geldrus audivit,
Iam multa discis, quæ negata sunt nobis,
Et multa nescis, quæ profana nos scimus.
Scrutator usque veritatis æternæ,
Saturque votis & Dei Redemtoris
Amore plenus, conscientiæ laudem
Infers Olympo, laureamque doctrinæ
Felicitatis luce clarus exornas.
Qui sceptra Regum purpurasque Cimbrorum,
Septentrionis numina, indicavisti,
Eburque Gothicum lineasque regnantum,
Rheni bicornis oppida & Duces priscos,
Et gesta Patriæ gnarus expedivisti;
Qui præpotentis Amstelæ domos dites,
Originesque, templa, fata mercantum,
Suffulta sylvis tecta, mobiles arces
Auri latebras, merciumque scripsisti,
Nunc alia regna, & tot regentium Regem,

Et civitatis jura perspicis magna,
Opesque lustras, nescias vetustatis.
At nos dolemus, quotquot hic sacri Musis
Monumenta seclo consecrata miramur.
Quæ nec malignus Livor afflat aut Momi
Furor flagellat. Te caremus, Isace,
Nec jam benigna commeant amicorum
Voces, nec ales charta transvolat fluctus,
Testis salutis, & favoris illæsi.
Hæc summa vitæ est. hoc suave solamen
Afflictionum, leniore conspectu
Sodalitatis perfrui verecundæ.
Amplecti amicos, literisque testari
Flammas honesti, candidique convictus.
O literarum splendor, ô senex docte,
Tot noctibus, tot hic laboribus fracte,
Tot fesse scriptis, tot scholis fatigate,
Criticique dudum magna pars tribunalis,
Tot præmiis, tot Imperantium donis
Illustris, audi, & mœsta verba Barlæi
Sibi dolentis & tibi parentantis,
Tibi gratulantis, at sibi gemiscentis,
Lachrymas amantis, præfica puta lessum.

Illustri viro D. LODOVIC. CAMERARIO, Suecorum in Batavis Legato, suam à prandio absentiam excusat.

VIr magne, vir serene, vir potens fandi,
Regina cujus ore fatur ad Belgas,
Batavumque patribus pandit imperi sacrum;
Quem terra quondam lætior Palatini
Ducis fidelem sensit & sibi charum:
Quid me poëtam poscis ad tuas mensas,

Epulisque

Epulisque Divûm vis frui professorem?
Et labra ferclis admovere Legati?
Nos inter umbras porticusque Musarum
Humiles moramur, vivimusque secreti
A luce tanta. me cathedra, non aula
Assuevit uti. nec dapes potestatum
Mereor sacerdos Palladis. Levi formo
Cœtus scholarum voce, & illa magnatum
Aulaa & arces rarus hospes accedo.
Tu jussa Regum Principumque promulgas,
Ego jussa acuti interpretor Stagirita.
Tu regna flectis, suggerisque vel belli
Vel pacis artes; me rudis Iuventutis
Cultura totum possidet. Ducum vox es,
Ego vox docentis Amstela. doces suasor
Facienda grandi purpura & tuum pergis
Sueonum probare munus Imperatrici.
Mihi parca vati spiritum dedit lenis
Clio Camœna, carminisque concessit
Exile robur. forte, laudibus, fama,
Splendore diffidemus. hinc timet noster
Calcare honoris atrium tui Phœbus,
Pudorque magnis horret ingeri mensis.
Perite rerum publicaque fortuna
Lodovice, grata mentis obsides sume
Testesque iambos, gratiamque conviva,
Quam nunc rependo maximo Tibi verbis,
Exosculare. mitto ferculum Cirrha
Apollinaris dulce ferculum mensa,
Procul à diserto fonte Phocidis natum,
Vbi Rhenus arces & Quiritium castra
Subversa lambit, Schonckiique laudata
Humanitate latus hospes involvor.
Vale ter ample vir, cui reflorescens
Germana tellus debet & Nicri Princeps,
Vultuque vestro prandioque semotum

 Illu-

Illustris, aequus & benignus excusa.
Sic te potentis sceptra diligant terrae,
Sueonumque rectrix Finniaeque regina.
Sic Federatis Patribusque regnisque
Digne colaris: fata prorogent annos;
Pulchramque Superi sospitent senectutem.

Amplissimo Viro,

D. GVILIELMO BORELIO,

Duynbekæ Domino, Reip. Amstelodamensis Syndico.

PRaestans Boreli, si qua vis Apollinis
Morbo superstes, pristinos valet modos
Dictare vati; nec benignum sanguinem
Febris resorbens, fontis Aonum simul
Exsuxit undas, torpidique spiritus
Sublimis aurae portiuncula vigent:
Id omne & unum gratias agit tibi,
Et me measque consecrat Musas tuae
Humanitati, publicoque interpreti
Assurgit absens, & favoris maximi,
Quo non merentem amplecteris, laxos sinus
Audet remissis implicare versibus.
Hac lege vivis; non suis se commodis
Natum putare. publico se mancipat,
A plebe quisquis distat, & scientia
Extendit annos. esse non cupit suus,
Vindex suorum. civium facundia est,
Quâ faris Hagae. quod sibi plures petunt,
Per te loquuntur. quicquid es, sic Patriae
Batavoque donas, & potentis imperi
Fulcis labores, consilique pondere
Disertus audis. Talis in Quiritium
Cyneas Senatu verba fecit, & sui

Mandata

Mandata Regis elocutus, os fuit
Et lingua Pyrrhi: talis Atridas Duces
Nestor trahebat, Herculesque Gallicus
Vocis catenâ Galliam flexit suam.
Qui barbarorum corda Thracum leniit
Orpheus canendo, muneris tui fuit.
Et qui superbas arte Thebas condidit,
Et saxa doctâ movit Amphion chely.
Praeire verba fascibus Tulli patris
Partes fuere. talis Æschines forum
Vrbesque Grajas Atticosque principes
Formavit olim. Federata nomina
Talem salutant, Belgiique illustrior
Vrbs per patentes orbis excurrens plagas,
Famamque longæ Solis exæquans viæ,
Pro se loquendi copiam tibi facit,
Curisque crescit magna Civitas tuis.
Nec hic subactæ meta stat prudentiæ,
Aut Consularis jussa solum Curiæ,
Nobis profaris. Indiæ per te sapit
Potens Senatus, teque partem Concili
Vult esse tanti. consulis domi sagax
Foris gerenda. quaque Titan curribus
Exsurgit undis, & Moluccas adspicit,
Calidamque Iavam, tuque mœnibus valens
Ambona serves, & Tidora præliis
Hostem fatigat, gentiumque messibus
Iacatra turget; optimis suffragiis
Moderaris orbem. sentit, ignarus tui,
Sua damna Bætis, & latens noces Tago,
Opesque suasor subruis Philippicas.
Hæc VValachrus audit. & tuis se laudibus
Vult esse testem novit ingenî facem
Labor Metelli. destinaris exteris,
Venetisque dudum, ut Belga prosis Belgio,
Bellique fedus Alpibus persuadeas,

Et purpuratis fortis Adriæ togis.
Duynbeka gaude, quæque collibus jaces,
Clarefce Domino. dic propinqua Tethyi,
Tibi imperare fidus Infulæ tuæ,
Columen bonorum, patriæ lumen fuæ,
Exemplar æquæ mentis, Amftelæ jubar,
Et comitatis & gravis prudentiæ
Specimen feverum. dic Borelio coli
Illuftre Phœbi nomen & Phœbæos
Myftas amari. dic alumnum Phocidis,
Biverticifque montis atque Palladis
Regnare ruri. dic vetufta fecula,
Graiûmque gefta & aufa gentis Italæ
In hoc recondi. dic facerdotem piæ
Themidis vocari, confcium Iuris facri,
Et quod profanum caufa civilis facit.
At tu minore, Rhene, currens alveo,
Vbi caftra quondam fixit Albini labor,
Domos Boreli prædiumque lenibus
Pulfa fufurris. gratulare fofpiti,
Agrifque dona perfrui feracibus.
Quos nec locufta tondat, & zizaniæ
Steriles pererrent, aut adurat Sirius,
Aut fævientis ira verberet Noti.
Si Roma ripis attulit decus tuis,
Vrbifque Dominæ gloriaris arcibus,
Plus jam fuperbi. dum tuos per margines
Orator habitat, Syndicique gloriam
Late decoris fama differt urbibus.
Quamvis carinis mille, mille mercium
Formis redundet Ya, & omnibus ferat
Vendenda terris, æra tranfmittat Gothus,
Pellefque Mofchus, Indus advehat piper,
Electra mittant Sarmatæ, marmor Ligur,
Frumenta Gallus, fævus enfes Cantaber:
In Te, Boreli, fumma laudum colligit,

Vocesque præfert rebus utiles suis.
Quibus profundum tranat, exteris natat
Mercator undis, lucra conficit sibi,
Magis patescit civitas, condit domos,
Latisque cives ordinat pomariis.
Sapuisse primum est. alterum, vitæ dies
Donasse cœlo. tertium, per publicas
Ivisse curas, civitatibus loqui,
Et eruditæ mentis otium bonæ
Dedisse causæ, totque doctrinæ modos
Formasque grandi commodasse Curiæ.
Per Te beamur, te favente crescimus,
Vir magne, & atras pellimus febres procul.
Per te valemus. Tu laboranti tuis
Verbis mederis, erigisque languidum
Spe, jam silendâ. pene nuper mortuæ
Disrupta fila fortibus solatiis
Redintegrasti. sic meæ favor tuus
Certum salutis robur & fulcrum fuit,
Stygiisque vatem vindicavit manibus.
Toscis medelæ vile præmium tua?
Gratumque amici pectus? obsides cape
Testesque Iambos. meque credas non fore,
Cum te, Boreli summe, desinam loqui.

Nobilissimo viro

D. ANTONIO OETGENS,

Equiti, Domino in VVaveren, &c.
Reip. Amstelodamensis viro
Consulari.

Magnanime Consul, ditis Amstelæ rector,
Fortuna cujus Amstelæ è manu vestra
Et optimatum, quos amamus hic, pendet:
Germana proles undecunque virtutis,

Et non euntis per remissa doctrinæ;
Qui stemma digno patre maximum ducis,
Sortemque avorum fascibus tuis vincis:
Salve ter ample vir, meisque paulisper
Vaca Camœnis. æger, impotens, fractus,
Totusque languens, dulce barbitum invitus
Pressi tenebris. nunc alacrior reddor
Luci Tibique, & per vireta Musarum
Raptus, verendo pauca Consuli fabor.
Scripsere Flacci Principi juventutis,
Sceptris Marones, Claudiana Pimplæis
Honorioque fascibusque Romanis.
Sequar priores, imperique nostratis
Facem decusque audentior salutabo.
In diligentem me, meique fautorem
Amo reflecti, vindicemque Phœbaum
Et literarum vindicare Parnasso.
Nefas sileri, quem benigna sceptrorum
Extollit aura, insignibusque Majestas
Arctoa donat. Aula purpuratorum
Quem sacrat orbi, consecrabimus Phœbo.
Libethridumque proluemus in lymphis.
Mercantis urbis rector & Senatores
Inter Senator, cujus ore jam pridem
Excepta gratum magna sensit adventum
Medicea mater; me favore, quo polles,
Involve totum, & gratia professorem
Innecte vestra. Tu sacella discendi &
Novas juventæ porticus reclusisti,
Meaque jam tum gratulatus es sorti.
Qui VVaveræ das jura, qui Deus ruris,
Numenque agrorum maximusque possessor
Tibi faventis fata suspicis cœli:
Scholæ labores Palladisque non segnes
Fove ministros. Patriam gubernasti,
Motusque grandes pacis atque bellorum,

Regum Ducumque postulata flexisti,
Tot Federatos inter eminens patres:
Rerum peritus castra Principis celsi
Comitatus, Illi te fidemque vovisti,
Periculorum particeps. dies, noctes
Arma induentem prosecutus, Heroum
Adstes fuisti, ararioque bellaces
Excire dextras, pars fuit tua laudis.
Deesse non vult, quisquis osor Hispani est,
Patriæ parenti. Nassovæ favet stirpi,
Quicunque Belgis liberas amat mentes,
Aras focosque. & sarcinas Philipporum,
Et jussa duri Regis odit, assertor,
Servire Ibero nescientis, Hollandi.
Ocelle nostræ gentis, ista qui curas,
Laudumque non labantium satur vivis,
Qui scæva mundi lividosque conculcas,
Malosque recti conscientiâ damnas;
Amoris in me ventila tui flammam,
Heliconidarum pallidæque Pyrenes
Cultor perennis. illa summa votorum est,
Placuisse vobis, & probasse me semper
Amore vestri. litterariam causam,
Inter Camœnas natus educatusque,
Et fonte tinctus affatim Latinorum,
Patrone grandis, vindica. sciat Cyrrha,
Clarosque docta, & quidquid ullibi Phœbi est,
Vel erudita gentis, his tuos divis
Lares dicari. Sic tibi perennantes
Diducat annos Fama; fata transcendas,
Cineri superstes, nesciumque contempta
Mortalitatis nomen inseras cœlo.
Quin filiorum quilibet, paternorum
Hæres honorum, semita patris magni
Vadat decorus, & suprema conari,
Batavisque studeat æmulanda moliri.

Vir summe, vir colende vatibus, salve,
Et vive felix patriæ, tuis, nobis,
Meaque partem gratitudinis cense,
Tibi mancipasse, quicquid est meum, Consul.

PRÆSEPE CHRISTI.

Cuna Tonantis, lectule Imperatoris
Præsepe, magni sella sospitatoris;
Cum te tuumque illustre dedecus specto,
Sordent triumphi, sceptra, regna, fortuna,
Fasces, trophæa, vestium venustates,
Auroque quicquid purpuraque splendescit.
En ipsa cœli prædicanda majestas
Sordescit, ipso despicatior vulgo,
Egena rerum: vilibusque sub pannis
Crepundiisque grande numen occultat.
Mundi Redemptor magnus incubat fœno.
Hac vagit aula, anhelituque brutorum
Blandè incalescit. O stupenda paupertas.
Creator orbis angulo jacet parvo
Pene exul orbis. vestiumque donator
Fastidit illas. ipse regibus major
Rex universi, regios fugit cultus,
Opesque nescit omnium ministrator.
Non cinnama inter balsamique sudores
Infans renidet, Persicosque splendores.
Non hic iaspis, margarita, beryllus,
Fulgens smaragdus tecta sancta collustrant.
Puer ipse splendor omnis & sibi lux est.
Sibi ipse fulgor, ipse lumen & sidus,
Omnisque pyxis elegantia rerum.
Augusta proles, nate patris excelsi,
Squallentis obsoletæ sordibus tecti,

Vbi illa decoris sempiterna majestas?
Paresque patri gloriæ tuæ faces?
Vbi patentis imperi potens sceptrum?
Vbi tribunal cœlitum choro septum?
Ex quo per omnes jura dividis terras,
Mandata ponto: jussa manibus dictas.
Nempe illa tristis, mœsta sors egestatis
Pressit volentem. pauperesque paupertas
Focillat insons. sic modestiæ prabes
Exemplar orbi turgidosque despectas.
Te clara cœlo, clara gentibus cunctis
Benedicta magnum Virgo parturit Christum,
Intacta Iesum. plena gratiæ mater
Tot gratiarum læta gignit autorem.
Pastor stupescit & tuetur infantem.
Reges adorant. erudita Persarum
Ante ora vagit eruditor cunctis,
Scientiarum & omnis arbiter veri,
Ac dona pauper colligit Sabæorum.
Lætatur Anna. jamque proximus morti
Cœleste Simeon sanctus inchoat carmen,
Et nos beanti succinit juventuti.
Applaudit æther & Deum Cherubinæ
Canunt cohortes: solus horret Herodes
Timetque nostrum purpuratus infantem.
Tuelle Iesu, particeps mea carnis,
Agnosce fratrem, quem tibi redemptori
Fides adunat. condole tuæ genti,
Ecclesiæque tot malis laboranti.
Tibi gratulamur maximo sacerdotum,
Tibi gratulamur maximo prophetarum,
Regumque quot fuere maximo regi.
Post tot piorum gratulantium voces,
Audi pusilli Christe canticum servi,
Et verba veterum, quæ reponimus, Patrum:
Æternus horas supputas tuæ vitæ.

Immen-

Immensus alvo clauderis tuæ matris.
In matre totus, totus in sinu patris.
Nec hic vel illic segregatus in partes.
Nulli videndus, nunc videndus in terris.
Tot seculis præmissus inchoans seclum.
Deus perennis permanens, caro factus.
Patri coævus, nec coævus in carne.
Æqualis illi, nunc tamen minor Patre.
Pater Abrahami, semen Abrahæ sanctum,
Mariæ creator & creatus ex illa.
Mundi creator, nunc creatus in mundo.
Qui patre natus universa fecisti,
Et matre natus Spiritu refecisti.
Terrena servans & superna conservans.
Infans loquendi nescius, tamen Verbum.
Infans malorum nescius, tamen passus.
Cui mater una mater & simul Virgo est.
Virtute cujus facta mater est mater.
Quem nutrit illa, quæque vivit ex illo,
Quæ portat ulnis, cuncta qui suis portat.
Qui Sponsus idem est matris, & tamen proles,
Matri colendus & tamen colens illam.
Autor diei nocte proditus sera,
Et lucis expers, lucis autor æternæ.
Stabulo recumbens imperator augustus,
Fœno recumbens rector orbis immensi.
Obses salutis, autor & simul pignus.
Et victima idem Pontifexque mactandus.
Infans stupende, nascere & Deus cresce,
Infans stupende cresce, vive Servator.
Infans stupende morte crimen expunge.
Infans resurge, jamque celsior cœlis
Miserere nostri. redde gentibus pacem.
Et pace natus inquieta compone.
Patriæ labores magne sublevaprinceps.
Patriæ parentes vindica Deus fortis,

Arau-

Arausiique nomen inclytum Patris,
Arausiique germen inclytum Patris.
Fac, ut per amplos nota Tethyos fluctus
Vrbs nostra, Cunis incubet tuis Iesu.
Vivant potentis Amstelæ Senatores,
Et civium quotcunque Christianorum,
Præsepe sanctum culcitrasque non grandes
Et te jacentem supplices adorabunt.

Ad Illustrissimum

D. CORNELIVM HAGAM,

cum à porta Ottomannica redux legatus, me Turcicis ferculis excepisset.

Illustris Haga, qui decus Batavorum,
Et Federati grande Belgii nomen
Latè extulisti ad Ottomannicas portas,
Fidemque patriæ patribus probavisti,
Tibique famæ præmium reportasti:
En hospes adsum, splendidæque vulgaris
Conviva mensæ, quem disertus orator
Dignaris admovere ferculo, quali
Dominator Helles Bosphorique regnator,
Durusque Thracum rector assolet vesci.
Sic Roma quondam gentium triumphatrix,
Asiæ magistra exoticas suis offas
Fecit culinis & dapes peregrinas
Invexit urbi. sic reversus è Bactris
Macedo apparatu Persico fuit pransus,
Paropsidesque balsamo Sabæorum
Arabumque mille lætus imbuit succis.
Creamur omnes unicoque rectori
Debemus illud, quod sumus creaturæ,
Deique germen. sed per orbis immensi
Tractus patellis dissidemus & poclis.

Si

Si lingua multis barbarique sunt mores,
At erudita singulis gula mens est,
Sapiens palatum, & plenus ingenî venter.
Hac arte Finnus, Sarmata & ferox Hunnus
Scythaque sapiunt, Celta, Cappadox pauper,
Et dives Indus, cuilibet sua est mensa
Dispar voluptas multiplexque decoctum.
Massylus unum civis expetit mullum,
Romanus apros, ostreumque Lucrinum,
Sumen Pelasgus, Memphis abstinet cepis,
Amat Batavus. Phasianus in luxu est
Colchis, nivosus expetit piper multum
Septentrionum filius, fugit Sole
Perustus Afer. secta carnium frusta,
Olusque sapidum Turcicamque miscellam
Apponis Haga, ferculisque permisces
Voces disertas, qualibus soles fari
Ante ora, quondam prapotentis Osmanni.
Humanitati victimam hanc tua macto,
Humanitatis conscium tua pectus,
Animumque vobis, crede, semper obstrictum.
Hac ipsa dicit Satrapa & loqui jussit
Vatem benignus Vicofortii candor.
Tu quem recenti fœdere hîc adoptasti,
Interque calices fabulasque amicorum
Dixisti amicum, cui favente Brasserus
Batavi Senatus splendor annuit fronte,
Ut sospes hinc beatiorque discedam,
Verbis suetis Ottomannica genti,
Benedic poëta & hospiti professori.

Ad Ampliſſimum Virum
GERARDVM SCAPIVM,
Amſtelodamenſium Conſulem & Curatorem Academiæ Leydenſis.

Vir erudite, vir diſerte, vir Conſul,
Curator almæ Palladis, ſuis Rhenus,
Quam tingit undis, quamque mœnibus noſtris
Te ſalutat Amſtelaque potator:
Sepone curas, præviaque lictorum
Vacent ſecures, dum tibi Camœnarum
Aſſurgit ordo, vindicique Muſarum
Thalia claudos noſtra conſecrat Iambos.
Iam nuper epulis ferculiſque tot Divûm
Conviva tecum non ſeverus aſſedi;
Cum fabulanti prandia inter & menſas,
Mylius benignas Catſiuſque præberent
Aures poëtæ, nec minus favor veſter
Totum benigne involveret profeſſorem.
Tunc frater alte è pulpitis perorantum
Laudes Pelaſgum Cecropiſque ſermonem,
Et os rotundum dixerat juventuti.
Trivioque miſſus pulvere & ſatur triſtis
Ferulæ celebri ſtabat in ſchola Rhetor.
Tunc ipſe coram priſtinam domum vidi,
In qua Sophorum verba, Græciæ lites,
Priſci Platonis dicta, Socratis leges,
Seniſque dogma multiplex Stagirei,
Fui locutus. tunc tot ora doctorum,
Notoſque vultus, priſtinoſque collegas
Patreſque tetigi literarii cœtus:
Seu qui ſupremum voce detonant Numen,
Seu qui verendi arcana juris evolvunt,
Seu qui medelam corpori laboranti

Facit

Facit Machaon, seu per ætheris celsi
Vias vagantem ducit altus adspectum.
Salvere jussi hos ordines togatorum;
Sacrumque Phœbo literisque devotum
Miratus agmen: illa sunt Batavorum
Futura, dixi, fulcra, Curiæ voces,
Ecclesiarum lumina & renascentis
Spes certa Belgî. Sic docemur imberbes,
Et discit ætas prima, mox adultorum
Datura fructum & profutura tot Belgis.
Hæc magne Scapi, regna literatorum
Rector gubernas. hic Apollo submittit
Fasces loquenti, præsidesque tot Musis.
Et imperator flectis ingeni motus,
Et sævientis sæpe perperam turbæ.
Sic sceptra gestas imperique diversi
Cives coërces. nec tibi favens solum
Assurgit ingens Leida, sed per immensos
Audita fluctus civitas & augustis
Superba tectis, atriumque mercantum,
Forumque ditis Mercuri, tuo donat
Titulos honori Consulemque promulgat,
Per quem modestis tuta civibus vita est,
Per quem decoris pax penatibus salva est,
Delubra gaudent & Scholæ reflorescunt.
Per quem Iuventæ docta porticus surgit,
Sedes docentis & sacrarium Phœbi.
Vbi prisca narrat secula & vetustatum
Longos recessus Principumque regumque
Grandes labores eruditus orator.
Vbi nos labantem mille fraudibus mentem,
Ratione recta regulisque fulcimus.
Vbi nos per altos nubium procul tractus
Signamus axes, siderumque tot motus,
Rerumque causas indolemque scrutamur.
Vbi nos honestum quicquid & sibi pulchrum est,

Moresque

Moresque jussis tradimus verecundis,
Iuvenumque rectâ corda lege formamus.
His his, Senator, sedibus diu vive,
Hic Consul audi, Patriaque sedatæ
Largire mentis & scientiæ fructum,
Prudentiæque & candidæ venustatis.
Tuere Cirrham fontibusque Pimplais
Adsperge lympham, Apollinisque cultores
Laresque sacros Palladi fove fautor.
Sic consulare nomen evehet civis,
Sic consulare nomen eveham vates,
Sic urbis amplæ plausibusque Musarum
Tutela nostri Scapius perennabit.

IN OBITVM
Clarissimi viri
D. ARNOLDI BVCHELII,
Advocati apud Trajectinos.

SEnex verende & erudite, Bucheli,
Dudum celebris lux decusque Trajecti,
Antiquitatum promeconde nostrarum,
Scrutator usque veritatis abstrusæ,
Propaginumque, & stemmatum vetustorum,
Quæ pene edaci dente roderant anni,
Lacisque caries admomorderat saxis:
Tibi parentat, manibusque fert justa,
Tuæ senectæ cultor; & dolens vates
Fundit querelas, triste funeri donum.
Non jam per urbem, mitra cui dedit famam,
Vetusque Rheni ripa, & Ordines sacri,
Tot templa divûm, porticusque turresque
Gradior sodalis, & severus auditor.
Cum prisca rerum abconditosque natales,
Diesque docte præsulum, & sacerdotum,

Fastos

Fastos notares, Amstelaque rectores,
Et jus potentis, impetumque VVoerdani,
Audaxque Velsi facinus, & duces pulsos.
Non jam tuorum bella, & horridas pugnas,
Irasque narras, vel truces Sicambrorum
Batavûmque motus; nec perambulas mecum
Vultus Quiritum, & Albulam triumphantem,
Sculptas metallo Galliasque Memphimque,
Trinacriamque, fibulasque pelvesque,
Cultros, secures, lampadasque Vestarum,
Semesa seclo marmora, & fatiscentes
Ævo figuras, lineasque labentes.
Non imus ultra, ut quicquid abditum servat
Mercantis urbis institorque civisque,
Lustremus ambo, Cæsares paludatos
Urnasque tristes, Isidisque portenta,
Aut quæ remotis Persa sedibus mittit,
Vel dives Indus, aut Hydaspis extremus
Gangisque potor, & superbiens Eos.
Nec scripta monstras, pulpitisque disposita
Monumenta centum, tot voluminum classes,
Diplomatumque tot cadentium ceras.
Rupere fata federis fidem tanti,
Commerciique literarii nexum,
Humanitatis Palladisque contractus,
Sodalitatis jura longius culta.
Tibi per celebres editosque doctrinæ
Mens gnara colles ivit, & salebrosas
Vectus per artes & vireta Musarum,
Scientiæque multiformis ambages,
Phœbi profundis vallibus resedisti,
Tota repletus Phocide atque Permesso.
Tunc juris almi prædicanda majestas
Astræa, alumnum masculo imbuit succo,
Legumque studiis Scævolasque in exemplum,
Accursiosque Bartolosque Baldosque,

Iaso-

Iasonasque objecit & Tryphoninos.
Reis patronus, integerrimus tutor
Tui clientis, sanctitate pro rostris
Multa stetisti, judicique dictasti
Rescripta Regum Principumque responsa.
Sic dicta causa est, ut reus triumpharet,
Abiret actor, vindicemque pupilli
Pietas amavit, & severius rectum.
Osor superbæ mentis, & mali fastus,
Fœdique luxus improbique livoris,
Facilis minori, ferre doctus æqualem,
Majoribus cessisse, diligi cunctis,
Comis, benignus, lenitatis assertor,
Et æquitatis & modestiæ, summam
Cœlo intulisti conscientiæ laudem.
Mox jura Gangi Bengalæque scripsisti,
Arabumque terris portubusque Persarum,
Tostæque rexti Tethyos forum grande,
Interritamque Nerei senis turbam.
Cum tot senator inter assidens patres,
Classes Batavas Amstelamque mercantem,
Tamque Eois mercibus beavisti,
Pactisque Reges Principesque junxisti
Vel Marte crudo, & classico subegisti
Bellator absens. Sed serenior visa est
Sors ista vitæ, quæ cruenta Gradivi
Horrescit ora, seque mancipat paci,
Et incruento devovet diem Phœbo.
Et jam tenebris involutus & longo
Situ relanguens Heda, redditur luci.
Caliginisque conscius suæ scriptor
Totus patescit, præsulumque per fasces,
Episcoporum tempora & truces fastos,
Antistitum ferocientium bella,
Sacrasque mitras Beka tersius vadit.
Miratur ipsam se reconditam clare

Legi vetustas, impedita dissolvi,
Arcana pandi, lumen invehi nocti,
Vmbramque veri veritate dispelli.
Nunc jura lugent, ingemit tuus Codex,
Sordent Novellæ, deficitque Pandectis
Lector suetus. nummuli, sepulcreta,
Archiva, chartæ syngraphæque donantum,
Exscripta, tabulæ, symbola, & sigillares
Ceræ, queruntur pristinam sui curam
Iam post haberi. sanguinisque cognati
Pars prima digniorque Vorstius mœret.
Quem quando amabas, eruditior virtus
Se passa amari est, & Machaonum germen,
Latiaque linguæ cultor & Pelasgorum.
Fax veteris ævi & temporum senescentum
Redintegrator & lucerna, Bucheli,
Nunc occidisti. seculoque subduxti
Intaminatam labe seculi mentem.
Et quicquid orbis hic fovet tenebrarum,
Et quicquid hic sordescit, aut situ fœdum est,
Lux sempiterna, lux beata discussit.
Cani residunt crinibus, vacillantem
Cœleste fulcit robur, induit numen
Ipsum senecta, temporumque transgressus.
Iniquitates & vagas vices rerum,
Superbiæ theatra, criminum sedes,
Calumniarum tecta, vim malignantum,
Regum furores, imperantium fraudes,
Cives profanos, invidosque doctores,
Mundo remotus, sic remotus immundo es.

THRE-

THRENVS,

in obitum Nobilis Dominæ,

CATHARINÆ OVERBEECKIÆ

DANIELIS SCHONCKII,

minoris POELGEESTÆ Domini,

CONIVGIS.

Poelgeesta luge, Schonckii domus plange,
Foribusque taxum lugubremque cupressum
Præfige mæstis. Ecce, quàm repentino
Aulæa pallent, rura personant luctu,
Palatiique prædicanda majestas,
Fulgensque culmen fornicesque sordescunt.
Lachrymis liquescunt marmora & rigens saxum
Plorat magistram. Rhenus ipse singultit,
Tanti doloris conscius. tremunt undæ,
Cubilibusque vitreis gemunt Nymphæ,
Dominæque tristes orbitate suspirant.
Circum penates turtur arbore excelsa,
Recensque natis turribus, gravi questu,
Sociam reposcit, exprobratque naturæ
Disrupta lecti vincla & horridos casus.
Batava Pallas, præses alma Musarum,
Bellique mater, dum cadaver adspectat,
Innoxiumque funus & pios manes,
Irata fatis, tetricam ægidem læva
Excussit excors, dexteraque bellacem
Abjecit hastam, condolensque mitescit.
Catharina terris cessit, & satur mundi
Mortalitatis lege succubat morti.
Catharina felix occidit, laboranti
Subducta seclo, & tot doloribus mater
Vitæque semet expedivit ærumnis,

Animamque recti conſciam Deo vovit,
Hæres Olympi. digna conjugis digni
Conjux beatus inter altior mentes
Beata vivit, præmiumque virtutis
Felicitatis læta poſſidet ſummam.
Vidi cadaver, innocentiæ ſedem,
Vidi cadaver, conſcientiæ ſedem.
Vidi cadaver, integrrimæ mentis
Inſons ſacellum, pyxidem venuſtatis,
Et lenitatis & pudoris & recti.
Flevi cadaver, comitatis exactæ
Nuper tabernam, capſulam verecundi,
Lares honeſti, temperantiæ limen,
Et caſtitatis; maximæque non fictam
Pietatis aulam. Flete, flete vos matres,
Periiſſe in illa matris optimæ normam,
Periiſſe in illa conjugis probæ formam,
Domeſticæque exemplar eminens curæ.
Ad hoc cadaver & modeſtiæ buſtum
Iugulate faſtum, quo decus maritorum
Virûmque ſæva jura ſæpè calcatis.
Ad hoc cadaver, hanc amabilem cunctis
Ad pacis aram, fœda bella rixarum
Mactate lenes. hoc faceſſite à buſto
Matres avaræ, inhoſpitæ, inſoleſcentes
Rebus ſecundis, prodigæ improbo luxu,
Hirudines, ſcopæque divitis cenſus.
Et queis proterva dat loquacitas famam.
Quas empta pulchritudo ſegregat turba,
Vacuna damnat, vel procacior Circe.
Catharina vobis grande fecit exemplum,
Lex viva morum, ſymbolumque concordis
In amore lecti, prolis unicæ cuſtos,
Et educatrix fida. Tullæ quales
Corneliæque Iuliæque vixere.
Non opibus illa fidit, uſa prudenter.

Non

Non spes iniquas fovit. illa possedit,
Quæ tribuit æther; pauperesque solata
Benigna dextras, alteri fuit dives.
Hoc timuit unum, displicere consorti.
Hoc voluit unum, perplacere consorti.
Hoc esse studuit, esse quod videbatur.
Cultus honesti, non vagantis à sorte.
Vocis modestæ, non euntis à vero,
Gressus decori, non euntis à recto.
Hoc Francofurta pignus, hanc facem mundo,
Hanc Mœne Batavis Schonckioque donasti.
Cui stemma virtus dignitasque majorum
Avita scripsit; elegansque doctrina,
Humanitatis lima, plebe secrevit.
Amice Schoncki, si dolere me persers,
Et condolere seriò tuæ sorti;
Sum pars doloris. lachrymæque, quas fundo,
Tuis inerrant; quique te premit dolor,
Tangit sodalem, pristinique convictus
Memorem poëtam. mutua est amicorum
Fortuna. mœret, gaudet in vicem quisquis
Venerandum amici & dulce nomen usurpat.
Nunc forte pectus, teque grandibus muni
Causis quietus. Numini geras morem,
Cui cuncta parent. stat trabalibus clavis
Lex scripta lethi. mortis hora cunctorum est,
Eademque vita. singuli damur mundo,
Vt hospites reddamur. incubant Parcæ
Hac lege natis. occidit tibi conjunx,
Sed non Tonanti. deficit parens proli,
Et hæc parenti forsan. (omen averte
Æterne rector) perditam cave credas,
Præmissa tantum est. cur dolere vis? salva est.
Misereſcere æquum est. si reposcis exstinctam,
Avertis astris, invidesque felici.
Non moritur illa, quæ Deo Redemptori

Fidem probavit, conscientiam terris.
Non moritur illa, quam profundius servas,
Quæ vivit in te. ô quanta spes resurgentum est.
Quàm post videbis, tot malis manumissam,
Plenamque Christo, & pulchrius triumphantem.
Hæc sæpe tecum, sæpe cogita solus,
Luctumque magnis frange fortis exemplis.
Sic te dolentem vincis, expedis mentem
Mortalitatis nube, sic domas Fatum.

In obitum MARIÆ Filiolæ Ejusdem, triduo post matrem exstinctæ, & eodem, cum matre, fratre & sorore præmortuis, tumulo Vltrajecti clausæ.

HIc tumulus matrem pariter prolemq; recondit.
Nec potuit genitrix sola, nec illa mori.
Rara urnæ facies. tribus hìc circundata natis,
Quas peperit, servat mortua mater opes.
Causa uno sobolesque loco coïere. nec unus
Quæ conjunxit Amor, terra diremta cupit.

Ad Illustrissimum virum

D. GASPAR. COCQVETIVM

THVILLIRIVM,

Regis Christianissimi apud Federatos Ordines Legatum.

ILlustris Heros, sanguinis Thuilliri
Sublime germen, qui sub axe Belgarum
Latè potentis verba Galliæ faris,
Et Federatos Rege Maximo Patres,
Populumque bellis totque adoreis clarum,
Fulcis benignus: nuper Adriæ grandis
Togis locutus; magne Regis interpres,

Et

Et liliorum : sume, quas tibi grates
Dignas Camœnæ vindici suo solvunt,
Et sempiterno nuncupant sacramento.
Tu per patentes Tethyos procellosæ
Campos, poëtam gratiæ tuæ flabris
Vexti libenter. tu Ducis celebrati
Laudes & illud Purpuræ sacrum carmen,
Apollinare munus, ab rudes Musas,
Zephyro serenæ vocis & tuis verbis
Aulæ intulisti, maximoque custodi
Tot Galliarum Præsidique Francorum,
Absens dedisti. splenduere tunc Musæ,
Audaciusque te favente, conscendi
Illustre limen Cardinalis Armandi.
Tunc Rector ille vatis exteri lusus
His legit oculis ; imperi quibus molem,
Et hostium tot stragibus triumphantem
Gallum tuetur. nec moratus has laudes,
Fecisse gaudet, quæ recensui scriptor.
Hæc summa voti, Principumque Regumque
Donasse famæ gesta, & impetus Phœbi
Permiscuisse Martis horridis telis :
Cecinisse pugnas, bella, publicam pacem,
Mutata regnis fata, busta regnantum,
Casus potentum & quicquid acre & excellens
Mortalitatis lege solvit Heroas.
Hos inter ille est, cujus exhibes nobis
Gemmis coruscam pyxidem Thuilliri,
Aurique pulchris annulis coruscantem,
Munus Deorum, præmium Camœnarum,
Et præpotentis grande pignus Armandi.
Quàm Cirrha gaudet & superba se tollit
Fautore tanto Pieris. renascentes
Cernas poëtas altius solo tolli,
Et magna fari. Iam canit deauratus
Phœbi sacerdos, ambulatque torquatus,

Seque ipse nescit, scire qui facit plures.
Quid secla vates fingitis beatorum?
Auroque tempus affluens & argento?
Feliciore vivitur mihi seclo.
Dum colla circum nostra fulget Eoi
Adamantis orbis, gemmulaque flagrantes
Solis lacessunt lumen. aurei dudum
Fuere reges Principesque gemmisque
Regum superba conjuges. decus tantum
Refert professor. qua caput triumphantum
Circumdedisti laure, jam mihi possis
Vilis videri; dum meis fluunt fulvæ
Humeris catenæ, Galliasque curantis
Fulgens imago limen adspicit nostrum.
Præstans Coqueti, quam mea est Philipporum
Sors sorte melior. non mihi cavernosis
Abstrusa saxis rupibusque quæruntur
Pelopis talenta. nulla pallidus fossor
Metalla in ipso scrutor Indus Occasu.
Paratiores purpuræ mihi gazas
Aurumque mittunt & monile laudatis
Insigne baccis. qui nefarii peccant,
Horrent catenas. has volens pati possum,
Et ista Richeli vincla non reformido.
Apollo jam se gloriatur auratum,
Pimpleides sic aureæ magis fulgent
Et mons bivertex culmen aureum tollit,
Et aureis fons Castalis fluit lymphis.
Iam post Marones laureasque Flaccorum,
Mereor potentum gratia coronari,
Aulisque lætus inseror gubernantum,
Ducumque chartis litterisque compellor.
Qua voce gaudes publicas loqui causas,
Pro me locutus Cardinalium summo
Nuper fuisti; Nestoremque Gallorum,
Regni columnam, antistitemque Musarum,

Fecisti

Fecisti amicum vatis & lares nostros
Palatiorum luce plus beavisti.
His vive meritis. claudicant vacillantes
Pudore iambi; sed memor Thuilliri
Mens recta, & ille nominis tui cultor
Vates, tenebris invidet tuum nomen,
Regisque magni interpretem celebrabit.

Ad
ALBERTVM BANNIVM,
Iurisc. & Musicum summum.

Divine cantor, qui serenis vocibus,
Et ordinatis gutturum concentibus
Phœbum lacessis & beatam Cæcilin
Modulis sepultam suscitas cœlestibus,
Linosque terris reddis atque Amphionas,
Cantuque Thraces barbarumque Strymona
Lenire possis more suavis Orphei,
Ipsisque silvis Nereique fluctibus
Afrûmque monstris imperes silentium:
Quos mittis artis indices tuæ libros,
Superis dicavi dulcibusque Gratiis,
Venerique sacræ, Palladi, Cupidini,
Dîs universis & deabus omnibus.
Debentur astris, cœlitus nobis dati;
Interque Soles Cynthios & Cyprides
Cylleniosque & Martis arduas domos,
Iovisque sedes & trucis falcem senis
Alte canuntur, orbium juxta sonos,
Divûmque voces, & loquentis Bannii
Cœleste carmen perficit divinitas,
Numerosque verbis ordinant tot numina.
Facesse luctus, cura & inquies dolor
Vultuque quisquis ægritudinem trahis.

Hic triste quicquid, inficetum & horridum
Enorme, durum dissonumque legibus
Proscribit insons Musa. reddunt paginæ
Ægris salutem, languidis robur novum,
Vitæ morantur fila & ipsis inferûm
Portas recludunt vindicantque mortuos.
Qui labe mille criminum sordet dolens,
Qui Thyrsis Æglen forsan ereptam voles,
Qui naufragus tot puppibus miser gemis,
Qui judicis decreta deploras reus,
Qui fata luges patris aut matris piæ,
Cui Mars iniquos militum immisit globos,
Qui purpuratis excidisti honoribus,
Et rapta quereris sceptra & iratum Iovem,
Solamen illic multiformis næniæ
Levamen illic inveni tuis malis,
Hymnisque tristes pelle suavibus dies.
Curasque calca & mortis agrimoniam
Et ponderosi sanguinis motus preme.
Amice Banni, sic canendo jugiter,
Inter disertos Musici chori patres,
Inter sacrorum anhelitus Vestalium,
Et cultioris inter Astrææ probas
Sodalitates, inter ista murmura,
Modulosque vocum, & hoc Seraphicum melos,
Cherubina quale turba præcinit Deo,
Immensa quale format ætheris domus,
Philomela quale gestit æmularier,
Me teste, me fatente, non potes mori.

Nobili

Nobili & insigni viro
D. IOHANNI BRASETTO,
Regis Galliarum res apud Federatos
Ordines agenti.

BRasette cujus ore fatur Gallia,
Et Federatos sæpe compellat Patres,
Brasette, cujus ore gaudet lectuli
Consors, remotis Federatis Patribus;
Brasette, nuper qui benignis auribus
Vatem jocantem pertulisti longius;
Vis nos amicis inseri tandem tuis?
Vis Celta Belgam sanctius jungi tibi?
Et pectus hocce nescium fraudis malæ
Tuis, Brasette, abscondier præcordiis?
Fac Gallicismis sæpe perfruar tuis,
Fac dulcibus me sæpe pascier favis,
Et quo disertas melle condis litteras.
Hic una nobis Socratem & Democritum
Pagella monstrat, una Tullium & Numam
Refert tabella, ridet & frontem implicat,
Suumque prudens dulce miscet utili.
Hic fata regum Principumque edisseris,
Momenta belli, grandis imperî vices,
Quid Allobrox, quid moliatur Cantaber,
Quid Lotharingus, quanta promittat vafer
Et lentus Ister. nec minus mei memor,
Mittis salutem meque sospitem cupis
Vacare Musis purpura, palatiis.
Brasette, quanto munere obstringis tibi
Vilis Camœnæ & pauperis Phœbi hospitem.
Qui purpuratis, prodigus decentiæ,
Qui te inficetus nescit uti parcius.
Ignosce & illud crede; morbus est mihi,
Tacere de te. rumpimur silentio.

In Clarissimi viri ARNOLDI VINNII Iurisp. Professoris Commentarium ad Instituta.

IAm crimen Orbi luridos sui vultus,
Scelerumque formas gentibus renascentes,
Propaginemque ostenderat tot errorum:
Scenam Thyestes fecerat, Pelops torva
Et trux Orestes fronte parricidarum
Agmen trahebat, barbarusque in orchestra
Spectatus Atreus, impias fatebatur
Mensas parari; adulter ibat Ægysthus,
Iugulum petebat conjugis Clytemnestra,
Furto Prometheus cœlites profanabat;
Plutonis atri regiam Thyanaus
Ducebat Orco, Tulliaque carpentis
Patrium cadaver, Sole teste, calcabant.
Laxata Ditis atria & fores quicquid
Abominandum, barbarum, execrandumque,
Ferale, dirum, suaserant malæ menti:
Cum nata lex est, improbosque regnantum
Voces severæ & horridi tribunalis
Edicta pœnis terruere peccantes.
Tunc Rex timeri cœpit, & bonus Princeps,
Vt regna vallis, sic proterviam jussis
Scelusque quodvis sanctitate constrinxit.
Chaldæus alti interpretem Dei primus
Ægyptiusque audivit, hinc Mages Persæ,
Scytha Zamolxin. Indus à Sophistarum
Tabulis pependit. horruit suum Pœnus
Exlex Charondam, mox Decemviros Roma,
Locri Zaleucum. porticus Athenarum
Rabiem Solonis & cruore liventes

Timuere

Timuere chartas. Tunc catasta, furcaque,
Numella, compes instit ere raptori,
Et parricida culeus, cruces servis
Virgaque viles. huic labor metallorum,
Huic bestiarum bella & impares pugnæ,
Aut frons inusta rectiora persuasit.
Æqui magister & modestiæ doctor
Carcer fuere carnifexque. tunc enses
Astræa virgo vindices ministravit
Deditque sceptris. jamque jura creverunt,
Paribusque lex & culpa passibus visa est
Gradi per urbes. quoque proruit noxa,
Nemesis secuta est, nec malos reformidans
Lictor prehendit. cura Cæsari duplex
Evenit, una juris, una Mavortis,
Vna hosti hosti & una perdito civi.
Et jam volumen adspicit Themis grande,
Illustre regnis, imperantium normam,
Vitæ magistram, præviam facem rostris,
Gravem Cethegis, arbitram mali moris,
Causæque jam nunc judicem vacillantis,
Causæque jam mox judicem triumphantis,
Scholarum arenam, & dives horreum recti.
Hic docte Vinni, quidquid est tenebrarum,
Informe quidquid, discutis novus Titan.
Hic sensa scriptor pandis Imperatorum,
Subselliisque Iudicum diem reddis,
Et qua profaris, Bartholisque Baldisque,
Accursiisque Azonibusque sic munis,
Vt hunc vetustas tota muniat librum,
Tutumque vero livor unus horrescat.
Immixta passim barbaræ potestatis
Seclique verba, pulcrius Latinorum
Cultu renident & scholis Batavorum
Per te Quiritum purius sonant voces.
Hic multa liber discit & simul verna,

 Liber-

Libertus, & qui tutor additur cunis,
Curator annis; qui peculii rector
Sui vocatur, improbusque possessor.
Commune quid sit propriumque, decidis;
Quousque ripa commodis meis crescat;
Quando negentur. quæ profana, quid sacrum;
Quod jus ab ipso fas receperit cœlo,
Quod Gentium, vel quod sit arbitri nostri.
Quo teste tester mortuusque decedam
Hærede rerum, quis futurus ex asse.
Quæ vincla stringant quæque conjuges solvant.
Quod jus ementis, quale mutui pactum,
Et commodati; quanta fœnoris labes,
Quis non ferendæ limes obstet usuræ.
Vitæ theatrum pervagaris humanæ,
Mortalitatis studia, facta, conatus,
Et discrepantis mille formulas justi,
Consulta Patrum, scita plebis & quicquid
Prætura sanxit vel rigor Tribunorum,
Salusque populi summa. intervenit cunctis
Censura dictis eruditior Vinni,
Et omne rerum ponderat sagax punctum,
Ac literatæ prælegit juventuti.
O Iaris almi Phosphore, ô gravis sanctæ
Themidos sacerdos, vindica reis causam,
Decus Lycæo, gloriam tribunali.
Iam vindicasti. cerne, cælitus chartis
Subscribit istis dextra grandis Astrææ.

Ad
Nobilifs. Clarifsimumque virum
D. IOHANNEM FORESTVM
Curiæ fupremæ Senatorem, cum Epigrammata mea in Incendium Templi Amftelodamenfis Hagæ ipfi conviva offerrem.

HÆ funt Amftelia flagrantes ade favilla,
Sic facer Aonio ferbuit igne focus.
Accendit fax ifta facem, Vulcania Phœbūm,
Et dum templa, piis vatibus arfit apex.
Magne vir & gentis decus immortale Forefta,
Nuper amicitia fax rediviva mea,
Cui fummos regina Themis conceffit honores,
Seque cupit tanto vindice diva coli :
Hos lege funeftos populis mercantibus ignes,
Signaque ab irato Numine mæfta cape.
Non tamen irati funt hac documenta poëta,
Sed potius luctus publica figna mei.
Quem fi non ratio, jam mox, te prafide menfa,
Difcutiet primo vefpere cana brevis.

IN
BAMÆSTRAM,
quondam Lacum.

BAmæftra, queis te laudibus veham cælo?
Beata tellus, jugerifque fecunda,
Et ordinatis in tuum decus pratis.
Cum fluctus effes Najadumque pifcofis
Habitata tectis navitam fatigares,
Precii minoris unda navigabaris,

Iam

Iam puppium expers & lacus procellosi
Exuta nomen, terra dives excellis,
Terrestriumque facta Numinum sedes
Preciosa, Belgi principes prais terras.
Quodcunque mundi est, quicquid est soli passim,
Creantis illud dextera labor fecit.
Te condidit vis grandis artis humana,
Et prapotentis fossor amulus cæli.
Mutatus in te vultus, & domus Fauni
Pulchrè patescis horreisque ditescis
Tumultuosum nuper atrium Nerei.
Pro puppe plaustrum est, pisciumque per regna
Bos mugit & lac dant inutiles unda.
Ceresque Tethyn pellit & Pales Nymphas.
Tibi jura scribit Riccius, tuos Ossi
Pernox ruentes munit aggeres cura.
Mercator illic portiunculam sortis
Demens profundit aut quadruplicat prudens.
Hic feriantes suavius canunt Musa,
Vrbs rusticatur, convalescit afflictus,
Abest Machaon pharmaci pater tristis,
Adest amator Phyllidis sua Thyrsis,
Silet advocatus litiumque nutritor,
Fessus cruentam miles abluit sicam,
Sacer severam doctor explicat frontem.
Omnesque, quotquot atterunt dies nostros,
Iniquiores exulant procul cura.

C. BAR-

C. BARLÆI
POEMATVM
MISCELLANEORVM
LIB. SECVNDVS.
EPIGRAMMATA.

Vrbium præcipuarum

HOLLANDIÆ

ENCOMIA.

DORDRECHTVM.

A Me Battavicus suffragia prima Senatus,
Consiliisque petit provida verba suis.
Quondam mersa mari mediis emergere nitor
Fluctibus, & siccos Vesta reducit agros.
Neptunus cedit Cereri, fluitantia Fauno
Numina, & æquoreus fit minor usque Deus.
Merva meis miscetur aquis: hoc Linga profundo
Labitur, & Vahalis flumina Mosa bibit.
Huc Tungri merces, & ferri munera mittunt,
Et Nemetes plenis mustea vina cadis.
Pomifer Autumnus mediam transmigrat in urbem,
Vastaque Eburonum marmora cæsa jugis.
Quisque suas largitur opes, & dona ministrans
Distrahit imperio munera tanta meo.
Virgo vocor, quondam furiis illæsa Brabantum.
Solaque libertas mœnibus hisce stetit.
Tunc Batavas inter vigui non victa sorores,
Vnaque dum mansi libera, prima loquor.

HARLEMVM.

VIcta Pharos, fractique obices, & vincula Nili,
Et Pelusiaco littore fixa ratis,
Serratique mihi recitant encomia dentes,
Et procul externo sidere surgit honos.

Invidet

Invidet excusas populosa Moguntia Musas,
Quodque meum est, laudis jactitat esse sua.
In me alium solers Batavus miratur Apellem,
Pictaque Parrhasia subdola vela manu.
Inventis arguta meis accedit Arachne,
Dadaleoque suum poll:ce texit opus.
Arma Toletani sensi crudelia Martis,
Incubuitque meis civibus atra fames.
Nec satis est pugnasse viros. his mascula portis
Pro patria mulier stat cataphracta suâ.
At frustra me Delpha juvas. sum præda Philippo.
Barbaricus victa miles in urbe furit.
Hæc didici, voluique pati. nunc adspicis hospes
Tempora fortunæ prosperiora meæ.
Hîc mihi viciná Nereus admurmurat undâ,
Et propiùs colles tollit arena suos.
Illic umbrosis se condit Delia lucis,
Explicat & latas arbor opaca comas.
Divisam me Spara secat, qui laxior undis
Fit lacus, & vastis luxuriatur aquis.
Arridet Natura foris. sed doctior in me
Æmula Naturæ crebra reperta manus.

DELPHI
in Batavis.

Non ego fatidicis oracula suggero Delphis:
Aut mea falsiloquus mœnia Phœbus habet.
Ætherei responsa patris do civibus, & me
Relligio, Grajum non beat iste furor.
Infelix rapidis flagravi tota favillis,
Cum rogus, & simplex nil nisi flamma forem.
Condiderat tantos secura oblivio casus,
Cum patriæ media concidit urbe pater.
Quid rides Hispane? tui quoque nominis umbram
Cernimus, atque ista cæde Philippe cadis.

Venales animas in mortem insontis acerbas,
Venditur at precio regia fama suo.
Nunc tu Belga duos uno sub marmore Martes
Adspice, Nassoviæ nomina magna domus,
Mauritium Patremque Duces: hæc numina sensit,
Et tutelares terra Batava Deos.
Sed magis Henricum fuerit genuisse. quid horres
Cantaber? en patrii funeris ultor adest.

LVGDVNVM.

CRevit ab Ausoniis olim mihi fama triumphis,
Et victrix de me præmia Roma tulit.
Reddidit ereptos fugiens Hispanus honores,
Dum pro me totus militat Oceanus.
In me terra famem, querulos discordia cives,
Et falces acuit mors furibunda suas.
Vix nocuit securus Iber. quas struxerat arces,
Deserit, & pavidos excipit unda pedes.
Dum patria pars magna perit, conservor ab illa;
Totaque ne pereat, sic periisse cupit.
Nunc mihi Apollineos meruit sors ista recessus,
Martiaque imbellis mœnia Phœbus habet.
Præ lituis pax alma placet: præ milite Pallas,
Linguaque Romanos apta referre modos.
Sit bellum sensisse satis. jam prælia dicto,
Et mea facundis vocibus arma lego.
At mihi plus debet Pietas: dum pellitur exul
Flandria, & hoc gaudet vivere tuta sinu.
Hospitium cum dem profugis, atque otia Musis,
Vis dici doctam me magis, anne piam?

AMSTE-

AMSTELODAMVM.

Vrbs spaciosa, potens opibus, tectisque superba,
Viribus invidiam, crimina lege domat.
Civibus aucta novis, nunquam stat finibus iisdem,
Latius expansis mœnibus hospes abit.
Invertas, fit tota nemus. quo condita fundo est,
Nuper Hyperboreo pinus in orbe fuit.
Quicquid mortalis fingit solertia cura,
Vel natura suo parturit alma sinu,
Illa dabit, totoque parans commercia mundo
Nunc emere, & totam vendere semet amat.
Has adfert, has trudit opes. sic lucra parantur.
Quid valeat fraus, sors, ars, mare, terra, docet.
Moschus, Arabs, Persa, Maurus, Iudæus, uterque
Quod ferat huc, rursusque auferat, Indus habet.
Hanc dum mundus adit, mundumq; hæc ipsa pererrat,
Non urbs fixa loco, sed vagus orbis erit.

GOVDA.

Isala si cedat Vahali, Rhenusque bicornis
Hæc quoque nata suis flumina jactet aquis:
Attamen hunc tectis exornat Gouda superbis,
Læta situ, studiis æmula, clara viris.
Hinc natura ferax, illinc concordia cives
Nec sinit aut inopes, aut nocuisse malos.
Templa parat spatiosa Deo: nec quilibet illi
Horrendi culpam criminis error habet.
Bella premant alias, hæc est securior, urbes,
Nec placidos turbant tympana rauca lares.
Exulat Odrysius, litui, Bellona, triumphi:
Hæc mansueta piæ gaudia pacis amat.

ROT-

ROTTERODAMVM.

INclyta veliferus pulsat mea mœnia Mosa,
Parte aliâ placidis Rottera lambit aquis.
Occiduum late commercia porto per orbem,
Gallia quas poscit, quasque Britannus opes.
Hic meus Ausonii vindex sermonis Erasmus
Vagiit, & cunis abdidit ora suis.
Mæoniden jactet Colophon, Verona Catullum,
Sufficit ad laudes hunc genuisse meas.
Nunc tantum fragili veneror sub marmore numen,
Dum silet in medio lingua diserta foro.
Quem genui, Basilea tegit, Sapientia fatis
Eximit, & cineri vult superesse suo.
Me timet Hispanus, timuit grex barbarus ipsum:
Ille meis victus classibus, hic calamo.

GORICHEMVM.

ADspicit invictis hanc cinctam mœnibus urbem,
Quem Vahalis, vel quem flumine Linga vehis.
Adspicit Hesperiis quæ propugnacula bellis:
Quam fremat excussis machina crebra pilis.
Adspicit adverso quantum se opponat Ibero,
Invigiletque suis Martia dextra focis.
Sic didicit bellare sibi. nec milite solum
Tuta, sed ipsa suis civibus esse cupit.
Erkeliis quondam submisit sceptra Dynastis:
Hæc quoque jam damnans nomina, tota sua est.
Cur toties Batavum depingis Belga leonem?
Qui patriam custos asserit, iste leo est.

BRIELA.

ADspice vicinam nostro de littore Tethyn,
Hic ubi Mosa suis laxior exit aquis.
Briela vocor, fessis statio secura carinis,
Nunc quoque Vorniaci gloria prima soli.
Najades hinc, illinc agrestia numina Fauni,
Et fecunda meos spectat Eleusis agros.
Albano surrepta Duci crudelia sprevi
Imperia, & fasces Batica terra tuos.
Aprilis lætas fastis inscribe Calendas
Belga, nec hoc optes non superasse die.
Scilicet illa dies, qua me vicere Batavi,
Vlterius vinci noluit Auriacum.

ALCMARIA.

TOta paludosis Alcmaria surgit in undis,
Pulchraque, Veronâ depereunte, nitet.
Ne Latium præfer Bajas, aut Thessala Tempe
Græcia, vel campos Brixia terra tuos.
Proxima Nereidum spumantes adspicit undas,
Proximaque umbrosas spectat Hamadryadas.
Serica Sidoniis decurrant stamina portis,
Hic lassant Batavas linea fila manus.
Quaque tegant nudos velamina sufficit artus,
Et memores primi nos cupit esse mali.
Hesperios sprevit bellis infracta furores,
Baticaque affusis castra fugavit aquis.
Pugnavere viri. sed & hic (spectastis Iberi)
Femina pugnanti porrigit arma viro.

HORNA.

Fortia, cantatus quondam, mea mœnia Flevus
Alluit, & portus verberat unda meos.
Æmula me vultu spectas Enchusa sinistro,
Et causam litis me cupis esse tua.
Accipe placatas æterno fœdere dextras,
Dum pereat junctis viribus hostis Iber.
En tecum commune salum, commune profundum
Navigo, & in mediis pabula sector aquis.
Iam mea Cimbrorum redimunt commercia terras,
Fœtaque Gotthorum carbasa portus habet.
Nunc onerat nostras pelagi captura carinas,
Terrenosque fovet præda marina Deos.
Me ferit, & lædit: me servat ab hostibus æquor.
Sic servastis aqua, sic nocuistis aqua.

ENCHVSA.

Recta frequensque domus nomen mihi fecit & urbem,
Primaque contemptæ tecta dedere casæ.
Navita me jactat pelago, mea rura colonus
Laudat, & hinc terra claudimur, inde mari.
Abscidit adversas à nostro littore gentes;
Et Frisios mediis dividit æstus aquis.
Albani sprevi furias, nec victa tyranno
Oceani proles intemerata steti.
Pandit vasta meis Neptunus regna carinis,
Et procul à patria sedibus exul eo.
Quæro foris, quæ parca domi natura negavit,
Quæque domi tribuit plurima, porto foras.
Belga tuos mirare Deos. dum munera mundo
Dividis, ex alio sidere plura refers.

GER-

GERTRVDIS MONS.

NEscio, num claris Brabantûm debear oris,
An me Battavici vindicet ora soli.
Quicquid erit, nostris sociavimus ora Batavis,
Nec procul à Mervæ belligeramus aquis.
Vendita sum sceleris precium: sed victa triumphi.
Quam distant meritis victor, & emtor Iber?
Magna suum quondam me dixit femina montem,
Nunc Martis potius Mons & arena vocer.

HAGA.

SEdes prisca Ducum, non urbs, tamen urbibus ipsa
Ma·or, & à Batavo principe nomen habens:
Sto Tethyn Faunumque inter. latus inde procellis,
Parte alia umbrosum robore cincta latus.
Hîc Themis, & sacras loquitur Prudentia leges,
Et trepidos insons excipit aula reos.
Hîc edicta Patrum, & magni decreta Senatus
Colligit, & patriæ prospicit una suæ.
Auriacusque meis accedens laudibus heros,
Altius augustum tollit ad astra caput.
Quas aquilas, quæ signa vides, vexilla, triumphos,
Hæc sunt Nassovia parta trophæa manu.
Cum sociæ pugnant urbes, pugnantibus adsum:
Et partem pugnæ, consuluisse, puto.

In militum ducem peculatus reum, & nobilium insignibus elatum.

QVi patrios ficto defendit milite vallos,
Publicaque infami diruit æra manu:
F cta suis moriens promittit stemmata bustis
Postque obitum vana nobilitate tumet.

S *Scilicet,*

Scilicet, ut scurræ furtum jam clarius esset,
Efferri claro funere scurra cupit.

In eundem lue Venerea extinctum.

QVi Batavum potuit bellator fallere Martem,
Et titulis simulat nobile stemma suis,
Iustior una Venus mutilatum corpore toto
Stravit, & ulterius noluit esse virum.
Ficta Deo, non ficta Deæ sacraverat arma,
Dumque nocet geminis, disperiit geminis.
Vlta fuit belli scelus officiosa cupido.
Debuit hoc Marti Cypris amica suo.

In amatorem superciliosum.

ACcedis Batavas, mi Bartholomae, puellas,
Et tamen hoc audes dicere : Nulla placet.
Accedis Frisias, mi Bartholomae, puellas,
Pergis & hoc iterum dicere : Nulla placet.
Accedis Valachras, mi Bartholomae, puellas,
Pergis & hic eadem dicere : Nulla placet.
Nec tibi Brabantæ possunt placuisse puellæ,
Flandrica nulla tibi, Geldrica nulla tibi.
Virgine sic nullâ, mi Bartholomae, potiris.
Vis causam ? nulli tu placuisse potes.

In infelicem cuniculorum Venationem.

QVantus in æquoreis gradiar venator arenis,
Quà steriles longè semita sulcat agros,
Dicite Hamadryades : vester nam terror habebar,
Terribilis famulis, terribilis canibus.
Dicite crudeli toleratos sole calores,
Funereamque mihi dicite penè sitim,

Pocula

Pocula cum ſiccæ peterent Acheloïa fauces,
Et tamen hæc eadem pocla negaret ager.
Dicite mille feras, veſtigia mille ferarum,
Et quæ mille ſuis vidimus antra locis.
Dicite quæſitam magno molimine prædam,
Dicite decurſæ jugera multa viæ.
Omnia Hamadryades cum dicitis, iſta ſilete:
Nulla quod in toto ſit fera capta die.

In Taurum hoſpitem.

TAure pater, tecum tecto cur claudor in uno?
An quia vis mores me didiciſſe tuos?
Ah didici: multaque pater jam prole ſalutor:
Tempus erit mores dedidiciſſe tuos.

Ad GERARDVM THIBAVTIVM, artis gladiatoriæ Principem.

PYthius à citharâ, laudatur ab ægide Pallas,
Claruit ob pharetras Delia, Caſtor equos.
Ceſtibus eminuit Pollux, Mars belliger haſta.
Clarus Olympiacis eſt Lycus in ſtadiis.
Eſt celebris temone Pelops, peltiſque Camilla,
Arcu Phillyrides, curſibus Hippomenes.
Armat dente minax Neptunum fuſcina, clava
Amphitryoniadem, fulmina ſæva Iovem.
Laus ſua cuique hominum, ſit laus ſua cuique Deorum;
Laus tua, Thibauti, doctior enſis erit.

Iam puppium expers & lacus procellosi
Exuta nomen, terra dives excellis,
Terrestriumque facta Numinum sedes
Preciosa, Belgi principes prais terras.
Quodcunque mundi est, quicquid est soli passim,
Creantis illud dextera labor fecit.
Te condidit vis grandis artis humanæ,
Et præpotentis fossor æmulus cœli.
Mutatus in te vultus, & domus Fauni
Pulchrè patescis horreisque ditescis
Tumultuosum nuper atrium Nerei.
Pro puppe plaustrum est, pisciumque per regna
Bos mugit & lac dant inutiles undæ.
Cereſque Tethyn pellit & Pales Nymphas.
Tibi jura scribit Riccius, tuos Ossi
Pernox ruentes munit aggeres cura.
Mercator illic portiunculam sortis
Demens profundit aut quadruplicat prudens.
Hic feriantes suavius canunt Musæ,
Vrbs rusticatur, convalescit afflictus,
Abest Machaon pharmaci pater tristis,
Adest amator Phyllidis suæ Thyrsis,
Silet advocatus litiumque nutritor,
Fessus cruentam miles abluit sicam,
Sacer severam doctor explicat frontem.
Omneſque, quotquot atterunt dies nostros,
Iniquiores exulant procul curæ.

C. BARLÆI
POEMATVM
MISCELLANEORVM
LIB. SECVNDVS.
EPIGRAMMATA.

Vrbium præcipuarum

HOLLANDIÆ

ENCOMIA.

DORDRECHTVM.

A Me Battavicus suffragia prima Senatus,
Consiliisque petit provida verba suis.
Quondam mersa mari mediis emergere vitor
Fluctibus, & siccos Vesta reducit agros.
Neptunus cedit Cereri, fluitantia Fauno
Numina, & aquoreus fit minor usque Deus.
Merva meis miscetur aquis: hoc Linga profundo
Labitur, & Vahalis flumina Mosa bibit.
Huc Tungri merces, & ferri munera mittunt,
Et Nemetes plenis mustea vina cadis.
Pomifer Autumnus mediam transmigrat in urbem,
Vastaque Eburonum marmora casa jugis.
Quisque suas largitur opes, & dona ministrans
Distrahit imperio munera tanta meo.
Virgo vocor, quondam furiis illæsa Brabantum.
Solaque libertas mœnibus hisce stetit.
Tunc Batavas inter vigui non victa sorores,
Vnaque dum mansi libera, prima loquor.

HARLEMVM.

VIcta Pharos, fractique obices, & vincula Nili,
Et Pelusiaco littore fixa ratis,
Serratique mihi recitant encomia dentes,
Et procul externo sidere surgit honos.

Invidet

Invidet excusas populosa Moguntia Musas,
Quodque meum est, laudis jactitat esse sua.
In me alium solers Batavus miratur Apellem,
Pictaque Parrhasia subdola vela manu.
Inventis arguta meis accedit Arachne,
Dædaleoque suum pollice texit opus.
Arma Toletani sensi crudelia Martis,
Incubuitque meis civibus atra fames.
Nec satis est pugnasse viros. his mascula portis
Pro patria mulier stat cataphracta suâ.
At frustra me Delpha juvas. sum præda Philippo.
Barbaricus victa miles in urbe furit.
Hæc didici, voluique pati. nunc adspicis hospes
Tempora fortunæ prosperiora meæ.
Hic mihi vicinâ Nereus admurmurat undâ,
Et propiùs colles tollit arena suos.
Illic umbrosis se condit Delia lucis,
Explicat & latas arbor opaca comas.
Divisam me Spara secat, qui laxior undis
Fit lacus, & vastis luxuriatur aquis.
Arridet Natura foris. sed doctior in me
Æmula Naturæ crebra reperta manus.

DELPHI
in Batavis.

NOn ego fatidicis oracula suggero Delphis:
Aut mea falsiloquus mœnia Phœbus habet.
Ætherei responsa patris do civibus, & me
Relligio, Grajum non beat iste furor.
Infelix rapidis flagravi tota favillis,
Cum rogus, & simplex nil nisi flamma forem.
Condiderat tantos secura oblivio casus,
Cum patriæ media concidit urbe pater.
Quid rides Hispane? tui quoque nominis umbram
Cernimus, atque ista cæde Philippe cadis.

Venales

Venales animas in mortem insontis acerbas,
Venditur at precio regia fama suo.
Nunc tu Belga duos uno sub marmore Martes
Adspice, Nassoviæ nomina magna domus,
Mauritium Patremque Duces: hæc numina sensit,
Et tutelares terra Batava Deos.
Sed magis Henricum fuerit genuisse. quid horres
Cantaber? en patrii funeris ultor adest.

LVGDVNVM.

Crevit ab Ausoniis olim mihi fama triumphis,
Et victrix de me præmia Roma tulit.
Reddidit ereptos fugiens Hispanus honores,
Dum pro me totus militat Oceanus.
In me terra famem, querulos discordia cives,
Et falces acuit mors furibunda suas.
Vix nocuit securus Iber. quas struxerat arces,
Deserit, & pavidos excipit unda pedes.
Dum patriæ pars magna perit, conservor ab illa;
Totaque ne pereat, sic periisse cupit.
Nunc mihi Apollineos meruit sors ista recessus,
Martiaque imbellis mœnia Phœbus habet.
Præ lituis pax alma placet: præ milite Pallas,
Linguaque Romanos apta referre modos.
Sit bellum sensisse satis. jam prælia dicto,
Et mea facundis vocibus arma lego.
At mihi plus debet Pietas: dum pellitur exul
Flandria, & hoc gaudet vivere tuta sinu.
Hospitium cum dem profugis, atque otia Musis,
Vis dici doctam me magis, anne piam?

AMSTE-

AMSTELODAMVM.

VRbs ſpacioſa, potens opibus, tectiſque ſuperba,
Viribus invidiam, crimina lege domat.
Civibus aucta novis, nunquam ſtat finibus iiſ-
Latius expanſis mœnibus hoſpes abit. (dem,
Invertas, fit tota nemus. quo condita fundo eſt,
Nuper Hyperboreo pinus in orbe fuit.
Quicquid mortalis fingit ſolertia cura,
Vel natura ſuo parturit alma ſinu,
Illa dabit, totoque parans commercia mundo
Nunc emere, & totam vendere ſemet amat.
Has adfert, has trudit opes. ſic lucra parantur.
Quid valeat fraus, ſors, ars, mare, terra; docet.
Moſchus, Arabs, Perſa, Maurus, Iudæus, uterque
Quod ferat huc, rurſuſque auferat, Indus habet.
Hanc dum mundus adit, mundumq; hæc ipſa pererrat,
Non urbs fixa loco, ſed vagus orbis erit.

GOVDA.

ISala ſi cedat Vahali, Rhenuſque bicornis
Hæc quoque nata ſuis flumina jactet aquis:
Attamen hunc tectis exornat Gouda ſuperbis,
Læta ſitu, ſtudiis æmula, clara viris.
Hinc natura ferax, illinc concordia cives
Nec ſinit aut inopes, aut nocuiſſe malos.
Templa parat ſpatioſa Deo: nec quilibet illi
Horrendi culpam criminis error habet.
Bella premant alias, hæc eſt ſecurior, urbes,
Nec placidos turbant tympana rauca lares.
Exulat Odryſius, litui, Bellona, triumphi:
Hæc manſueta piæ gaudia pacis amat.

ROT-

ROTTERODAMVM.

INclyta veliferus pulsat mea mœnia Mosa,
Parte aliâ placidis Rottera lambit aquis.
Occiduum late commercia porto per orbem,
Gallia quas poscit, quasque Britannus opes.
Hic meus Ausonii vindex sermonis Erasmus
Vagiit, & cunis abdidit ora suis.
Mæoniden jactet Colophon, Verona Catullum,
Sufficit ad laudes hunc genuisse meas.
Nunc tantum fragili veneror sub marmore numen,
Dum silet in medio lingua diserta foro.
Quem genui, Basilea tegit, Sapientia fatis
Eximit, & cineri vult superesse suo.
Me timet Hispanus, timuit grex barbarus ipsum:
Ille meis victus classibus, hic calamo.

GORICHEMVM.

ADspicit invictis hanc cinctam mœnibus urbem,
Quem Vahalis, vel quem flumine Linga vehis.
Adspicit Hesperiis quæ propugnacula bellis:
Quam fremat excussis machina crebra pilis.
Adspicit adverso quantum se opponat Ibero,
Invigiletque suis Martia dextra focis.
Sic didicit bellare sibi. nec milite solum
Tuta, sed ipsa suis civibus esse cupit.
Erkeliis quondam submisit sceptra Dynastis:
Hæc quoque jam damnans nomina, tota sua est.
Cur toties Batavum depingis Belga leonem?
Qui patriam custos asserit, iste leo est.

BRIE-

BRIELA.

ADspice vicinam nostro de littore Tethyn,
Hic ubi Mosa suis laxior exit aquis.
Briela vocor, fessis statio secura carinis,
Nunc quoque Vorniaci gloria prima soli.
Najades hinc, illinc agrestia numina Fauni,
Et secunda meos spectat Eleusis agros.
Albano surrepta Duci crudelia sprevi
Imperia, & fasces Batica terra tuos.
Aprilis latas fastis inscribe Calendas
Belga, nec hoc optes non superasse die.
Scilicet illa dies, qua me vicere Batavi,
Vlterius vinci noluit Auriacum.

ALCMARIA.

TOta paludosis Alcmaria surgit in undis,
Pulchraque, Veronâ depereunte, nitet.
Ne Latium præfer Bajas, aut Thessala Tempe
Græcia, vel campos Brixia terra tuos.
Proxima Nereidum spumantes adspicit undas,
Proximaque umbrosas spectat Hamadryadas.
Serica Sidoniis decurrant stamina portis,
Hic lassant Batavas linea fila manus.
Quæque tegant nudos velamina sufficit artus,
Et memores primi nos cupit esse mali.
Hesperios sprevit bellis infracta furores,
Baticaque affusis castra fugavit aquis.
Pugnavere viri. sed & hic (spectastis Iberi)
Femina pugnanti porrigit arma viro.

HORNA.

HORNA.

Fortia, cantatus quondam, mea mœnia Flevus
Alluit, & portus verberat unda meos.
Æmula me vultu spectas Enchusa sinistro,
Et causam litis me cupis esse tuæ.
Accipe placatas æterno sedere dextras,
Dum pereat junctis viribus hostis Iber.
En tecum commune salum, commune profundum
Navigo, & in mediis pabula sector aquis.
Iam mea Cimbrorum redimunt commercia terræ,
Fœtaque Gotthorum carbasa portus habet.
Nunc onerat nostras pelagi captura carinas,
Terrenosque fovet præda marina Deos.
Me ferit, & lædit: me servat ab hostibus æquor.
Sic servastis aquæ, sic nocuistis aquæ.

ENCHVSA.

Arcta frequensque domus nomen mihi fecit & urbem,
Primaque contempta tecta dedere casæ.
Navita me jactat pelago, mea rura colonus
Laudat, & hinc terra claudimur, inde mari.
Abscidit adversas à nostro littore gentes;
Et Frisios mediis dividit æstus aquis.
Albani sprevi furias, nec victa tyranno
Oceani proles intemerata steti.
Pandit vasta meis Neptunus regna carinis,
Et procul à patriæ sedibus exul eo.
Quæro foris, quæ parca domi natura negavit,
Quæque domi tribuit plurima, porto foras.
Belga tuos mirare Deos. dum munera mundo
Dividis, ex alio sidere plura refers.

GER-

GERTRVDIS MONS.

NEscio, num claris Brabantûm debear oris,
An me Battavici vindicet ora soli.
Quicquid erit, nostris sociavimus ora Batavis,
Nec procul à Mervæ belligeramus aquis.
Vendita sum sceleris precium : sed victa triumphi.
Quam distant meritis victor, & emtor Iber ?
Magna suum quondam me dixit femina montem,
Nunc Martis potius Mons & arena vocer.

HAGA.

SEdes prisca Ducum, non urbs, tamen urbibus ipsa
Maior, & à Batavo principe nomen habens:
Sto Tethyn Faunumque inter. latus inde procellis,
Parte alia umbrosum robore cincta latus.
Hic Themis, & sacras loquitur Prudentia leges,
Et trepidos insons excipit aula reos.
Hic edicta Patrum, & magni decreta Senatus
Colligit, & patriæ prospicit una suæ.
Auriacusque meis accedens laudibus heros,
Altius augustum tollit ad astra caput.
Quas aquilas, quæ signa vides, vexilla, triumphos,
Hæc sunt Nassovia parta trophæa manu.
Cum sociæ pugnant urbes, pugnantibus adsum:
Et partem pugnæ, consuluisse, puto.

In militum ducem peculatus reum, & nobilium insignibus elatum.

QVi patrios ficto defendit milite vallos,
Publicaque infami diruit æra manu:
Facta suis moriens promittit stemmata bustis
Postque obitum vana nobilitate tumet.

Scilicet, ut scurræ furtum jam clarius esset,
Efferri claro funere scurra cupit.

In eundem lue Venerea extinctum.

QVi Batavum potuit bellator fallere Martem,
Et titulis simulat nobile stemma suis,
Iustior una Venus mutilatum corpore toto
Stravit, & ulterius noluit esse virum.
Ficta Deo, non ficta Deæ sacraverat arma,
Dumque nocet geminis, disperiit geminis.
Vlta fuit belli scelus officiosa cupido.
Debuit hoc Marti Cypris amica suo.

In amatorem superciliosum.

ACcedis Batavas, mi Bartholomae, puellas,
Et tamen hoc audes dicere : Nulla placet.
Accedis Frisias, mi Bartholomae, puellas,
Pergis & hoc iterum dicere : Nulla placet.
Accedis Valachras, mi Bartholomae, puellas,
Pergis & hic eadem dicere : Nulla placet.
Nec tibi Brabanta possunt placuisse puellæ,
Flandrica nulla tibi, Geldrica nulla tibi.
Virgine sic nullâ, mi Bartholomae, potiris.
Vis causam ? nulli tu placuisse potes.

In infelicem cuniculorum Venationem.

QVantus in æquoreis gradiar venator arenis,
Quà steriles longè semita sulcat agros,
Dicite Hamadryades : vester nam terror habebar,
Terribilis famulis, terribilis canibus.
Dicite crudeli toleratos sole calores,
Funereamque mihi dicite penè sitim,

Pocula

Pocula cum ſicca peterent Acheloïa fauces,
Et tamen hæc eadem pocla negaret ager.
Dicite mille feras, veſtigia mille ferarum,
Et quæ mille ſuis vidimus antra locis.
Dicite quæſitam magno molimine prædam,
Dicite decurſa jugera multa via.
Omnia Hamadryades cum dicitis, iſta ſilete:
Nulla quod in toto ſit fera capta die.

In Taurum hoſpitem.

TAure pater, tecum tecto cur claudor in uno?
An quia vis mores me didiciſſe tuos?
Ah didici: multaque pater jam prole ſalutor:
Tempus erit mores dedidiciſſe tuos.

Ad GERARDVM THIBAVTIVM, artis gladiatoriæ Principem.

PYthius à citharâ, laudatur ab ægide Pallas,
Claruit ob pharetras Delia, Caſtor equos.
Ceſtibus eminuit Pollux, Mars belliger haſta.
Clarus Olympiacis eſt Lycus in ſtadiis.
Eſt celebris temone Pelops, peltiſque Camilla,
Arcu Phillyrides, curſibus Hippomenes.
Armat dente minax Neptunum fuſcina, clava
Amphitryoniadem, fulmina ſæva Iovem.
Laus ſua cuique hominum, ſit laus ſua cuique Deorum;
Laus tua, Thibauti, doctior enſis erit.

In eundem.

SÆpius immerito solvi sestertia nautæ,
Dum mihi crebra tua littera scripta manu est.
Ne numerem posthac nautæ, sic, Aule, paciscar:
Vt taceas, cupio plus numerare tibi.

D. M. OLDISWORTHO,

Illustriss. Penbrociæ Comiti
à Secretis.

LAurea grandiloquum cinxerunt serta Maronem,
Inque tuis lusit laurea, Naso, comis.
Vilis honoratum redimivit laurea Flaccum.
Non aliud precium (crede) Catullus habet.
Laurea mellito gracilis decreta Melisso est,
Lauriger Ausonio sub duce Strozza fuit.
Talia cantanti cesserunt dona Secundo,
Talia Lotichii præmia Musa refert.
Laurigerum modulans Auratum Sequana vidit,
Cum folia & frondes munera vatis erant.
Oldisworthe, meæ melior fortuna Camœnæ est:
Circundant humeros aurea serta meos.
Errarunt veteres, nunc erravere Britanni:
Nobilius precium vilior autor habet.

In Laurentium ædium multarum architectum.

DIruit, ædificat toto Laurentius anno,
Et tamen in tota possidet urbe nihil.
Centum tecta locat, famaq; opulentus habetur,
Quasque suas jactat, debet egenus opes.

At

At postquam frictus celebris cornicula Flacci est,
Risit ob has ipsas ingeniosus opes.
Qua fortuna rapis, non hac mihi surripis, inquit.
Restituus dominis servus illa suis.

In Ponticum.

DEns tibi distorto tam grandis prominet ore,
Vt dentem Arcadici vincere possit apri.
Hoc tu dente voras, hoc ictus dente repellis,
Hoc te terribilem dente puella timet.
Et tamen in dentem quoties convitia torquet
Scopticus, imbellis Pontice, dente cares.

In cœcum, inter equos Valckenburgi ambulantem.

PEr fora magnanimis latè celebrata caballis
Ambulat, & streperis cœcus inerrat agris.
Inter equos graditur, laudatque ferocia colla,
Terribilesque comas, compositumque gradum.
Non oculis opus est ultrà tactuque probari:
Num sint degeneres, olfacit unus equos.

In hominem januæ suæ perpetuò incumbentem.

SEmivir adspiceris populo, nec cerneris ultrà;
Dividit & dominum janua sæva suum.
Nescio num Siren, vel sis Nereia pistrix,
Absumatque tuos integra cauda pedes.
Nescio, num femur, & suras, & prælia talos
Abstulerint; num sis loripes, aut quadrupes.
Nescio num vir sis, num femina; si modò sexum
Corporis è media noscere parte datum.

Forsitan anguineos imitatur tibia flexus,
Cruraque serpentum languida more trahis.
Esse potes Minotaurus, Chironque caballo
Mixtus, & è Lapithûm gente creatus eques.
Esse potes Pan Arcadicus, Faunusque vocari
Semicaper, quin & Cyllarus esse potes.
Pande fores; potero jam tunc cognoscere quid sis.
Aut te, si renuas, suspicor esse Caprum.

In prætorium
PRINCIPIS
FREDERICI HENRICI
quod in agro Delphensi visitur.

SPlendida Romano surgant Capitolia luxu,
Luceat æthereo vertice celsa Pharos.
Ammonii delubra Iovis, Triviaque penates
Afer & Argolicus tollat in astra labor.
Erigat ipsa suas generosa Semiramis arces,
Feminaque exstincto busta superba viro.
Adspectent Siculos Cumana palatia fluctus,
Tectaque Bajano conspicienda sinu.
Ceteraque immenso tumeant prætoria censu;
Ampla satis domino est qualibet aula suo.
Illa capit Circen, magnum capit illa Neronem,
Tectaque Lucullum, vel spatiosa, tenent;
Illa tamen, Frederice, tibi quæ sidera lambit,
Virtuti domus est non satis ampla tuæ.

Ad

Ad Nobiliss. & Mathescos peritissimum Virum,

GODEFR. de HAESTRECHT

volantes aves balista dejicientem.

Dum medium tranant veloces aëra mergi,
Discolor & summis nubibus hæret avis:
Dejicis ærata volitantia corpora glande,
Doctaque suspensum machina sternit onus.
Icarus hoc faciat, vel fultus Dædalus alis;
Nil mirum, pennam penna secuta premit.
Prendat avem Stygiâ Dæmon virtute vel astu;
Rès facilis: nullo corpore sulcat iter.
Tu volucres ima positus tellure reposcis,
Et via, quæ nobis invia, certa tibi est.
Nil tutum Natura tuæ jam subtrahit arti,
Aut proprias usquam provida servat opes.
Omnia rara facis. metiris sidera, terram,
Et victi spoliis ætheris unus ovas.

In effigiem Cl. Viri

PETRI SCRIVERII.

HÆc est Battaviam vatis scribentis imago,
Sic alibi poterit sic placuisse domi.
Ostia cui Rhenus, cui debet Corbulo fossam,
Et dominos dictat Belgica terra suos.
Bilbilicos legimus tali censore lepores,
Et lumen Senecæ grande cothurnus habet.
Tempora qui reddit, nulli sua tempora pendit,
Ingenioque cupit liberiore frui.
Scilicet Aonias gratis qui vindicat artes,
Præmia doctrinæ despicit empta suæ.

ELOGIA
aliquot
POETARVM LATINORVM.

Ennius.

DIc me, Naso, rudem; quamvis tu cultior arte,
Te Scytha, me claudunt marmora Scipiadum.

Plautus.

Cur te Plaute legunt omnes? quia credimur & nunc
Materies cuncti carminis esse tui.

Nævius.

Qui potuit soccum verbis vincire Latinis,
Hunc audes vinclis stringere Roma tuis?

Pacuvius.

Prima cui debent ingentem secula famam,
Ultima ne spernant secula Pacuvium.

Lucilius.

Perstrinxit primus Satyra Lucilius orbem:
Qui scribat Satyras ultimus, ecquis erit?

Lucretius.

Hic Phœbi furiis, furiisque exarsit Orestis.
Quàm præstat solis versiculis furere!

Virgilius.

Non magis augustus potuit sub Cæsare vates,
Nec magis Augusto Cæsare digna loqui.

Ovidius.

Iudice sim quamvis damnatus Cæsare: pœna
Absolvar, causam si modo dicat Amor.

Hora-

Horatius.

Omne vafer vitium ridenti dicis amico.
Sed dicet vitium Lydia sola tuum.

Catullus.

Si cantare Iovem proprios fas esset amores,
Hoc, & non alio posceret ore loqui.

Tibullus.

Cur tibi Sulpiciæ, tibi cur placuere Neæræ
Basia, quem Musæ deperiere novem?

Propertius.

Cynthia te vatem fecit, lascive Properti,
Ingeniumque tibi sola puella dedit.

Lucanus.

Cui minus historicus credor, minus esse poëta,
Me minor est vates, & minor historicus.

Persius.

Martia sub crudo tremeret cum Roma Nerone,
Incœpit crudo Persius ore loqui.

Martialis.

Ne Fescenninum, lector, contemne poëtam:
Nam, quæ non facimus, sit cecinisse parum.

Claudianus.

Te sequimur Phario vates celebrate Canopo:
Solaque laus nostri carminis, umbra tui est.

In Flardingam, Hollandiæ, ut fertur, oppidum antiquissimum.

O Stia quæ veteris spectas celeberrima Mosæ,
Et gemino fissas flumine jungis aquas,
Si Domino, Flardinga, novo, dominaque superbis,
Amsteliosque tibi præficis una Deos:
Hospitio Batavum nunc excepisse poëtam,
Pars fuerit famæ quantulacunque tuæ.
Det leges, det jura novus placidissima rector,
Tantaque non una commoda prole beet:
Advectet pelago quæsitas navita merces,
Et quadruplex narret fabula prisca decus:
Sis sapiens, sis dives opum, sine mœnibus audax,
Primaque Battavico constituare solo:
Addimus his precium titulis, totque inter honores
Laus erit à sero te quoque vate cani.

In obitum Clarissimi viri GILBERTI IACCHÆI, Philosophiæ Professoris celeberrimi.

C Onditur hoc tumulo magni facundia Scoti,
Linguaque, sed posthac non habitura parem.
Immoriturque isto rerum Sapientia busto,
Quosque viri, cineres hos ait esse suos.
Claudit Socraticos tellus Argiva magistros,
Clara Stagiræum Cecropis ora senem.
Ausonio recubat Samius sub littore doctor,
Eoosque tegunt Persica regna patres.
Sunt Druidum Gallis, sunt docta cadavera Nilo,
Et sua Aquinatem terra Bedamque capit,
Atque alibi adverso Cardani Cæsare manes,
Semideosque tenet nobilis urna duos.

Quos omnes, Gilberte, tuo dum pectore clausos
Subtrahis Auriacæ, te moriente, Scholæ:
Illorum pariter tumulos ac busta videmus,
Quæque tuo flagrant prisca Lycea rogo.
Sic dum justa facit Batavus, se flere fatetur
Funera funeribus tot sociata tuis.
Quin fœtus claris rerum doctoribus unus
Dum moreris, cogis secula multa mori.

In ejusdem morbum cum mentis ac linguæ stupore conjunctum.

QVisquis in hoc fragili præclaram corpore mentẽ,
Et velut à magno Numine numen habes:
Ingenio ne fide nimis: facundaque quamvis
Sit tibi, cœlestes vox veneretur opes.
Ætherea mentis non delassata potestas,
Oraque in argutos præcipitata sonos,
Ingenii vigor, & virtus contermina cœlo,
Cuncta simul dominum destituere suum.
Ne fari tam grande putes. ne, noscere verum,
Materies laudis sit speciosa tuæ.
Quod loquimur, sapimusque, Dei est. si jusserit idem,
Ilicet elinguis stultaque turba sumus.

Amplissimo & eruditionis fama illustri Viro HVGONI GROTIO, Cum Hymnum suum in Christum illi transmitteret autor.

CVi prius æquoreis vates demersus in undis
Materies sacri carminis ampla fuit:
Si vacat, ingentis præconia perlege Christi,
Quodque salutiferum jam modulamur opus.

Non hic discordes, vario sub judice, voces,
Aut malè dissuta nomina pacis habes.
Hoc canimus, quodcunque piis commune putamus,
Rixantesque queant asseruisse scholæ.
Non abit in partes mea pagina. dictat Iesum,
Qui potuit mundo conciliasse Deum.
Sustulit has partes, Groti facunde, Redemptor,
Ne faceret partes turba redempta novas.

In cubile Doctoris
STAPELII,
süspensis monstris formidabile.

INter monstra, feras, cœli, terraque, marisque
Tutus inoffensa simplicitate cubo.
Nil nocet innocuo virus, non toxica terrent,
Cui sua præsentem fert medicina manum.
Torqueat in spiras sinuosus corpora serpens,
Fulminet ignivomo pendulus ore draco,
Et Pelusiacis missus crocodilus ab oris
Immineat capiti bellua sæva tuo;
Illa minax acuat dentes, hæc acrior ungues.
Terribilis nulla est, nulla timenda mihi.
Quæ ratio vicisse potest, prudentia spernit.
Nec sua qui domuit crimina, monstra pavet.
Lectule, ne timeas. domino mens conscia recti est.
Illa metus omnes despicit, illa minas.

In Albo eruditissimi adolescentis,
SVFFRIDI SAECKEMA,
Gallias adeuntis.

GAllia, qui juvenis Frisiis tibi mittitur oris,
Vt placeat, titulo nobiliore venit.
Crede aliquid genitoris habes. pars illa Senatus
Dignior hoc vultus explicat ore suos.

Dilige depositum. nec, si tibi nostra probantur
Fœdera, quem canimus, sit tibi Belga gravis.
At Druidum postquam voces & verba loquetur,
Restituas patriæ pignora tanta suæ.
Hæc laudis pars magna tuæ est, formasse juventam.
Gallia, post voces, vivere posse docet.

In Albo Nobiliss. Iuvenis, LVDOVICI ab AISSEMA, convictoris mei.

QVa patriis, præstans Iuvenis, virtutibus absens
Debeo, te coram non pudet illa loqui.
Hospes abis. sed enim tanti generosa parentis
Ante oculos pernox ludit imago meos.
Hospitio sic neuter abest. non distat amicis,
Non alio vivit sidere, quisquis amat.

In effigiem Caroli Quinti Cæsaris à CONSTANT. HVGENIO metallo donatam.

QValis laurigeras, victricia tempora, frontes
Exhibuit populis urbs Tiberina suis,
Seu fusum fuit illud opus, seu malleus artis
Autor adoratos pressit in ære Duces:
Talis apud Batavos veteres Hugenius artes
Reddit, & hoc seclo deteriore sapit.
Ingenium nuper torni rapuere, rotæque,
Et phialam docta disposuere manus.
Ipsa suas stupuit formas mutabilis arbor,
Lignaque tum poterant plus placuisse sibi.
Iam cœptis animosa suis mens ista metallo
Incubat, atque novis artibus æra domat.

Dextera Praxitelis, Polycleti industria, solers
Mentor in hoc uno nunc coiere viro.
Adspice cœlato nostratem Cæsara plumbo,
Adspice, materiam nobile vincit opus.
Quos timuit vultus Germania, Gallus, & Afer,
Quos timuit vultus Roma superba, vides.
Constantine, tibi Carolum debemus. at illum
Fingere tu solus cum ratione potes.
Scilicet ingentem qui Cæsara nomine reddis,
Hoc titulo proprios reddis in ære Deos.

In effigiem LAVRENTII REAEL,

Rerum Indicarum ad Orientem Præfecti, Equitis, è Dania post naufragium reducis.

CVi procul extremos nuper diffusa per Indos
Gloria cum socio Sole peregit iter:
Sic oculos, sic ora refert. hic ille Reali
Vultus, & Aonii Martia forma viri.
Quos meruit virtus titulos, tribuere Britanni,
Et clarum tetigit Cimbrica dextra caput.
Si reduci nocuistis aquæ, plus additur ergo
Laudibus. Ænean hac quoque sorte refert.

Ad MAGNVM MOSCOVIÆ DVCEM.

MAxime Dux, qui Sarmaticæ moderamina terræ
Flectis, & Arctoæ sceptra tremenda plagæ,
Et Scythicos inter fluctus, Tanaimque remotum
Grande Lycaonio sub Iove nomen habes:
Accipe quem Batavis Iuvenem tibi mittimus oris,
Imperio dudum pignora sacra tuo.

Ille

Ille Machaoniâ languentes voce tiaras
Eriget, & pallens mox recreabit ebur.
Vt quantum generosa tuæ Moscovia vitæ
Debet, & incolumi Russia tota Duci,
Debeat huic eadem tantum: pariterque salutis,
Et pariter regni fulciat unus opus.
Dat nobis Natura Duces, sed servat Apollo.
Vitaque sceptrorum, cura laborque Deûm est.

Ad
IOHANNEM VOSSIVM,
Post habitam de Tutela & Cura, cum laude, disputationem, in Britanniam abeuntem.

ANglia, quæ magni veneraris nomina Vossi,
Scriptaque, posteritas quæ studiosa leget:
Hunc juvenem, quem cernis, ama; doctiq; parentis
Progeniem cupias demeruisse tibi.
Emicat hic noster patriis virtutibus orbis,
Inque tuas ardet clarior ire plagas.
Credere te fas est; Tamesi dum mittitur obses
Filius, & causa dat documenta suæ.
Quo prius ingenii fuerant transmissa paterni
Pignora, nunc illo sanguine natus abit.
Non poterat totum genitor se tradere. corpus
Dividit, atque istâ jam quoque parte datur.

In

In effigiem
ADRIANI PONTIFICIS,
Vltrajectini,
Ad Nobilissimum Virum
ADRIANVM PLOOSIVM,
Vltrajectinum, Eq. Dominum in Thienhoven, Oudegeyn, &c.

CVlmen adorandum, triplicisque insignia mitræ,
Sceptraque Apostolicis turgida nominibus,
Et sacrosanctos (sed Roma judice) fasces,
Gessisti timida, Papa Adriane, manu.
Scilicet hos Carolo titulos, hæc munera debes,
Præmiaque à grato Principe tanta refers.
At tua tam grandi turgescens patria cive,
Iactat Pontificem se genuisse suum:
Quemque dedit Rhenus, Tiberini ad fluminis urbem
Christigenûm latè dicere jura gregi.
Ecce tuos vultus donat meliore metallo
Ploosius, & tanti præsulis ora notat.
Quin gaudet donasse aliis, & munere in uno
Nos geminos voluit demeruisse sibi.
At dum Pontificem totus te suspicit orbis,
Non hic Pontificem te volet esse suum.

In eandem.

PRæsulis adspexi triplex diadema Batavi,
Et Trajectensis nomina sculpta tui.
Patria communis vobis, communia deinde
Nomina, communis creditur ordo sacer.
Attamen imperio gemini differtis, & ille
Dum cœli librat pondera, tu patriæ.

Ad

Ad eundem ex Dominis ab Aemstel oriundum.

DVm genus & proavos claro de sanguine, Ploosi,
Ducis, & Amstelio stemmate stemma tra-
Totq; fidem faciunt testes, insignia, charta, (his,
Secula quæ nondum passa fuere mori:
Nomina prisca tuis titulis, proceresque potentes
Inseris, & causas nobilitatis habes.
Invide, quid dubitas? seriem numerare parentum
Non satagit, virtus cui sua stemma facit.

Ad CONSTANT. HVGENIVM, trium natorum ex ordine patrem.

I.

NAtorum dum jura trium sibi postulat ἄπαις
Bilbilicus, sterili condolet aula thoro.
Quod natura negat, donat diadema poëtæ.
Et qui non fuerat, fingitur esse pater.
Constantine, tibi favit natura parenti,
Dum natos una conjuge tres generas.
Sic facilis Lucina tibi est, fortuna poëtæ;
Tu pater es, verum jus patris alter habet.

II.

Cum tibi prima daret genialis præmia lectus,
Et soboles risit mascula, jam Vir eras.
Cum secunda marem conjunx superadderet, ecce,
Te non difficili patre, Duumvir eras.
Tertia jam nato volvit cunabula nutrix,
Et me, si libeat, teste Triumvir abis.

Sic

Sic tituli crescunt, veterum pro more Quiritum,
Et tuus à fœta conjuge surgit honos.
At cum Septemvir fueris, vel fortè Decemvir,
Optabis mecum parcius esse pater.

III.

Vnum Parmenidi placuit, tria Pythagoreis,
Attamen ingenti bis duo Aristoteli:
Infinita docent Leucippus, Anaxagorasque,
Pro numero sectam dum sibi quisque facit.
Constantine, tribus si stent tua basia natis,
Crederis Samiæ gratior esse scholæ.
Si quartum addideris, poterit Stagira placere.
Quintus, & hinc sextus, sed sine lege ruant.
Quod si Leucippi placeat sententia, tantum
Vt pössis numerum gignere, gigne atomos.

Ad

IACOBVM BAECKIVM,

I. V. L. cum ad novos me ámores hortaretur.

IAcobe Baecki, mentis exemplar probæ,
Et perspicacis ingeni,
Quem fovit ulnis sanctior Themis suis,
Iunctaque Themidi Gratia.
Cujus labellis Suada semet dedicat,
Et tot leporum formulas,
Et eruditi pectoris doctas notas,
Et quicquid ipsum Cypridis
Docuit puellum Cypris & Paphi domus;
Amare cur vatem cupis
Rursumque flammis cor aduri cereum?
Et intricari amoribus?

Am-

Amplexus, eheu, noster implexus fuit
Chara lacertis Barbara.
Hic basiavi & osculis vixi meis,
Et prolis optima pater
Pressi cubile non molesta conjugis,
Nec militavi inglorius.
Nunc marcet avi flosculus, vetus thori
Resedit ardor, & faces
Moderatur atas, & decens prudentia
Vult osculis me subtrahi.
Te, chare Baecki, poscit hic totum labor,
Te te Dione provocat
Citatque amantem. Tu labellis virginum
Plus grata figes basia,
Tu blanda fari & illices voces potes,
Ego severius loqui.
Tuis ocellis lusitant Cupidines,
Meis procaces exulant.
Tibi ver amorum vivitur. me mitior
Amoris afflat aurula.
Tibi pandit ignes latiores Hesperus,
Mihi remissos destinat,
Viduasque noctes. Te tenellula patrem
Lucina prolis exigit.
Ego credor esse proletarius pater,
Septemviratu nobilis.
Mutare clypeos prastat. occupa thorum
Amator, & complexibus
Ambi puellam. mille fige basia,
Et mille super hac ingere.
Et dic: amores Baeckiani crescite,
Et mox nepotes fundite.
Ego mastus, excors & procandi nescius
Et Barbara mea memor,
Defuncta bello tela consecro Diis.
Insaniisse sit satis.

TESSALICA.

Ad honestissimam & erecti ingenii matronam

MARIAM TESSELSCHADE,

VIDVAM.

Tessela, Thessalicis non enutrita sub oris,
Tessela, Battaviæ gloria prima tuæ;
Tessela, quæ sexum studiis & moribus ornas,
Atticus è placido cui fluit ore lepor;
Tessela, cujus acus solertem vincit Arachnen,
Tessela, Apellæa pingere docta manu;
Tessela, quæ magni clarescis laudibus Hoofdi,
Et Constantino Tessela dicta meo;
Tessela, quæ cœlo posses deducere Lunam,
Et tetricos cantu demeruisse Deos;
Tessela, quæ viduo recubas castissima lecto,
Et procul à viduo vate remissa jaces:
Accipe Barlæi scriptos in imagine vultus,
Istaque non ficti signa favoris habe.
Tu generosa, tuos si nolis mittere vultus,
Quæ toties mittis carmina, vultus erunt.

In domum hortumque

MARIÆ TESSELÆ.

Lares diserti, Palladis sacrarium,
Phœbi penates, omnis elegantiæ,
Scientiæque & artium capax domus,
Augusta sedes, Principum palatiis
Regumque longè regiis illustrior:
Tuque erudita & sensibus dives tuis
Salve supellex pervenusta Tessela,
Quam fecit ipsa. sola qualem possidet,

Opum

Opum suarum mater, hospes, artifex.
Vidi tabellas Tesselæ pictas manu,
Psychen volantem, celsa Muydæ mœnia
Portusque & arces, eminentis Hoofdii
Celebres recessus. Tesselæ textos manu
Vidi tapetas. scripta Tesselæ manu
Monumenta vidi, versa Taßi carmina,
Italûmque amores, quosque Vatibus suis
Modulos dicavit. Tesselæ vidi chelyn,
Quam fidibus illa pulsat exactißimis,
Musisque sacrat. pendulum vidi mare,
Marisque spolia, totque concharum ordines,
Quos illa doctè sedibus fixit suis,
Placidaque junxit dispares concordia,
Te, Flora, vidi. facta Tesselæ manu
Hac æde fulges, sericâque discolor
In veste splendes. ipsa miratur nothos
Natura fetus, æmulamque dexteram
Irata damnat, & potentis feminæ
Stupescit ausu. tuque pulcher Hortule,
Amœnitatum prome conde plurium,
Vbi flos superbum barbarus tollit caput,
Precioque plorat excidisse se suo,
Index magistra es. per gradus ivi tuos
Castumque juxta Tesselæ sedi latus.
Hic Cirrha, dixi, est. hic Apollinis Claros,
Tenedosque surgit altera. hic limen suum
Calcant Camœnæ. non tuos Semiramis
Veneramur hortos, quosque Phæaces colunt,
Agrisque Grajus ordinat feracibus.
Hic villa Superûm est. hic vel ipse Iupiter
Optet morari, uxoris immemor suæ.
Hic præcinentis Tesselæ blandum melos
Attentus audit, & Duartæ vocibus
Captus, tremendi fulminis ponit faces.
Hic esse cygnus, imber, aut taurus volet,

Nisi

Nisi impudicos Tessela horreret Deos.
Leander illic Sestiæ velit loqui,
Thisbæ procator Pyramus, Mars Cypridi,
Sappho Phaoni, Theseoque Gnosia.
His cura, livor exulant penatibus,
Mœrorque & ira, & quicquid infestum bonis,
Quicquid serenis permolestum matribus,
Quicquid puellis noxium tenellulis,
Quicquid decoris inficetum Gratiis,
Quicquid modesto displicet vatum choro
Cupidinique. cælitum salve domus,
Hominum voluptas, atrium modestiæ,
Et lenitatis, & pudoris & bonæ
Mentis sacellum. Tuque custos sedula,
Domusque lumen & decus clarum tua,
Quæ tanta nobis exhibes spectacula,
Quæ tanta nobis parturis miracula,
Quæ docta nobis scribis hic oracula,
Favente cælo, vive, vive Tessela.

In Corollas & lemniscos, opus

TESSELÆ,

suspensos in atrio Satrapæ Muydensis.

ADspice pendentes, quos Tessela nexuit, hortos,
Translatosque sua suspice sede Deos,
Autumnum, Bacchumque patrem, sacrataque pomis
Numina, & arboribus pignora rapta suis.
Miscentur Superi. pendent Pomona Ceresque
Et socias Daphne nectit opaca comas.
Mille vides pulchra disponi lege colores,
Mille vides aptè frondibus esse locum.
Dispersis sua forma deest. sic juncta stupemus.
Quod commendet opus quodlibet, ordo facit.

Miramur

Miramur cuncti doctæ molimina dextræ,
Miramur viduas hæc potuisse manus.
Tessela, (dicebam) quæ jungis numina, digna es
Non homini, verum nubere numinibus.

Ad TESSELAM, turbato mari.

TEssela dic ventis, dic Tessela fluctibus, ut jam
Componant motus fluctus & aura suos.
Ni facias, non te Sapphum, bona Tessela, verum
Te sagam dicam, Tessela, Thessalicam.

Ad TESSELAM, placido mari.

TEssela, per medios placato flumine fluctus
Venimus in Muydæ tecta vetusta meæ.
Cum tibi sint placidi mores, facundia, vultus,
Imbibit ingenium ventus & unda tuum.

In lappam præfixam vesti TESSELÆ.

TEssela, terribilem cur figis pectore lappam:
Cur tribulos castis objicis uberibus?
Defendi cupis illa, quibus peccatur amando?
Et custos viduæ lappa pudicitiæ est?
An, ceu lappa minax pungit, tu pungis amantes.
Spinosumque aliquid sæpe minatur amor?
An, quia se in formam contorquet lappa rotundam,
Expers fraudis amas verba rotunda loqui?
An, quia se spinis distinguit pluribus illa,
Tu quoque distinctis artibus una sapis?
Dixi; terribilem jam decute Tessela lappam,
Non es, crede mihi, Tessela terribilis.

Quin potius mansueta, tuis virtutibus aptam,
Pro lappa, Violam fige vel Euphrasiam.

In TESSALAM cymbala in templo pulſantem & canentem.

IAm privata ferit, jam publica cymbala præſtans
Teſſela & ingentem perſonat ore Deum.
Lingua Creatorem laudat, digituſque manuſque
Et quem parte canit Teſſela, tota colit.

Ad TESSELAM & Duartam cantu nobiles.

MAtronæ matreſque meæ miracula terræ,
Quæ cantu, quales non cecinere Deæ.
Si ſinitis vatem vobis dare præmia, dicam:
Altera ſit Seraphin, altera ſit Cherubin.

In TESSELAM à venæ ſectione exanimem.

LAbitur exanimis, nec jam ſibi Teſſela conſtat.
Totque favor vatum deficit una ſibi.
Maxima quæ novit, non jam ſe Teſſela novit.
Ingenii grandes debilis abdit opes.
Dextra jacet, pulchras toties dimiſſa per artes.
Linguaque cantandis verſibus apta, ſilet.
In teneris hæret ſpecies fatalis ocellis,
Innocuoque gravis pallor in ore ſedet.
Membra rigent, caſto melius ſervanda cubili.
Sueta manus doctè ſcribere, tota gelu eſt.
Cujus ineſt numeris robur, ſanguiſque colorque,
Corruit & mœſtam languida ſternit humum.
Ah moreris, moreris, dicebam, Teſſela. certè
Palladis effigiem deficientis habes.

Sic

Sic jacuit Sappho, Niobe sic pulchra rigebat.
Sestia sic visa in littore virgo fuit.
Tessela, si moreris, saltem his moriaris in ulnis.
Sic moriens poteris non sine vate mori.

In TESSELAM equitantem.

TEssela per terras equitat, per rura, per agros,
Et mulier freno liberiore ruit.
Qualis Volscorum egregia de gente Camilla,
Aut fera bellacem Clælia flectit equum.
Ecce tuis quadrupes incedit Tessela jussis,
Et bene composito verbere pulsat humum.
Crederis esse ferox, cum sis placidissima morum
Regula. dumque secas aëra, blanda canis.
Tessela equûm domitrix. grande est, domuisse caballos.
Grandius hoc: viduæ condicione mori.

Ad CONSTANT. HVGENIVM, de versibus Tesselæ in Vmbram.

QVam mihi ab Almeriis tua Tessela misit arenis,
Mittitur ad vestros pagina docta lares.
Vmbra facit carmen. sed quæ Titania vincat
Lumina. quæ rutilum provocet umbra diem.
Illa tuæ mulier venerabilis institit umbræ,
Deque tua solers lumina nocte capit.
Hugeni, cuperem fieri jam femina, postquam
Incipiunt matres versibus esse mares.

In læsum, grandi infortunio, in fabrili officina sinistrum

TESSELÆ

ocellum.

OCelle, viduis imperans ocellulis,
Ocelle, sacris annuens sacellulis,
Devotionis fecula & hospes candidi
Animique nullum vellicantis scrinium;
Ocelle vatum, cujus ad nutum ciet
Helicona totum Muyda, Barlæus canit,
Zulechemus aulas Principesque posthabet;
Ocelle pellax, blande, mitis, innocens,
Et fastuosi nesciens supercili:
Quis te miselle lædere & caliginem
Inferre Soli & nocte gestiit diem,
Lumenque tantum cæcitate condere?
Megæra qualis, qualis Alecto tuis
Ferale ocellis subdidit trux scandalum?
Num nuda Pallas visa Tesselæ fuit?
Aut hanc Lycurgum credidit Thrax barbarus?
An lumina omnes Tesselæ invident meæ,
Ob invidendum carminis Diis melos?
An cæca cogitare quiddam grandius
Sublimiusque possit ingens Tessela?
Num Veneris alma Tessela esse vis puer?
Ut desiocula nos amicos respuas?
Ocelle, tabo & pure stillans lurido,
Ocelle, circum discolor, pupillulis
Horrescis intus improbè rubentibus,
Cruorque lenes crudus inficit genas.
Tument iniquis palpebræ fastigiis,
Doletque pars, sueta gaudiis dari.
Hoc Tessela esse sponsa vultu non potes.
Hac fronte Divûm mœsta mensas despicis.

Sic ambulare, sic jocarier caves.
Sic cellularia & domesticis tuis
Testudo lenta diceris, numen latens,
Auremque patiens fabulis donas meis.
Ne, Phœbe, specta Tesselam, dispar sibi est.
Ne Tesselam, Hoofdi, crede, non est Tessela.
Ne, candor, intuere Tesselam, rubet.
Ne crede, probitas, Tesselam, nam livida est.
Nil dic poëta Tessela, loqui timet.
Crudele ferrum, quod tenebrosum specus
Te genuit orbi? quis nocentior faber
Telluris alta te refodit è sinu?
Vt innocenti vulnus inferres Deæ,
Et hos ocellos, queis superbit Almeris,
Superbit Ya, & potor Amstelæ frequens,
Queis lecta Tassi pagina est, scripti sales,
Picta tabella, floribus datus nitor,
Conchis figura, sculptus in vitris amor,
Fœdaret ictus? Nulla te posthac manus
Tangat nefandum. nullus his incudibus
Sudet Pyracmon. Semper erret ictibus
Fallatque nudum membra Bronten malleus.
Erravit hîc in Tessela, & non noxiam
Fecit nocentem. collabascit Tessela,
Humumque mordet Dis propinqua femina.
Tristes tenebræ Vesperæque flebiles,
Quid meruit insons Tessela? excors Cynthia
Cur distulisti tunc præire Tesselæ,
Nostræque lumen commodare Palladi?
Cur occidisti, præscius discriminis,
Festine Titan? nulla cur in atrium
Se stella præceps fudit? ecquid Hespere,
Et tu Dione tuque tardior Venus,
Tui furoris negligis poëtriam?
Expunge fastis, scriptor annorum diem.
Hunc adde cannis Alliaque casibus.

Fabrile ferietur hoc die genus,
Non ara Steropes fundat aut flectat manu.
Non flamma ferro serviat, nec lancibus
Statera constet, qua fefellit Tesselam.
Plorent ocelli, queis amatis Virgines,
Plorent ocelli, queis amatis conjuges,
Plorent ocelli, queis procamini viri.
Plorent ocelli, queis jocamini vates,
Ploremus omnes. quippe mitis Tessela
Dolente ocello, ocelluli cunctis dolent.

Ad
CONSTANT. HVGENIVM.

VEnit & Amstelios prælustris Tessela portus
Appulit, illa Deûm Tessela facta manu.
Vatibus arridet mulier, subridet amicis.
Et geminos placida seditione movet.
Invidet Aula scholæ, schola nubilis invidet Aulæ,
Rivalesque facit frigida Vesta duos.
Fallimur Hugeni. nescit Vestalis amare.
Exstinguit Paphias Almeris unda faces.
Vesta canit, pingit, sculpit, net, Vesta precatur,
Et sua tot modulis barbita Vesta quatit.
Oscula & amplexus & murmura nescit amantum.
Et quidquid viduus dulce procator amat.
Tota Deo vacat, & grandis cœlestia mater
Cogitat, & Mariam spirat ab ore suam.
Constantine, tua est. legit tua sacra diesque
Tessela, carminibus relligiosa tuis.
Nos procul à sacris lituos & bella ducesque
Scribimus, & diro charta cruore madet.
Vincis Eques peditem. nostris tua culmina præstant.
Et tua plus loculis perstrepit arca meis.
Nobilitas sponsam titulo meliore meretur.
Noster amor nullis turget imaginibus.

Cedimus

Cedimus Hugeni. nam cum Rex Iupiter ardet,
Tempus erit minimos condere tela Deos.

Ad TESSELAM, cum fraga illi mitterem.

TEssela, fraga tibi mitto dulcissima, sed tu
Dulcior his fragis crederis esse mihi.
Tessela, fraga tibi mitto fragrantia, sed tu
Tessela tot fragis gratior esse soles.
Tessela, fraga tibi mitto sapidissima. sed tu
Tessela pro fragis millibus, una sapis.
Tessela, quæ mitto, sunt fraga salubria. nam tu
Tessela sollicito sæpè medela mihi es.
Tessela, si fragum fieres, tunc Tesselà posses
Proximior labris tangere nostra tuis.
Tessela, si fragum fieres, tunc optima posses
In succum verti Tessela tota meum.
Si tecum hoc fierem, tunc, quæ miracula! posses
Tessela Barlaum sæpè vorare tuum.

Ad CONSTANT. HUGENIUM suppositis Tesselæ cubilibus cubantem.

TEssela sublimis recubat, vicinior astris.
Longius à fœdi condicione soli.
Constantinus humi jacet & demissior illâ
Suspicit ex humili numina tanta loco.
Iupiter inferior viduâ Iunone recumbit,
Et mulier sedes altitonantis habet.
Inversa est regni facies Venerisque theatrum.
Incubat insigni femina docta viro.
Tessela verte latus, tonitru Zulechemius Olympum
Credet & æthereis motibus astra quati.

Tessela sternuta leviter. jam fulmina credet
Te jacere & summo fulgura rapta Iovi.
Tessela collectis per noctem despue sputis.
Hæc pluvias dicet succubus esse tuas.
Tessela cum stertes & murmura rauca ciebis,
Has Superûm credet Principis esse minas.
Sed cum compositis membris tranquilla jacebis,
Iuno suo dicet conciliata Iovi est.
Maxime vir, tanti est viduæ disponere lectum,
Pingat ut inversos hæc tua scena Deos.

Pro pace & bello.

IAm Themidem laudat Cyneas, jam damnat eandẽ.
Adversum stupuit cum sibi Roma virum.
Belgica, quam mihi met jam sim contrarius, audi:
Sic tuba, sic pelta, sic placuere togæ.

Pro bello.

SVccessus urgere suos, instare timenti,
Militis officium primaque cura fuit.
Vicimus, atque alios spondent jam fata triumphos.
Dum pacem poscit Cantaber, arma timet.
Sylva tua est, nostrisque patet Brabantia castris,
Austriacas alibi lassat Olinda manus.
Magnanimus trepidum Gustavus provocat Istrum.
Nec minus Hesperias Gallia sorbet opes.
Quid bellare times? laxant æraria cives.
Pauperies belli conditione placet.
En domus, en noster geminat stipendia fundus,
Officioque favent rura benigna suo.
Quod caput est, damnat tali sub Principe Mavors
Otia, nec segnes vult periisse dies.
Arma, duces, litui, rorantes sanguine campi,
Telaque fortunæ sunt magis apta meæ.

Ære

Ære ciere viros jam tempus postulat & res.
εἰρήνην Batavus non volo, bella volo.

Pro Induciis.

CVr bellatrices acuis, mi Belga, sarissas?
Atque iterum irato cassis & hasta placet?
Nec formidati terrent te sceptra Philippi?
Regnaque per cunctas imperiosa plagas.
Viceris Occiduum, restat dominator Eous.
Quo steteris cœli cardine, pugnat Iber.
Quas tibi civis opes, illi peregrina ministrant.
Quasque domi censes, invenit ille foris.
Immensi fundunt illi sestertia montes.
Longaque bellorum pabula saxa vomunt.
Perpetuisque scatet locuples radicibus aurum,
Quod tibi nostra dolens prabet & ægra manus.
Si, vicisse, juvat; tecum Fortuna jocatur.
Cum favet hæc, vultum decipientis habet.
Bis vicit, qui victor amat concedere victo.
Sæpè animus læso major in hoste fuit.
Pugnandum est, ne sit semper pugnare necesse.
Pacem nec supplex postulo, nec renuo.

Ad BALTHASAREM WILLIVM cum SS. Theologiæ doctor crearetur.

DVm fera Cæsareis ardet Germania bellis,
Et furit in patrios Martia flamma focos,
Barbaricos inter prælustris Brema furores
Ingemit, & speciem bella timentis habet.
Dumque cupit placuisse Deo, nec Cæsaris iram,
Austriacosque timet religiosa Duces.

Quin simul officium cælo partitur & Istro.
Et geminis magna se ratione probat.
Sic, VVilli, tua Brema sapit. Tu vindice lingua
Doctor adorandum pande salutis opus.
Si dolet, Austriacis frangi conatibus urbem,
Laus erit, invicta relligione, mori.

In Comœdiam sacram I. MEYERI HOLSATI de Virginibus prudentibus & fatuis.

HVmana vitæ speciem, vitæque labores,
Et multum variæ relligionis iter,
Quantis impietas spatiis, pietasque recedant,
Quantum sollicitá virgine distet iners,
Meyeri nos scena docet. Tu, quisquis Olympo
Gratior, & Christo proximus esse cupis,
Disce laborantes studiis æquare puellas,
Perpetuoque tuus luceat igne focus.
Crimina sunt tenebræ, probitas pro lampade, Christus
Effigiem sponsi nos redamantis habet.
Ludicra si veterum meruit Comœdia plausum,
Debebit vatis plus placuisse pii.

Ad LEIDAM abiturus AMSTELODAMVM.

LEida vale, nostris statio gratissima Musis,
Iam studiis facilis, jam minus æqua meis.
Leida vale, & multos qui se tibi credidit annos,
Iam, precor, augurio prosperiore juva.
Imus in Amstelіam, (sic fatis volvimur) urbem,
Quoque vocant Procerum vota Deusque sequor.
Vivere sic nostrum, non una sede morari, est.
Patria virtuti creditur omne solum.

In ædes meas inter meretricularum & rabidorum domum positas.

THaidas & rabidos inter jam versor Orestas,
Et geminum cingunt nomina tanta latus.
Hic sua dediscunt effrenes ausa puellæ,
Parte alia furiis æstuat aula suis.
Vt magis hæc sapiat, vivant moderatius illæ,
Non poteram poni commodiore loco.
Quas obeat partes sapiens, hic invenit. illic
Proximus insanis, proximus inde malis.

In Emblemata Politica IVSTI REISENBERGII, IVRISCONSVLTI.

ADspice, quam paucis prostet prudentia chartis,
Vt niteant pictis fasque nefasque notis.
Adspice Socratico manantes pectore voces,
Verbaque ab erecto digna Platone legi.
Quo valeant monitore Duces, respublica, fasces,
Quove eadem spreto mox monitore ruant,
Pingendo docet hic scriptor, pingitque docendo,
Atque animum pulchra fascinat arte tuum.
Vt si non poßit virtus, nisi visa, placere,
Plus oculis poßit picta placere tuis.

Genethliacon ad IACOBVM PETITIVM, IVRISCONSVLTVM.

HActenus imbellem fecunda puerpera sexum
Edidit, & visa est plus potuisse viro.
Mascula nunc quantum valeant tua basia, læti
Discimus, & quanti sit genuisse marem.

Otia cum lentam traherent tibi languida vitam,
Pigraque plus pigrum duceret hora diem,
Ipsa Venus caruit stimulis & lentus amasti,
Et conjunx potior pars in amore fuit.
Iam tua cum volitent extremos jussa per Indos,
Et verbis egeant extera regna tuis,
Altera progenies non inficianda parenti
Nascitur, & melius te probat esse virum.
Macte animi. sic perge pater, sic perge Senator
Consuluisse viris, progenuisse viros.

In nummum Triumphalem victæ Sylvæ Ducis, ab ARNOLDO BVCHELIO missum.

DVm tibi devictum, Bucheli doctissime, Scaldin
Mittimus, & valida carbasa capta manu,
Tu mihi devicta pulcherrima mœnia Sylvæ,
Et sculptum pulchro mittis in ære Ducem.
Permutamus opes gemini. dat Palladis alter,
Exuvias Indi divitis alter habet.
Quod Sylva est jam nostra, uni debemus Olympo.
At mea quod Sylvam possidet arca, tibi.

Ad eundem.

QValis in augusto Princeps stat fulgidus ære,
Victaque sub pedibus Martia Sylva jacet,
Castraque, belligerique Duces, vexilla, cohortes,
Et conculcati flebile Martis opus:
Talis in hoc ipso, Bucheli, mihi fingeris ære,
Sub pedibus Ditis castra videre tuis,
Et Phlegethontæas miles calcare phalangas,
Et Christum intrepida relligione sequi.

Concedant urbes Ducibus. quin tempora circum
Sæpius Auriaci bellica laurus eat.
Cum titulis marcent lauri. plus vicerit ille,
Præmia cui cœlum non peritura parat.

In filiolum
A. DOMINICI LEEVWARTI
excifo calculo exftinctum.

DVm misero occultus laceraret corpora tortor,
Parsque mei in pœnam suppliciumque foret:
Luctabar vitaque inter mortisque dolores,
Et mihi quæ vita, spes quoque mortis erat.
Hærebant solitæ clausis syphonibus undæ,
Visceribusque latens calculus hostis erat.
Quem simul ac solers Sabauti dextra magistri
Sustulit, & visa est certior esse salus;
Extinguor, liberque malis adscribor Olympo,
Atque opifex operi condolet ipse suo:
Sic puero inversis fluxerunt tempora fatis,
Vitaque mors, contrà mors mihi vita fuit.

In Prætorium
BARDESIANVM,
quod HEYLOÆ visitur.

CIrcum terra patet, circum patet æquor & unda.
Hinc inde Almerius Cannesasque jacent.
Alluit & placido me pulsat Scermera fluctu,
Et lateri juncta est Heyloa parva meo.
Otia quæ Domino, Batavo jam præbeo vati.
Bardesi pariter Pieridumque domus.
Ampla licet celsas attollant atria turres,
Ingenio domini sum minor una mei.

EPIGRAMMA
in Laudem Nobilissimi viri
T. HVYGENS,
centurionis fortissimi.

Credite victores Belgæ, quid mascula virtus,
Proque suis possit Martia dextra focis.
Militat & patriam magnis Hugenius ausis
Asserit, & forti dat documenta manu.
Seu cum nocte tuos scandit Vesalia muros,
Et medio pugnans concutit arma foro.
Sive per æquoreos hostilia carbasa fluctus
Disjicit, & mediis belliger audit aquis.
Iam Ducis officium, jam partes militis implet,
Et quodcunque suis imperat, ipse facit.
Posteritas agnosce Ducem. qui judice terra,
Et pariter pelago judice victor ovat.

IN OBITVM
Nobilissimi viri
GVILIELMI BARDESII,
Domini in VVarmenhuysen.

Bardesi generose, jaces. jacet illa virilis
Gloria & ingenii nobilioris honos.
Nec sperata Venus, nec Di juvere penates,
Nec patriis fulgens Heyloa porticibus.
Deseruere simul dominum fundique laresque,
Et medias inter busta parantur opes.
Efferris, qua terra tua est, quaque illa, recumbis.
Atque eadem vivi, quæ morientis erat.
Iugera tot tumuli spatio metiris & urna,
Et brevior campos claudit arena tuos.

Turri-

Turrigerasque arces & tecta minantia cœlo
Despicis, & jussis subdita rura tuis.
Nos tamen ereptum peracerbo funere nobis
Flemus, & ad cineres talia verba damus:
Quem speciosa suis Alcmaria fovit in ulnis,
Cui Batavum circa pectora pectus erat,
Cujus in ore lepos, inerat facundia verbis,
Quem Charis & Pallas dixerat esse suum.
Quem frater, quem chara soror dilexerat unum,
Occidit, & thalami spem locat in tumulo.
Mortales sapite & vitæ subducite summam.
Cum morimur, superest dicere cuique, fuit.

In libros Medicos ZACVTI Hispani.

Credimus, haud solos Hispania sufficit hostes.
Nec Batavûm terris semper iniqua nocet.
Quæ toties gladios, nunc ecce Machaona mittit,
Atque aliqua nobis non nocuisse cupit.
Scilicet Hesperiis veniens Zacutus ab oris,
Ad leges Lachesin cogit adesse suas.
Et formidati protendens tempora fati
In populos aliquid cum Iove juris habet.
Quin jam nascentes abeunt in secula libri,
Scriptaque posteritas quæ studiosa leget.
Seu generosa novos stringit censura magistros,
Seu Coum recoquit pagina docta senem.
Belga, tibi faciles aude promittere soles,
Manat ab adverso jam tibi vita Tago.

In
IOHANNIS BODECHERI
Benningii Ethicam.

SOcraticas voces & prisci verba Lycæi,
Et veterum placitis dogmata mixta tuis,
Quo virtus radiet precio, qua luce coruscans
Fulgeat in mediis intemerata malis,
Benningi præclare, doces & scriptor honesti
Inter virtutes scriberis ipse tuas.
Non solum nos charta docet, tu perficis autor,
Quicquid inoffensa relligione jubes.
Plus valet exemplo probitas. bisque optima suadet,
Qui docet, & rectum, quod docet, ipse facit.

In natalem
IOHANNIS BODÆI à STAPEL,
Medicinæ Doctoris.

DVm tua fatidicæ circum cunabula Parcæ,
Omina, Stapeli, prosperiora darent:
Cresce puer, dixit Lachesis, populoque lactanti
Hippocratis discas grandior ore loqui.
Vre, seca, vacuent crudos tua pharmaca ventres.
Et cupias morti proxima nolle mori.
Pulchra tepescentem recreet virguncula lectum.
Quæ Medico donet sæpius esse patri.
Mœsta thori facies in cœlibe: crede, mederi
Sæpius innumeris oscula posse malis.
Mollibus interea cunas adspergimus herbis,
Cingimus & teneris tempora blanda rosis.
Mille cui lætis arrident vultibus herbæ,
Protrahat huic unum qualibet herba diem.

In tumulum
LAVRENTII PIGNORII,
ab Ill. DOMINICO MOLINO
inſcriptum.

PIgnorî tumulos & magni verba Molini
Vidimus, & titulis inclyta buſta ſuis.
Quod meruit doctrina decus, generoſa rependit
Purpura, & officium relligione probat.
Laudat honoratos Venetûm prudentia manes,
Et docto pietas annuit æqua viro.
Viuite Laurentî cineres. tu viue Senator,
Præmia qui claro ſufficis ampla rogo.
Hac ego, vel, quotquot facilis reſpexit Apollo,
Non alia cuperent condicione mori.

In extractionem fœtus per Vncum.

CAſti concubitus, vos læti Cypridis ignes,
Quàm triſti Veneris fabula fine meat.
Parturit infelix genitrix & dulcia mater
Baſia quàm dura lege miſella luit.
Extrahitur moriens uncis crudelibus infans,
Et nondum natus dilaceratur homo.
Quàm cuperet nullos infans ſic tractus amare,
Aut alio naſci ſe potuiſſe modo.

In

In Poëmation
MARTINI PILII, de Ambitione.

INter tot scelerum formas vultusque malorum,
Cur tibi sola, Pili, vapulat Ambitio?
An, quia cœlestes vesana superbia mentes
Perdidit, & sensit plus potuisse Deum?
An quia prima suo damnavit crimine mundum?
Et sceleri stimulum fixit, Adame, tuo?
An quia vix alio peccamus fonte nepotes,
Turbaque, proh, omnes ambitiosa sumus?
An quia calcatas turpi ambitione secures
Vidimus, & fastu subruta regna levi?
An quia per sacras repit malesana cathedras?
Et tumido calcat regia colla pede?
Quicquid erit, cœlum pariter quæ perdidit & nos,
Supplicium terris debeat atque Deo.
Exequitur pœnas vates. mundoque Iovique
Prostituit dirum carminis ira caput.

In Villam
HENRICI TWEENHVYSI I. V. D. in cujus portis depicta erat balænarum capturâ.

TErribiles nobis pandunt tua prædia portæ,
Et natat ante tuas bellua sæva fores.
Illic immanes expandunt corpora ceti,
Et grandes feriunt tela trisulca feras.
Optime Tvveenhuysi, quam formidabile nomen,
Quàm villa nimis est frons truculenta tua.
At mediis habitans doctrina & gratia tectis,
Nil domino dicunt mitius esse suo.

LIS
De gradibus comparationis, inter Ampl. R. HONERDVM, ET C. BARLÆVM.

Scripſerat BARLÆVS in margine quorundam Epigrammatum C. HVGENII, Bonum, melius, optimum, prout epigrammata ſuo ſapiebant palato.

Ad hanc cenſuram hæc reſcripſit Senator R. HONERDVS, ad HVGENIVM.

Cur ad Grammaticos gradus poëtam
Nunquam non ſimilem ſui vocemus?
Semper ſcilicet optimum poëtam.
Cur illud melius, bonum ſit iſtud,
Iſtud præcipuæ optimum monetæ?
Non rectè Zulecheme, cenſor iſte
Hæc ad Grammaticum vocat tribunal.
Nam quæ nos bona ſimplices vocamus,
Nulla ſunt bona comparatione.

Aliud ejuſdem.

Pitiſſare tuos malè verſus ille videtur,
Omnes qui prima non putat eſſe notæ.
Dixerit hoc lene eſt, hoc acre, ſuavius illud:
Diſcrimen faciunt, non tamen iſta gradum.
Diſparitas non eſt, niſi quam paritate probamus.
Optima ſunt & tunc ſingula, cum bona ſunt.

BAR-

BARLÆVS HVGENIO.

OPtima jam tua sunt Hugeni carmina. nescit
Excellens alio stare Thalia gradu.
Non bona, non meliora facis. sunt singula vates
Optima. quaque suum linea pondus habet.
Non primo medium, medio non discrepat imum.
Quodlibet est genio par Epigramma tuo.
Par Phœbo Venerique facis paria omnia. versus
Filiolis generas nonne pares paribus?
Talia cum sapiens edat decreta Senator,
Hoc merui, potuit quod meruisse Midas.

Ad eundem.

SCripsimus ingenue, quæ me scripsisse volebas,
Scripsimus, & scripti plurima causa mei est.
Cogeris interdum non optima scribere: cujus
Arbitrio nunquam labitur hora suo.
Cogeris interdum non optima scribere, cujus
Crebrius occursat versibus aula loquax.
Cogeris interdum non optima scribere, cujus
Circum sæpe latus quattuor ora sonant.
Cogeris interdum non optima scribere, cujus
Basiolum interdum mollius uxor amat.
Cogeris interdum mediocria scribere, cujus
Dædaleum solers dextera tornat opus.
Aut iterat testudo melos, cum pollice tactus
Artifici mutus carmina bos loquitur.
Qui studiis vates his sufficis omnibus unus,
Optima nunc, bona tunc, mox meliora facis.

Ad Senatorem HONERDVM, de gradibus comparationis.

Sic est. Grammatica suspendi lance poëtam,
Et numeris dixi carmina stare suis.
Dicam aliquem, dicam, præstans Honerde, colorem.
Barlæus quo se jam tueatur habet.
Num gradus in vitio est? sic Dictatura paratur.
Perque gradus laudum culmina miles adit.
Num gradus in vitio est? sic Petro regna parantur.
Papaque fit, populo qui modo lector erat.
Num gradus in vitio est? gradus & mensura Deorum
Iupiter est. magno sub Iove semidei. (est.
Num gradus in vitio est? gradibus prudentia crescit.
Vitaque per plures currit anhela gradus.
Num gradus in vitio est? bona sunt, mediocria qua-
Vatibus. haud aliter surgit, Avite, liber. (dam
Num gradus in vitio est? gradibus conscenditur æther,
Perque gradus nobis ambulat ipsa salus.
Num gradus in vitio est? qui causas sueverat olim
Dicere, num cunctis præsidet ille togis?

Ad Clarissimum HONERDVM & HVGENIVM, Zulechemi Dominum.

Nil mihi cum gradibus vel cœpta lite negoti est.
Optima nil, bona nil, nil meliora moror.
Grammatici pulpam Latiaque crepundia lin-
Sibilo. si gradibus vincor & arte, quid hoc? (gua
Scandat fatales scelerata venefica scalas.
Et gradus hic vita sit mala meta mala.

Ad

Ad generum Cereris gradibus descendat Orestes
Improbus. ad me non pertinet iste gradus.
Attollat gradibus peccantes furca. quid ad me,
De trabe si pendent ille vel ille suâ.
Scribat mille gradus metuendaque multa Senator.
Rideo. res alias jam mihi fata parant.
Irradiat vestrum melior fortuna poëtam.
Ungor, & insolito sacculus ære tumet.
Gustavi tumulum, bellacem flevimus umbram.
Nunc lachrymas tergunt regia sceptra meas.
Me novus insolito Legatus prœluit auro.
Optima tempestas ex Aquilone venit.
Hic gradus, hic gradus est, gradibus quem præfero ve-
Credite. plus gradus hic utilitatis habet. (stris.
Hic gradus est, quo, Plute, tuas conscendimus arces.
Expediet reges sic mihi sæpe mori.

Ad Senatorem
HONERDUM.

DO victas, Honerde, manus. contendere nolo.
Ne gradibus lapsu mox graviore ruam.
Ausa fuit summis Niobe contendere Divis.
Sed gravis audacem pœna secuta fuit.
Crudeles legi dantem Salmonea pœnas,
Dum studet infelix æmulus esse Iovi.
Et tu mentis inops Phœbumque insane lacessens
Marsya, detracta viscera pelle doles.
Qui tua componis domino, Lucane, potenti
Carmina, certando vinceris & moreris.
Ora Dares postquam totis cum viribus offert,
Cæstibus Entellus contudit ora senex.
Me terres, Narcisse puer. me improvida terres
Cassiope, Andromedæ mater iniqua tuæ.
Cur laqueo fauces animosa ligavit Arachne?
Ausa fuit superos æquiparare sibi.

Cedere qui norit rostris, aulisque Diisque,
Salvus & incolumi tergore sospes abit.

In Poemata Nortvicensia VINCENTII FABRITII, Hamburgensis.

FAllimur? an steriles inter Parnassus arenas
Surgit, & aequoreis proximus exit aquis?
Non Helicon, non Phocis abest. tellure Batava
Castalii fundunt pocula plena lacus.
Nobile Nortvicum, florent in pulvere Musae,
Inque tuis scribunt carmina docta jugis.
Nec tamen exsuccos feriit levis ungula colles,
Aut latices ictu Bellerophontis habes.
Fabricius fontes aperit. novus accola vatis
Officio totis luxuriatur agris.
Hoc donat jam Saxo tibi, quod debuit Albi.
Invenit in sylvis, quod canat, ille tuis.
Quum magnos repetis, Batavûm miracula, Dousas,
Post Dousas cupias hoc quoque teste loqui.
Si pius est, quisquis patriae praeconia solvit,
Bis pius est vates, qui peregrina canit.

In Ducem de FERIA, in cujus cadavere desideratum dicitur cor, repertis solum in Pericardio aquis. fides penes autorem esto.

QVid Siculas cogis magno sub rege phalanges,
Bellaque moliris Feria? corde cares.
Non tibi Campana laudem peperere cohortes,
Insubriaeque acies plurima. corde cares.

Non

Non Alpes timuere Ducem, non accola Rheni,
Horruit, aut victrix Suecia. corde cares.
Sprevit vesanos dudum Germania motus.
Vis causam? toto Feria corde caret.
Diffluxere globi, tot diffluxere catervæ,
Cur? gelidis solum Feria vixit aquis.
Obriguit pavidum fatali frigore pectus,
Et nulla in toto corpore flamma fuit.
Feria dux venit. Sueonas dux Feria vidit.
Non vicit. nullum Feria cor habuit.

In eundem.

AVspiciis, Romane, tuis qui credis & extis,
Ominaque in terris prodigiosa notas,
Hunc specta, sine corde Ducē. miracula narro.
Explerunt gelidæ munia cordis aquæ.
Ne jam Mæonides μεγαλήτορα *jactet Achillem.*
Bellator nullo Feria corde fuit.

In necem Ducis FRIDLANDIÆ.

MAxime Fridlandi, quis te casusve Deusve
Abstulit, & voluit sic periisse Ducem?
Cujus Hyperboreis dudum solertia castris
Restitit, & belli vim remorata fuit.
Si malesana tibi obrepsit scelerataque sceptri
Ambitio, & fœdæ proditionis amor,
Ponè premit te pœna reum. si Cæsar & aula
Scæva fides nimium suspiciosa fuit,
Hoc cavisse tuum fuerat. peccasse putaris,
Cum, minus audito Cæsare, bella geris.
De te sæva novum statuit Fortuna triumphum,
Et testem ingenii te cupit esse sui.

Quas acies, quæ castra tibi, vexilla, cohortes
Scripserat, heu dominum deseruere suum.
Irruit in jugulum audacis manus empta Photini,
Atque alia fraudes pravenit arte tuas.
Militet Austriacis, quisquis Seianus haberi,
Et titulo cupiet splendidiore coli.
Militet Austriacis, quisquis Seianus haberi,
Et titulo cupiet deteriore mori.

In vaticinium infelix de partu LOOSIÆ, filiæ Domini de LOOSE Centurionis.

Filiola est, Barlæus ait, quam Loosia gestat,
Contra, filiolus, Loosius inquit, erit.
Quid mirum est, solitos mentiri errare poëtas,
Nec benè de ventris pondere posse loqui.
Quid mirum est, si vera pater præsagia dicat.
Ipse suum melius judicat autor opus.

In societatem belli initam cum Gallorum Rege.

Quod benè Dî vertant patriæ, regique Ducique,
Cum Batavis coëunt Gallica sceptra meis.
Nos magnus Lodovicus amat. bellique labores
Fessaque regalis ventilat arma favor.
Galle, tuas promittis opes. licet India desit,
Tu nobis Indi divitis instar eris.
Sic socio Belgæ pugnamus rege. quid hæres
Cantaber, & pacis fœdera lenta trahis?
Proscripsit dubiam Druydum facundia pacem.
En, sua Nassovius concutit æra pater.
Ne propera citius, dux Arschottane, reverti,
Non jam nostra tuæ Belgica vocis eget.

Cum

Cum victrix Bellona tuos pessumdabit agros,
Cum lentæ pacis condicione redi.

In numismata Belgica Senatoris HONERDI Epigrammatibus illustrata.

Vidimus in muto radiantia bella metallo,
Et quæ pro patriis strinximus arma focis.
Vidimus Albani furias, decussa potentum
Colla ducum, sævi flebile regis opus.
Vidimus ultorem Auriacum, celebrisque Batavi
Conversas in te, magne Philippe, manus.
Plorat in elingui libertas Belgica nummo,
Sculptaque Relligio, sed sine voce, fuit.
Crimen erat sub rege queri. Mavortis imago
Sola oculos potuit pascere picta meos.
De nummis nunc verba facis, vir magne. loquuntur
Funera, castra, rates, fœdera, bella, duces.
Si Dodoneæ fuderunt carmina quercus,
Si lapides fari, si potuere feræ:
Parturit hæc eadem Batavus miracula. per quem
Incipiunt doctis vocibus æra loqui.

In eadem.

Numme laborantis testis celeberrime Belgî,
Numme triumphantis testis & arrha soli,
Nummule crudeli toties inscripte Philippo,
Nummule Nassoviis officiose meis,
Quod negat æs precium, cupias debere poëtæ,
Majus ab Honerdi carmine pondus habes.
Quid centum sudas Livi clarissime chartis?
Troge, quid immensa diffluis historia?
Dum meus ad nummos vates alludit, & æri
Accinit, en, nummus quilibet historia est.

In

In Albo
ERICI TORMII
Dani.

DAnia, cui miseris quondam nocuisse Batavis,
Et flammis urbes perdere cura fuit,
Mitius ingenium & mores jam culta serenos
Induis & Batavis redderis æqua meis.
Tormius exemplo est. quem docta gratia linguæ,
Quem placidi mores & sine felle probant.
Tales Arctois juvenes cum mittis ab oris,
Barbara quæ fuerat Dania, Phocis erit.

In vinum Syracusium & aviculas Cyprias
IOACHIMI
WICHEFORTII.

NOstra Syracusio spumant carchesia Baccho,
Inque dapes Cypriæ suppeditantur aves.
Quæ bibimus, Siculis quondam placuere tyrannis,
Quasque voramus aves, fertur amasse Venus.
Si totis distant rarissima fercula regnis,
Sit satis hæc uni perplacuisse gulæ.

In captum Ducem Arschotanum & peractum fedus Gallo-belgicum eopse die.

DVm procul infido Dux Arschotanus Ibero
Pro Belgis recitat mitia verba suis,
Et bellum lituosque & Martia nomina damnans
Otia vult patriæ restituisse suæ,
Gallia pro Batavis bellorum pondera fulcit,
Impertitque suas rex Lodovicus opes.

Quam distant ambo studiis bellique togaque,
Gallus & in pacis federa lentus Iber.
Quàm multum distant studiis rectique malique,
Quàm multum fidei perfidiaque notis.
Qua lux Arschotane fidem tibi lava fefellit,
Hac nos Borbonii testis amantis erit.
Lilia qua nos luce beant, Iovis armiger ales
Irato missum detinet ungue Ducem.
Sic nos Gallus amat, sic te fastidit Iberus,
Sic juvat ille bonus, sic nocet ille malus.

Ad Nobilissimum
D. FOPPIVM ab AISSEMA,
Equitem, cum Venerem meam Cimbricam ipsi misissem.

Assema, qui propius Reges & regia tangis
Limina, & augustos pellicis ore Ioves,
Cujus Hyperboreis pridem facundia terris
Mascula pro Belgis verba locuta fuit :
Accipe, quod celebri carmen devovimus ostro,
Et geniale tui perlege vatis epos.
Si generosa, tibi nunc flebilis, occidit uxor,
Et pietas charos ingemit ad cineres ;
Hic amat uxorem Cimber. pro Principe Tethys
Cimbrica, pro regis conjuge verba facit.
Sic alterna ruunt permixtaque tristia latis,
Et vicibus flagrant busta thorique suis.
Hac obit, hac nubit. si vis audire poetam :
Nunc homines condunt numina, nunc rapiunt.

In

In
HISPANVM,
cum ob subitas pluvias irrito stratagemate
BERKAM
impetiisset.

QVid miser invitis moliris prælia fatis
Cantaber, & nullo numine bella geris?
Cum virtute paras vel aperto vincere Marte,
Et tua per Valachras transtra feruntur aquas;
Dispereunt omnes subita caligine puppes,
Et Iovis audaces subruit ira rates.
Cum placuere doli, cum Berka reposcitur astu,
Pro nobis pluviæ belligerantur aquæ.
Tela madent. nescitque suum ballista furorem.
Et creber, iratis glandibus, ictus hebet.
Strata jacent celsis animosa cadavera muris.
Quamque nequit miles vincere, mordet humum.
Area quæ pugnæ fuerat, brevis urna cadentum est.
Quoque duces steterant, mox cecidere loco.
Scilicet Auriacis toties quæ cesserat armis,
Noluit indecori subdere colla dolo.
Quid mirum? Batavis famulantur sidera castris,
Ipsaque vel pluviis oppida tuta manent.
At tibi cum nebula, nunc irascantur & imbres,
Credimus adversos bella movere deos.
Vis me vera loqui. rursum de pace loquendum est.
Fortè tibi melius cesserit iste dolus.

FREDERICO GVNTHERO,

Sereniſſimo Daniæ regi à ſecretis.

MAxime vir, cui Pegaſei patuere receſſus,
Cui Claria valles totaque Cirrha patet,
Græca Charis, Romane lepos, facundia cujus
Pro Cimbrûm toties principe verba facit:
Si placet, auguſtis hæc carmina Regibus offer,
Carmina regales quæ cecinere thoros.
Quæ loquimur, poterunt ſceptris, te teſte, probari,
Et tanto invenient judice fortè fidem.
Si Te, ſi potero Iovis exorare miniſtrum,
Non potero Arctoo non placuiſſe Iovi.

In irritam obſidionem

TRAIECTI ad MOSAM,

tentatam ab Hiſpano, & Bredæ tentatam, ut videbatur, ab Auriaco.

QVod genus hoc belli eſt? quænam nova nomina Mavors
Parturit, & titulo deteriore favet?
Cinxerat attonito bellacia mœnia Tungro
Cantaber, & portas effere Moſa tuas.
Sederat ad claræ Fredericus mœnia Bredæ,
Et patrias armis ſollicitabat opes.
Ne malè pugnet Iber, Tungros obſeſſaque linquens
Oppida, vult Bredæ conſuluiſſe ſuæ.
Ne Batavus malè pugnet, amat ſecedere Breda,
Et ſatis hoc, Moſæ conſuluiſſe, putat.
Hic ſpeciem fugientis habet, magis ille timentis.
Hic votis abiens excidit, ille tenet.
Exercet Bellona duces. abit, horret uterque
Ille urbi, caſtris dux timet ille ſuis.

Ergo

Ergo abeunt ambo. Tu dic. victoria, cujus
Sit tanto rerum turbine causa prior?
Auriaci respondet. Iber, quam deserit urbem,
Non habet. Auriacus, quam sibi servat, habet.

In incendium, quo Aulæ HAGIENSIS pars una conflagravit, salva parte superiore & sacello.

DVm fera terribiles rapiunt palatia flammæ,
Et proprios mœrens aspicit Aula rogos,
Parcite, ait, flammæ Ducibus, nec lædite divos,
Ne geminos violet Vesta profana Deos.
Mulciber obsequitur. flammisque furentibus inde
Abstinuit Superûm sedibus, inde Ducum.
Prudenter nocuere faces, & proxima lambens
Effera vis jam tunc officiosa fuit.
Ne funesta nimis miseri portendite cives
Omina. nil casus sors habet ista mali.
Dum periit pars magna domus, pars restat utrinque,
Vna Dei celebris vocibus, una Ducis.
Sic Batavo salva est pietas & salvus Achilles.
Hic hominum tutus turribus, illa Deûm.

Aliud in Principem.

QVi belli flammas inter patriæque favillas
Accepit vitæ stamina prima suæ,
Qui validas flammis bellator subruit urbes,
Cui totum Odrysio pectus ab igne calet;
Quam benè natales flammis illustrat, & aulam
Insolito Princeps igne perire videt.
Nempe Ducem, per quem patriæ nova reddita lux est,
Altius ad Superûm limina flamma vehit.

In easdem flammas Culinæ & Templo aulico parcentes.

Stant mediis illæsa Deûm penetralia flammis.
Stat medias inter salva culina faces.
Et superest, ubi venter edat, sua pabula quærat
Illa suo solum mens saturanda Deo.
Evasit totus Batavus. flammam inter & ignes
Unica pars aras repperit, una focos.

In idem incendium natalibus Auriaci celebre.

Natales rediere Ducis. concurrite cives.
Et bona solenni dicite verba die.
Dixissent una Superi. sed nubilus æther
Dum fuit & cæli sidera nulla forent:
Accendere faces alias casusve deusve,
Et Domino flagrans annuit Aula suo.
Quas Proceres, quas Haga patens, quas astra negabant,
Indignata sibi subdidit ipsa faces.

In alterum incendium ejusdem Aulæ.

Coeperat in celebres grassari Vesta penates,
Tectaque Nassovio proximiora Duci.
Sed vetuere malum Superi. delusaque flamma
Vis fuit, & rabidæ mobilis ira Deæ.
Flammarum rediere vices, turresque potentum,
Et bellatores corripuere lares.
Non tulit hoc Natura nefas. glaciesque nivesque
Totaque cum flammis prælia gessit hyems.
Damna levant cives. caduntque securibus undas,
Et novus adverso surgit in igne labor.

Ipse inter medios Princeps Mavortius ignes
Fatur, & hoc sævas increpat ore faces:
Nil agitis flammæ. vestras obtundimus iras
Imbribus. en, pluvias urna lacusque vomunt.
Si mihi Pleiades, si cœlum denegat illas,
Publicus in flammas flumina fundit amor.

In Archiva salva.

L*Entius ut vidit lapides flagrare trabesque*
Mulciber, & flammis pabula pigra dari,
Irruit in patriæ tabulas, & lædere saxa
Dum nequit, in siccis hæsit atrox foliis.
Hæsit. & ut teneras cœpit malè lambere chartas,
Imbibit affusas tacta papyrus aquas.
Najadesque locis coeunt & Lemnius iisdem,
Edomuitque ferum frigida Nympha Deum.
Vos quondam Batavos unda servastis & urbes,
Nunc Batavûm per vos pagina salva manet.

Aliud in idem incendium.

N*Ondum prodigiis terret fortuna sinistris.*
Hæc quoque, quæ nocuit flamma secunda, favet.
Inferiora vorant flammæ. dum summa supersunt,
Integra Battavicæ summa salutis erit.

In tripudium regium Parisiis à Rege & regni proceribus saltatum.

C*Vr malè regales subsannas, Mome, choreas?*
Et dicis reges ista decere minus?
Exercet Dictynna choros. totque inter & ignes
Et Superos saltus conficit illa suos.
Ipse per astriferi spaciosa palatia cœli
Sol speciem regis subsilientis habet.

Si fas est saltare Deos & legibus ire;
Fas erit ad leges currere semideos.

In Principem GVILIELMVM Iuniorem, Principis Auriaci filium, cum flammis ereptus in nives nudus incidisset.

PArvule cur diris Princeps erepte favillis
In gelidas prono laberis ore nives?
Cur, quem flamma nequit, lædunt contraria flammis
Corpora, & alterna sors mala sorte premit?
Optima vaticinor. flammis vexatus & undis,
Spartani nobis militis instar eris.

Ad GVIL. STAACKMANS cum Virginis Vltrajectinæ & incendii Hagiensis meminisset.

SIccine diversis flagrant tibi pectora flammis?
Dissimilique tuus lampade gliscit amor?
Sive cupis lepidos vates prævertere vates,
Et fieri nostris fabula blanda jocis.
Seu ruis in sævos, aulis trepidantibus, ignes,
Carminibusque levas publica damna tuis.
Quas cives urnis vix exstinxere favillas,
Exstinguis lachrymis, docte poëta, piis.
Dum flammas acuunt Cauri & nimbosus Orion,
Despuis in rigidas tristia verba faces.
Quare cum duplici per te succurritur igni,
Virgo tibi Veneres debeat, aula Ducem.

In tumulum Filioli mei Iacobi, allusio ad nomen Israelis.

HIc situs est, fratris non supplantator, Iacob;
Planta cui nullam languida pressit humum.
Quod puer haud potuit, jam vult me dicere: tactum
Hoc etiam Superis succubuisse latus.

Ad CONSTANT. HVGENIVM cum Amstelodamum venisset.

ITe procul Pelopes Phryxaaque vellera Crassi,
Et turba in fraudes ingeniosa novas.
Mercantes procul ite viri, queis lucra voluptas,
Mundus avaritia semita, numen opes:
Nil mihi vobiscum est. cuncto dum charior auro
Hugenius vestra ponit in urbe pedem.
Ille forum solus faciet. pro pluribus unus
Ambulat, & varia nomina gentis amat.
Hic Italis Gallisque loqui mercantibus audet,
Hac Latium, hac una Belgica mente latet.
Vendere si vestrum est merces, hic vendere nescit,
Nec precio vates sordidiore meret.
Non opus hic sponsore. suis se donat, & illud
Quod vadis est, ultro praestat amantis amor.
Vos casiam & pelles, vos coccina pendite magni,
Hic Arabum succos distrahat, ille piper.
Pluris ego risus facio vocesque jocantis.
Plus vobis, tunc cum desipit, ille sapit.
Vobis vile forum est. qua noster inambulat, illic
Pieridum cultu splendidiore forum est.

In libros Manaſſis Iudæi de Creatione.

QVæ cœlos terraſque manus ſpacioſaque Nerei
Æquora & haud unum, quod capit orbis, opus
Condiderit, merſumque alta caligine mundum
Iuſſerit imperiis ilicet eſſe ſuis:
Diſſerit Iſacides, & facta ingentia pandit,
Et nondum exhauſtum ſcribit Apella Deum.
Hic atavos patreſque ſuos & verba recenſet,
Senſaque Thalmudicæ relligioſa ſcholæ.
Vera placent, placet egregiis conatibus autor,
Et pietas fidei diſparis iſta placet.
Cunctorum eſt coluiſſe Deum. non unius ævi,
Non populi unius credimus, eſſe pium.
Si ſapimus diverſa, Deo vivamus amici,
Doctaque mens precio conſtet ubique ſuo.
Hæc fidei vox ſumma mea eſt. hæc crede Manaſſe.
Sic ego Chriſtiades, ſic eris Abramides.

Ad Senatorem HONERDVM, cum HVGENIVM & BARLÆVM, poſt ſcriptos ab ipſis in incendium aulicum, Scazontes, increparet.

EGregias artes, veteratoreſque Poëtas,
Cur titulo, vates, deteriore notas?
Cur veteres, venerande ſenex, perſtringis amicos?
Quos ſuus in flammas claudus iambus agit.
Cum cives pedibus calcant incendia rectis:
Cum tua ſtant pedibus carmina fulta bonis:
Cum fervent opera, cum tot ſuccurritur urnis:
Cum properant facili femina virque pede:

Cum

Cum pedibus scalæ figunt vestigia rectis:
Hic glaciem glomerat plurimus, ille nives:
Cum fugit insanos ignes Dux passibus æquis:
Non pateris claudos accinuisse duos?

CONSTANT. HVGENIO, Zuylechemi Domino.

SAt flammis Vestaque datum. flagravimus omnes.
Et facibus vates tres caluere suis.
Tu prior. inde mea caluit vis improba Musa.
Tertius hoc ipso ferbuit igne senex.
Constantine, petis versus? nil possumus ultra.
Aruit assiduis tosta Camœna focis.
Absumsere meos latices, ignesque trabesque.
Et misera in sicco gurgite Musa sitit.
Post flammas friget Princeps Guilielmus & alget.
Et mihi, post flammas, carminis alget amor.

Ad Senatorem R. HONERDVM.

TV quoque carminibus tandem fax ultima nostris
Adderis & flamma fervidiore cales
Excellens Honerde, & tantos ignibus ignes
Obruis & facibus busta facesque domas.
Vreris & toto lassas incendia Phœbo,
Flammaque Apollineis cedit anhela focis.
Sic ubi non magna lambunt alimenta favilla,
Solis ab illustri vincitur igne minor.
Et postquam flamma incalui leviore poëta,
Exstinguis nostras grandis Apollo faces.

In laudem
IVBALIS
primi Musicorum instrumentorum inventoris.

PRincipio cœlum & terras fluctusque patentes,
Et valido mundum fecerat ore Deus.
Gaudia gliscebant totum diffusa per orbem,
Primaque concordes astra dedere sonos.
Seraphin & Cherubin cecinit. perque aëra vastum
Non uno modulos carmine fecit avis.
Tum Iubal, ne terra suo cantore careret,
Aptavit fidibus consona verba suis.
Hinc seri canimus post secula multa nepotes,
Tanti progenies ingeniosa viri.
Vive voluptatum genitor, tot vivite Musæ,
Queis sine mensa, thorus, vespera luxque gravis.
Cum canitis cœlum mihi terra est, numen Apollo,
Os Superûm, cantus vita, medela chelys.

In obitum charissimæ uxoris.

SCribere chara tuos cupiebam Barbara manes,
Cum mediis cœpi versibus ipse mori.
Ne pergas, clamat soboles; superesse parentem
Sit satius, quam te, me moriente, cani.

BALTHAS. BONIFACIO,
Canonico Tarvisano.

QVi mihi dilectæ deploras fata maritæ
Balthasar, & viduo condoluisse potes,
Plus doleas, si sacra thori, si gaudia nosses,
Basiaque à thalamis non aliena suis.

Heu

Heu miser, in gelido languent tibi corpora lecto.
Heu miser, ignavo nox tibi tota perit.
Nec dulces natos, Veneris nec præmia nosti,
Et quicquid taciti numinis uxor habet.
Novimus hæc, tantoque magis, vir docte, dolemus.
Ipse mei nunc est causa doloris amor.
Sed fato disruptus amor. Tu cœlibe vita,
Tu thalamo gaudes frigidiore frui,
Et curas sacrare Deo. mihi Barbara lecti
Pars fuit, & juxta cura laborque Deus.
Dissentire juvat. pietas tibi conjugis expers;
At mihi plus conjux cum pietate placet.

Ad Ampl. virum
WINANDVM SCHVYLIVM.

Quod mihi misisti Muydensis munus amici,
Hirsutus, levipes creditur esse lepus.
Adpropera, VVinande. tibi tua fercula reddam.
Hæc etiam vestri victima dentis erunt.
Sint timidi lepores, sint longis auribus hirti,
Sit proprio multùm fœda cruore cutis;
Nos tamen in cunctos nitidi grassabimur armos,
Nec metus in patina vel timor ullus erit.
Qui gelidos vivus fluvios potavit & amnes,
Mortua selecto proluet exta mero.
Cras ubi se medio Phœbus subduxerit axi,
Ad mea veloces dirige tecta pedes.
Nec velox, sed tardus abi. qui fugerit, ille
Dicetur sociis omnibus esse lepus.

Ad
P. HOOFDIVM,
Satrapam Muydensem.

Mittis aves? nihil est. viduo non ista parantur
Fercula. lascivas respuit ille dapes.
Das leporem? nihil est. tu pulpamenta require,
Quem fovet amplexu pulchra marita suo.
Mittere vis aliquid, quod non nimis uret amantem?
Mittere vis viduo munera grata thoro?
Mittere vis aliquid, veterem quod placet amicum,
Quodque mihi mitti postulo? mitte nihil.
Si tamen hoc mitti nequeat, quod postulo mitti;
Ad nos tot donis gratior ipse veni.

In
FRANCISCÆ DVARTÆ
Modulos.

Qva nitidis surgit formosa Alcmaria tectis,
Et sibi surreptas Schermera luget aquas:
Omne genus volucrum dulci modulamine silvas
Perstrepit, & vario murmure mulcet avis.
Hic gemit amissa viduatus compare turtur,
Hic petulans alio carmine passer amat.
Plaudit anas, celsa cantillat in ilice cornix,
Et moriens alibi concinit albus olor.
Iam fringilla canit. nunc interludit alauda.
Excitat aërias ipse susurrus apes.
Garrula quin etiam tribulos percurrit acanthis,
Et volitans humiles stringit hirundo lacus.
Sola deest Philomela. domos, pomœria, cives
Odit & hac circum mœnia nulla volat.

In causa es Francisca. tua concedere voci
Nescit avis modulis ambitiosa tuis.
Tu potior Philomela. tuo qua gutture cœlos
Afficis, & Superos detinuisse queas.
Non mihi pro vitio jam gloria ducitur. ipsas
In Frisiis postquam gloria vexat aves.

Aliud.

IAm priscis celebrata, mihi non creditur esse
Fabula. tot vatum carmina vera puto.
Orphea jam credo rabidos flexisse Leones,
Et rigidas sola voce stitisse feras,
Eurydicen credo Stygiis rediisse tenebris,
Et cantu illectum tunc siluisse Canem.
Iam credo struxisse suas Amphiona Thebas,
Saxaque mellito disposuisse sono.
Fingitur, argutum qui vexit Ariona, Delphin.
Fabula temporibus convenit ista meis.
Commentis, Francisca, fidem facis. omnia per te
Credimus. hoc majus tempore nomen habes.
Cum caneres, stupui totus, dubiusque resedi,
An fierem Delphin ilicet, anne lapis.

Ad P. HOOFDIUM

Satrapam Muydensem, cum libris Poëmatum suorum me donasset.

DVm mihi Pegaseos vatum celeberrime cantus,
Ingeniique offers tot monumenta tui;
Hinc tragicum me raptat epos, grandisque cothurni
Auribus infrendet vox miseranda meis.
Inde fatiscentes iterum mihi ventilat ignes,
Et tua Barlaum Cypris amare facit.

Sto

Sto medius lachrymas inter Venereſque jocoſque
Et tua quam donas pagina, luget, amat.
Altera Democriti eſt, flentis pars una magiſtri,
Fungitur officio luctus amorque ſuo.
Hac vita jam ſcena mea eſt. ſic vivimus Hoofdi.
Afflictos reficit lætior hora dies.
Me reficit ſperatus amor. cum priſca recordor,
Cogor adhuc thalamis illachrymare meis.
Fortunæ ſum verna. miſer felixque gemiſco
Et jocor. ô Vates, ſum tuus ipſe liber.

In Cornu vetus, quo apud P. HOOFDIVM in arce MVYDENSI bibitur.

CVr bibimus rigido Bacchi libamina cornu?
Tot potare viros cornibus, omen habet.
Nil moror. haud fallet viduum mala nupta poëtam.
Vos, quibus eſt conjunx, plus manet iſte metus.

In convivium MVYDENSE, cui interfuere viri Doctiſſimi, HOOFDIVS, HVGENIVS, VOSSIVS, VVICKEFORTIVS, SCHVYLIVS, aliique.

QVa magnum ſcelerata, ferox & perfida quondam
Clauſiſti fœdo carcere, Muyda, Ducem:
Pieridum jam blanda duces & lumina claudis,
Lumina Battaviæ ſuſpicienda tuæ.
Mortales coiere Dii. velut æthere in alto
Errantes videas ſe ſociaſſe faces.

Aula,

Aula, Schola, rigidaque simul sedere secures,
Quique bonæ mentis laudibus addit opes.
Quæ dum clara tuas illustrant sidera turres,
Omnis ab his, Hoofdi, sedibus error abest.

Ad

CONSTANT. HVGENIVM,

cum manentibus Muydæ amicis aliquot ob tempestatem, ὑδροφοβίαν hoc est aquarum metum mihi exprobrasset.

I.

CVm tua te veheret velis audacibus Argo,
Cum veherent matres transtra superba duas,
Divisit sors læva viros. pars horruit undas,
Pars medias secuit nescia mortis aquas.
Detinuit timidos Hoofdi tunc Suada poëtas.
Detinuit vates Heleonora suos.
Detinuit Susanna chelyn, quæ passeris artes,
Quæ cecinit doctas, Aulice scriptor, aves.
Si timui, tanto prudentia juncta timori est.
Si timui, jussus (crede) timere fui.
Si timui, si vela fui non vestra secutus;
Sic placui Domino, sic placui Dominæ.

I I.

NOn me Muyda tui nuper tenuere liquores,
Non ea vis Bacchi, non fuit illa gulæ.
Vt decuit, timui Superos, Tethynque Iovemque,
Nec potui tantis obvius ire Diis.
Hos, vir dure, pius timui. nam piscibus æquor,
Non homini fallax destinat unda viam.

Si tua nacta fuit speratum audacia portum,
Fortunâ minus est, plus pietate regi.

III.

CVm dubias anceps traheret sententia mentes,
Et vellem, nollem te, Zulecheme, sequi;
Me sequitur magni facilis clementia Vossi,
Inque meas partes mox Ioächimus abit.
Tres sumus excordes numero. tres torva timemus
Flumina. tres solito tingimus ora mero.
Tres fugiunt, nec sueta Ducis vexilla sequuntur.
Et sociam gaudent tres violare fidem.
Res omnes facit ista reos. peccavimus in te.
At Satrapas, quo vos arguat, actor habet.

IV.

VAde per iratas, mi Constantine, procellas.
Vade per adversos, navita magne, Notos.
Hæsimus in ripa. fateor. cur? damna timemus,
Quæ mediis sensit dux Palinurus aquis.
Hæsimus in ripa. fateor. cur? æquore mersa
Non didicit modulis dextra natare suis.
Hæsimus in ripa. fateor. cur? nolo poëtis,
Nolo meis toties esse vocatus Hylas.
Icarus Icareo si fecit nomina ponto:
Fluctus Abydeno si fuit urna proco:
Si Tiberim sese jecit Tiberinus in ipsum:
Femina si Thracium nomina fecit aquis;
Si Sappho mulier saltus aggressa viriles,
Non formidata Leucade mersa fuit;
Nil moror. hac pereant fama, quos pœnitet ævi.
Non vacat exemplo deteriore mori.

Ad

Ad SVSANNAM BARLÆAM, conjugem C. HVGENII, cum per latus mariti, ob aquarum metum, me acrius impetiisset.

I.

Vicisti, Barlæa, viros. plus ausa fuisti.
Plus animi, quàm nos, mascula mater habes.
Erravit natura parens, cum condere te, me
Vellet, & in tanta culpa parente fuit.
Illa tibi grandes animos studiumque virile
Indidit, & voluit viribus esse marem.
At mihi femineos animos pectusque remissum
Dum dedit, hac fecit conditione virum.
Ista mares tibi causa dedit, natosque virosque.
Dum mea femineo murmure recta strepunt.
Hinc fluctus, hinc spernis aquas animosa Notosque.
Virque Deos contra, femina sola viro es.
Me mea dum negat esse virum formido, vocari
Iam barbata tibi femina promereor.

I I.

Succubuit generosa tuo Barlæa marito,
Et dedimus victas, magna virago, manus.
Nunc chartis ovat ille meis. victoque poeta
Exprobrat & me vult succubuisse tibi.
Cedam iterum. intrepidaque volo succumbere matri.
Et Constantina laudibus esse minor.
At si forte tuâ est potior mea causa, pudoris
Hoc etiam fuerit dissimulasse mei.

III.

ROma stupe. de me victrix jam nupta triumphat,
Fortuna nunquam sors fuit illa tua.
Captivus victusque trahor. mihi scommata ma-
Objicit, & salso conspuit ore Scholas. (ter
Tanti undam timuisse fuit. me mergite fluctus.
Mergite vesanos pontus & Ya metus.
Vlterius nolo proprio superesse pudori.
Infamis tanto crimine fama mihi est.
Scilicet, adscendet doctorum pulpita mater,
Et timidam cupiet vitta docere togam.
Peccavi, Superi. sexum mutate timentis.
Vestiat ignavos pallida palla pedes.
Aut si Barlaam cupitis me recta docere,
Signa gerat sexus tanta magistra mei.

IV.

ORta mari Venus est. Veneris Barlaa propago est.
Quid mirum? nullas si timet uxor aquas.
Formavit tellure senex mea membra Prome-
Quid mirum? terra si sua terra placet. (theus.
Nec culpa est, timuisse, nec has sprevisse procellas.
Nempe suo duplex causa probata Deo est.

V.

SI fatear peccasse viros, si prodita facti
Causa, satisfactum non sibi Iuno putet.
Si verè Phrygias, at non Phrygas esse poëtas
Eloquar, haud factum sit tibi Iuno satis.
Si potui placare Iovem tot versibus, isto
Thure satisfactum non sibi Iuno putet.
Si scribam pelago matres periisse maresque
Sæpe, satisfactum non sibi Iuno putet.

Mollia

Mollia Barlææ tu ſuggere verba maritæ,
Mollibus hanc ipſam ſæpius abde jocis:
Suavius arride; nutu teſtare, quid optes;
Tange verecundos, navita magne, ſinus:
Baſia baſiolis ſuperingere mille vel ultra:
Crede, ſatisfactum jam ſibi Iuno putet.

IN OBITVM
Illuſtriſſimi Principis
MAVRITII,
Haſsiæ Lantgravii.

HAſſia, quæ celebri donas cunabula Cattho,
Haſſia, Naſſoviis inclyta terra meis:
Suſpice Mauritii cineres, & funere in iſto
Exanimes credas occubuiſſe Deos.
Non ſolum tenet urna Ducem. tot numina juxta
Hic proprios ſpecta depoſuiſſe rogos.
Clauditur hoc Pallas tumulo, Phœbuſque Themiſque,
Et buſto pietas ingemit ipſa ſuo.
Hic Princeps cum Vate coit, cum Principe Vates,
Dexteraque in ſacros ingenioſa modos.
Et qui flammiferum radio deſcripſerat orbem,
Nunc ſua, quæ vidit longius, aſtra putat.
Deplorent homines alii; nos funera Divûm;
Sceptraque nunc populo, nunc operata Deo.

In picturam Coronæ matronalis, HVGENII abituriuntis conſtantiam expugnantis.

PInge virum, pictor, victum depinge poëtam,
Feminei lepidum pinge furoris opus.
Pinge vices rerum, Conſtantem Protea pinge,
Proſtratum facili turbine pinge patrem.

Pinge

Pinge laborantem septem cum matribus Aulam,
Pinge fatiscentis dulcia fata viri.
Maxima res nobis, sed ludicra scena paratur.
Discimus exemplo, quod nocuisse queat.
Nos suadere viros, sed persuadere maritas,
Ingens dedecori gloria juncta virûm est.

VIRTVTI AC FAMÆ
Fortissimi Ducis
CORNELII IOHANNIS
cognomento GALLI,
Monumentum hoc posuerunt Directores & vindices Oceani Septentrionalis.

ADspice spectator nostræ miracula gentis,
Gestaque victrici bella stupenda manu.
Hîc jacet, Eoum qui duxit vela per orbem,
Atque Arabum Hesperio sanguine tinxit aquas.
Quem modo prædatrix potuit Duynkerka timere,
Cum Morinûm captæ succubuere rates.
Vna triumphatum toties se torsit in hostem
Puppis, & adversos exuit una duces.
Vt vincatur Iber, Batavo non classibus ultra
Est opus. una ratis, dux satis unus erit.
Qui dum se Patriæ mediis bellator in undis
Devovet, illustri funere victor obit.
Iam Decios jactare mihi cessate Quirites.
Hæc etiam Decii marmora corpus habent.

In tumulum parentis mei
CASPARIS BARLÆI,
qui Bommeliæ Salinarum in Sicambris visitur.

Maxima quem pro se scribentem Antvverpia vidit,
Et quondam chartis consuluisse suis,
Hic jacet ad Vahalin. validis ubi mœnibus hostem
Arcet & objectis Bommela spernit aquis.
Trusit in has patrem belli fortuna Salinas,
Dum patria exoptat tempora blanda suæ.
Palladis hic artes coluit, vatesque triumphos
Et memori cecinit bella ducesque tuba,
Et laudes, Battave, tuas. successimus illi,
Et sobolem juxta carminis urget amor.
Mauritium fratremque duo dum scribimus orbi,
Mixta viget fama gloria nostra Ducum.

In obitum doctissimi viri
IACOBI BARLÆI,
Brilani Gymnasii moderatoris,
patrui mei.

Ic est Vorniacæ qui dudum sceptra Iuventæ
Flexit & ingenio noluit esse rudem.
Briela procellosis ubi Tethyn conspicit undis,
Et turrita suum tollit ad astra caput.
Doctrinæ melioris amans & censor honesti
Maximus, hac placuit conditione suis.
Formavit ratione viros. Respublica nosti
Nomina crescentis fulgidiora Scholæ.
Quæ didicere, forum, fasces & templa loquuntur,
Et pueros, Patriam lingua docentis erat.

Hoc

Hoc duce prætextâ ſapui, totuſque Camœnis
Tum ſacer, Aonio pocula fonte bibi.
Quem genuit celebres Antvverpia Scaldis ad undas,
Huic refluis feſſus Moſa parentat aquis,
Et ſolvit jam juſta ſeni. quin ipſe loquentem
Me facit & patrui carmina jure refert.
Hunc tu, Briela, tuis primum ſplendoribus adde,
Quo plus fulſit honos erudiente tuus.

In Poëmata & obitum

MELCHIORIS BARLÆI,

clariſsimi apud Brabantos Poëtæ, patrui.

CVm Patriam charoſq; furens Bellona Brabantos
Perderet, & Martis, Belgica, præda fores,
Et miſera ultorem gemeres Antverpa Philippũ,
Et pax Advaticis exul abiſſet agris:
Tu placidis, Barlæe, dabas læta ocia Muſis,
Solamenque malis tunc tibi Pallas erat:
Tunc populos gentiſque tuæ primæva canebas
Tempora & Auſtriacos, magne Poëta, duces.
Tunc Superum genus ex alto duxiſſe voluptas,
Et ſcripſiſſe Deos cura laborque fuit.
Ludicra tunc pigris agitabas bella cicadis,
Cum Venetus lepidum rector amaret epos.
Implebas Latium famâ. te Parma poëtam
Vexit & officiis inclita Roma ſuis.
Tunc Schettis dilectus eras. urbs maxima Belgî
Vnanimi vatem dixerat ore ſuum.
Montibus Hannoniæ moreris. non carminis iſtud
Fulgur & ingenii vis generoſa tui.
Nos aliam Patriæ faciem miramur. at idem
Tu, calamo nunquam deficiente, manes.

In libros

GVSTAVIDOS VENCESLAI CLEMENTIS.

CVm canis audaci Gustavi bella cothurno,
Et tot belligera parta trophæa manu,
Applaudunt doctis Parnasia numina curis,
Et numeris gaudent Mars & Apollo tuis.
Sarmaticas legimus regi cessisse phalangas,
Et per te nobis gratulor illa legi.
Cum cadit Arctoo non tutus frigore Moschus,
Et premitur fessus Dacus anhelus equis,
Hic etiam tecum Gothicis subscribimus armis,
Et passim grata nomina vatis habes.
Cum ferus ultrices frustra despumat in iras
Ister, & exuti Cæsaris arma canis,
Vt sua magnanimus submittat sceptra Borussus,
Et pavidas Viadrus colligat æger aquas,
Vt totis aquilas pellat victoria campis,
Et casum toties Tillius agmen agat:
Materiem vatemque probo. cum rege triumphas,
Parrhasioque ingens cum Iove scriptor ovas.
Omnia cum placeant, unum Germania vellet,
Vnum est, quod cuperet Suecia posse cani.
Vnum est, quod cuperem cunctos cecinisse poëtas:
Gustavum in terris non potuisse mori.

In prægrandem SPHÆRAM PTOLEMAICAM, à GVILIELMO BLAEV constructam.

QVi medio vastam suspendit in aëre terram,
Clausaque cancellis æquora, Numen erat.
Qui terra pelagoque suos circumdedit orbes,
Tantaque disposuit corpora, Numen erat.
Hoc potuit mens gnara Dei. nunc, adspice, cœlos
Fabricat & terræ pondera librat Homo.
Omnis in armillis labor est. hic fulget Olympus,
Et duodena suis sedibus astra meant.
Vadit in obliquos lampas Titania ductus,
Et plus veloces Luna fatigat equos.
Grande rudimentum, magni vestigia mundi
Cernimus, & dextra nobilioris opus.
Quæ cum terrarum miraberis incola, clama:
In terris etiam nunc habitare Deos.

In ejusdem SPHÆRAM COPERNICANAM.

INversas Superûm sedes & mœnia mundi
Suspice, qui mundi sceptra capessis, homo.
Suspice currentem circum tria sidera terram,
Atque alio Venerem Mercuriumque loco.
Suspice distantem spatiis immanibus æthram,
Et procul à Phœbo tot radiare faces.
Stat Phaëthon, nullasque immotus flectit habenas.
Fabula tot vatum futilis ille fuit.
Terra ruit. ruimus securis motibus ipsi.
Atque oculos nostros devius error habet.

Non

Non hoc Persa sagax, non hoc scivistis Athenæ.
Nil thalamis debent hæc, Ptolomae, tuis.
Heu serò sapimus. dum terra senescit & æther,
Vix miseri tanta discimus artis opus.
Vive, tuoque comes fulge, Copernice, Phœbo,
Nec laudes terræ verberet umbra tuas.
In centro cum Sole mica. sic cerneris orbi,
Teque repertorem suspicit ille suum,
Qui mediis Solem disponit sedibus, illi
In medio Solis debuit esse locus.

Nobilissimo viro

D. IACOBO WESTERBANIO

Domino in Brandvvijck.

QVi lepus augustis insons cadit hostia mensis,
Insolitas nobis præbuit ille dapes.
Forte quid augustum fingunt scribuntq; poëtæ,
Atque aliquid Musæ nobilitatis habent.
Prælucent humili Gracchorum stemmata turbæ,
Æneadumque suo sanguine surgit honos.
Hoc illustre, sua Paulos prætendere genti.
Aut claris Latii patribus esse satum.
Nec tu degeneres, vel solo carmine, vates
Crede. suum sub te judice, lumen habent.
Si mea regales cecinerunt carmina tedas,
Auriacos toties si cecinere Duces,
Si toties procerum vultus, si scripta fuere
Funera & exequiis fulgida busta suis,
Quam bene me censes judex bellaria regum,
Eximiasque Ducum promeruisse dapes.
Vt quo nobilium trivit præconia vates,
Illo nobilium conterat ore cibos.

Ad doctiſsimum Iuvenem CONRAD. BEVNINGIVM.

OPtima Beuningi ſoboles, tua carmina legi
Lætior, ingenii pignora verna tui.
Si valeo, melius te ſic ſcribente valebo.
Et tua ſpes noſtræ Muſa ſalutis erit.
Illa meo lentam proſcribet corpore febrem,
Languiduloſque mihi fulciet illa pedes.
Ver favet, & primi facies clementior anni,
Cunctaque in auxilium ſidera prona meum.
His tua præſidiis accedant carmina, ſic te,
Sic totus, Phœbo vindice, ſoſpes ero.

In Coronam anni diſerta Oratione deſcriptam à cl. viro THEODORO SCREVELIO.

QVid ver purpureū, quid turgida meſſibus æſtas,
Autumnuſq. ferax gignat & acris Hyems,
Fecundi tot dona ſoli, tot munera cœli
Implicuit ſtrophiis iſta corona ſuis.
Quaque renaſcentem decurrit Signifer annum,
Munificum celebrat lingua diſerta Deum.
Cùm Superis Aries æqualem dividit orbem,
Et calet à radiis languida terra novis,
Exerit ipſa ſuas gliſcens facundia voces,
Neve decus fandi dividat, una capit.
Cum premit ardentem lampas Phœbaia Cancrum,
Vltimaque Arctoos meta fatigat equos,
Altius in Divûm graditur præconia Rhetor:
Nec tamen hic Suadæ meta futura ſuæ eſt.
Quod ſi Libra pares terrarum fecerit horas,
Æthereas vocum pondere librat opes.

Mox

Mox ubi claudit hyems effœtæ viscera terræ,
Et sua jam moriens pignora Vesta tegit:
Invenit in medio manifestum frigore Numen,
Et varia Superos fronde latere docet.
Cedite Romanæ victricia serta coronæ.
Hæc, quo non uno nomine præstet, habet.
Hanc Pietas, illam tumidi coluere Quirites.
Illa omnes, solos ambiit illa duces.
Si Latium Batavis præfers, conferte Coronas;
Hæc hominum manibus texitur, illa Dei.

Ad
ZVLECHEMI DOMINVM
CVM
ANNAM MARIAM
Virginem Vltrajectinam è tenebris in Solem protrahi cuperet.

SI cupis, ut claro spectetur sole virago
Mascula, & in medio luceat Anna die,
Omnis doctorum pandatur scena sororum,
Et Clariæ veniant in tua verba nurus.
Dic, nunquam Aonias tenebris latuisse Camœnas,
Carminibus sexum dic viguisse suum.
Pallada dic, dic facundas scripsisse Columnas.
Dic lyricis Sappho claruit illa modis.
Obiice, quæ magno Aspasia est sociata Pericli,
Obiice Cassandras, obiice Zenobias.
Obiice Deiphoben, vivacisque ora Sibyllæ,
Et dic: Lucani Polla diserta fuit.
Claudia quàm fuerit Statio celebrata poëtæ,
Quæque Crati vixit docta marita comes.
Hæc ubi præclara obiicies exempla puellæ,
Exemplis cupiet clarior esse tuis.

Sic totum elicies è docta virgine solem,
Et Solis fies tu pater, illa parens.

In Mercatores in cloacam lapsos.

DVm sibi magnificas mercator splendidus ædes
Quærit, & ex emptis lucra petuntur agris;
Corruit emptores quæ ceperat area tantos,
Et nitidos mersit fœda cloaca viros.
Stillabant lento lachrymantia serica tabo,
Et facies scenæ vociferantis erat.
Tunc risit natura parens. & sordida dixit,
Quæ petitis cives commoda, stercus olent.

In Dæmonem vitro Hermetice inclusum Iocus.

ADspice in angusto conclusum Dæmona vitro,
Et Stygium pulchra sede latere Deum.
Hic domus hic nigri pellucet regia Ditis,
Tartareoque patet janua nulla Iovi.
Hoc dubium: natura sagax an dextera solers
Fecerit argutæ pulchrius artis opus.
Plaudite mortales, captum Phlegethonta tenemus,
Et capitur nostris subdolus ille dolis.
Quàm cuperem totum his claudi penetralibus Orcum.
Sic liceat nobis tutius esse malis.

ECHO
Iocosa ad Nobilissimum virum
D. THEODORVM DOVSAM.

NObilium sanguis, magni rediviva parentis
Gloria, tot suetus fratribus ire comes,
Cujus Apollineis resonans in rupibus Echo
A viduo resonum vate reposcit epos:

Quid

Quid misero mihi, quid toties clamatur? amatur.
Quæ nimium lento crux in amore? moræ.
Posco individuam? viduam. cum conjuge quæ spes?
Æs. quibus hanc terris inveniam? veniam.
An placidi mores? ô res. ut forma marita est?
Ritè est. num vates deprecat? preciat.
Versiculos lectura venit? venit. anne recondet?
Condet. an excellens ingenio? genio.
Num Phœbo furit? urit. amans testudinis illa est?
Illa est. an modulis præfuerat? fuerat.
Ambo pares studiis sumus & virtutibus ambo.
At quid si loculis me superabit? abit.

In Nobilissimi viri
GODEFRIDI de HAESTRECHT
Musæum Basilicæ Vltrajectinæ annexum.

INter templorum vivis laquearia & istud
Augusto pietas fornice pectus habet.
Altius hic, Vir magne, habitas, mentemque do-
Celsius ignavæ plebis honore levas. (mumque
Astra vides & visa capis, Solisque labores
Et Lunæ varias scis, Godefride, vices.
Si faber ingenio darer, inter sidera, cœlos
Inter, Phœbe, tuos tecta domosque darem.

Ad Præstantissimam matronam
ANNAM WICQVEFORT
uxorem Nobil. viri
IOACHIMI VVICKEFORTII.

QVa mea selectis recreas mœstissima mensis
Tempora, nec solitas me cupis esse dapes,
Optima VVickforti conjux, venerabile nectar
Ambrosiamque tibi destinat aula Deûm.

Tu mihi, tu vitam reddis placidissima, curas
Tu facili toties discutis ore meas.
Si superûm pater, in cœlo si Iupiter essem,
Magna Iovis conjux cederet ipsa locum.
Illa cibos tibi porrigeret. mortalia donas
Tu mihi, plus cœlo traderet illa Tibi.

In natalem filioli Amplissimi Viri ANDREÆ BICKERI, Consulis Amstelodamensium.

DVm tuus arboribus vernat juvenilibus hortus,
Consul, & in patulis luxuriatur agris,
Dum nova ab aridulis prolectat gramina campis
Iupiter & siccos corrigit imbre lacus,
Dum crescunt lætæ salices, dum parturit amnus,
Et pulchris surgit fraxinus ordinibus,
Naturam sequitur mater Bickera, domumque
Consulis egregiæ prolis honore beat.
Crescite nunc horti melius. nunc arva virete
Lætius, uberius gramina funde Pales.
Parturiit genitrix. pudor est, dum consulis uxor
Mascula progenerat pignora, rura mori.

Aliud.

ABstulerat, vir magne, ferox Libitina Iohannam,
Et spolium subitæ filia mortis erat.
Non tulit hoc Lucina malum. cur perdimus, inquit,
Recturam digna posteritate domum?
Si tantum Libitina fuit tibi juris in illam,
Vt tua virgineum tolleret ira caput:
Ius vitæ sobolisque meum est. dispendia fati
Restituet Superûm, me praeunte, favor.

Pro-

Progenuit Bickera marem. tunc omine lato
Dicitur hac Lachesis verba locuta patri:
Hic Bickerus erit, clari gaudete penates,
Hac soboles priscos mascula reddet avos.
Hic hares virtutis erit. si vivere terris
Fata sinent, de te consule consul erit.

Ad MARTINVM LOONIVM itineris socium.

QVi comes & cymba pariter curruque fuisti,
Quem socium tellus, quem dedit unda mihi;
Qui lepidus totas potuisti fallere luces,
Cum flueret vicibus fabula crebra suis:
Quem pluvia vetuere sequi leporesque ferasque,
Quem pluvia mecum detinuere domi:
Iam Looni dilecte vale. nos Amstela rursus,
Nos vocat ad veteres latior Ya lares.
Si leporum sperata duos captura fefellit,
His tua nunc lucrum majus amicitia est.

Ad generosissimum virum, CHRISTIANVM FRISIVM, cum Angliam peteret.

ANglia, si Frisii nomen, si numina nosti
Sueta sub Arctoo regibus axe loqui:
Excipe laudati germen praelustre parentis,
Et Tamesi tantum vindice pignus ama.
Parrhasium genitor curis prudentibus orbem,
Et studiis fulcit Balthica sceptra suis.
Dum soboles per regna procul terrasque vagatur,
Et fugienda sibi vel facienda notat,

Tu fluctus compone tuos, compone procellas,
Tu Frisio facilem per mare sterne viam.
Sidera si mœstas recreant orientia terras,
Hunc juvenem fausti sideris instar habe.

In nummum Triumphalem
BREDA
recepta excusum.

INcubat & mediis Batavûm Leo frendet in armis.
Et ferus immissis unguibus ista tenet.
Hic gladios hastasque vides, vexilla, globosque,
Et varium dextra bellipotentis opus.
Breda jacet cumulatque tuos, Frederice, triumphos,
Et domino gaudet succubuisse suo.
Cingunt graminea validissima mœnia gleba,
Clauditur & clausus vincitur hostis Iber.
Sculpite res tantas Batavi. non sculpitur illud:
Oppida nunc vinci; nunc mihi sculpta dari.

In prædium
D. ADRIANI PLOSII,
Equitis, absente domino à me
lustratum.

VIdimus Amstelii surgentia culmina Ploosi,
Vidimus illustrem nobilitate domum.
Tunc risere oculi, cum vidimus omnia; sed cum
Non vidi dominum, plus doluere oculi.

In

In libros Ephemeridum clarissimi viri
ANDREÆ ARGOLI
Mathematici Patavini.

IN cœlis habitare Ioves non miror, & astris
Non procul amotos dicere jura Deos.
Qui terris dant jussa, suis contermina terris
Imperiisque duces proxima regna tenent.
Argole, tu terras habitas & sidera versas,
Atque alio superos fixus in orbe vides.
Tu Phœbo Lunaque vias & tempora signas,
Tantaque spectator corpora pone premis.
Disponit grandes humana industria mundos,
Terribilesque nova contrahit arte faces.
Hic habitas, atque omne latus percurris Olympi,
Et secreta Deûm vastaque regna notas.
Sic cœlos meruisse potes. Si Iupiter essem,
Non tibi terra domus, sed Iovis aula foret.
Qui convexa, Deos, qui luces ordinat, inter
Debebat medios hic habitare Deos.

In titulum
CELSITVDINIS
à Christianissimo Galliarum rege
donatum Principi
AVRIACO.

GAllia, quæ nostris junxisti fœdera terris,
Gallia, quæ socias jungis in arma manus;
Gallia, quæ Batavo ostendis sat prona Leoni
Lilia, & Vnanimes erigis una Patres:
Auriaco nunc prona faves. Comitisque Ducisque
Nominaque & titulos splendidiora facis,

Ille suis celsus Princeps virtutibus audit.
Et jam Borbonio judice Celsus abit.
Non celsum, Lodovice, facis, das nomina solum.
Sic vocitasse tuum est: sed meruisse, Ducis.

IN OLOREM
mihi ab Ampl. viro
IACOBO SAS,
Senatore Vltrajectino, missum.

FIngitur ipse suo cantare in funere cygnus,
Indubiaque notam carmina mortis habent.
Fallimur. hic tuus instanti modulamina fato
Nulla dedit. siluit jam moriturus olor.
Sed postquam conviva meus discerpsit olorem,
Et Sponsæ factus victima grata fuit:
Me fatalis olor fecit post fata poëtam.
Et quæ cantillo carmina, jussit olor.
Fabula si ficta est, vatum mendacia vates
Corrigit, & cygno nunc moriente canit.
Dum mea cygneas imitantur tempora plumas,
Ingemit extremum fortè senecta melos.

In liberationem Captivorum in arce Lupesteinia.

QVos tristes tenebræ, formidatique penates
Ferrataque diu detinuere seræ,
Excessere omnes latebris. sic, victa dolore,
Ipsa sibi pietas repperit arte viam.
Et quod non potuit precibus, jam perficit astu,
Fortunæ vindex ingeniosa suæ.
Claudite, Idumæi, vasta sacra funera petrâ,
Et tumulum armiferis cingite militibus,

Claudite vos Christo famulantia nomina, Belgæ,
Et captos totis cingite fluminibus.
Nil agitis. cessere Deo custosque foresque.
Iam famulis, illo vindice, claustra patent.

In quercum, ex arido & mortuo stipite mediis in aquis nascentem, in prædio Nobil. viri D. SCHONCKII.

ADspice. ab exucco tollit se stipite quercus,
Et medio veluti funere vita redit.
Ista resurgentis certissima symbola carnis
Suspice, qui dubitas talia posse Deum.

Ad Arturum Ionstonum Medicum Regium.

GAllia Ionstono celebris fuit. itur in Arcton,
Grandiaque Arturi nomina Scotus amat.
Crescit virtuti precium. sibi vendicat illum,
Et Tamesis tantum possidet aula virum.
Clarior invictis vates sub regibus audit.
Et Clarias ornat purpura crebra Deas.
Nunc Carolo mens ista vacat. regisque saluti
Dum studet, incolumi Principe quisque valet.
Officium Medicina facit Phœbusque. nec ostrum
Funus ab ingrata posteritate timet.
Sceptra canit sanatque simul. cum fata minantur,
Ille diem regi protrahit, ille decus.
Vita duplex regi conceditur. una medentis,
Altera, vel Carolo judice, vatis erit.

In effigiem Ser. Pr.

BERNARDI

Saxoniæ Iul. Cl. &c. Ducis.

ADſpice Germanis referentem ſigna Camillum,
Et nullo fractum turbine cerne Ducem.
Dum pacis belliqué vaga eſt fortuna, triumphos
Colligit, & fuſo victor ab hoſte redit.
Captivoſque duces & magni Cæſaris urbes
Apponet ſpoliis, Mars violente, tuis.
Saxonicæ ſpes ſera domus & ſtirpis avitæ
Gloria, VVimarios pone relinquit avos.
Saxone ſic Cæſar, ſic gaudet Saxone Gallus,
Et diſtincta Ducum prælia cauſa facit.
Alter in Arctoas acies, ruit alter in Iſtrum,
Tantaque diſſimili bella nepote vigent.
Federibus pugnat noſter, Celtamque Gothumque
Armat, & hac ſummis regibus arma probat.
Oppida, regna capit. frenoque auguſta cöercet
Flumina, & Alpinis belliger audit aquis.
En, ſuſpenſa nitent mediis anathemata templis.
Fornicibuſque Deûm parta trophæa volant.
Hoc, Bellona, ſtupe: VVitikindo rege creatum
Tandem pro Gallo Saxona ſtare ſuo.

In filiolam natam

CONSTANT. HVGENIO,

poſt quartam prolem maſculam.

I.

HActenus auſpiciis thalamos auxere ſecundis
Sidera, ſed ſolos quæ genuere mares.
Iupiter, Hugeni, partes exorſus amandi eſt.
Et puero ingenium mite decenſque dedit.

Alter

Alter ab Odrysio est. &, ni mea carmina fallunt,
Belligeras quatiet Martia dextra faces.
Tertius imbelli debet cunabula Phœbo,
Et Claria discet plectra movere lyra.
Quartus Atlantiada secundo nascitur astro,
Verbaque jam patria format & ora sua.
Restabat Deus ille senex & falciger ignes
Cœperat in thalamos explicuisse tuos.
Cum Venus & Dictynna comes, Saturnia contra
Oppressere suis sidera sideribus,
Et tristem pepulere Deum. Lucina puellam,
Edidit & gratas fecit amica vices.
Exultas hac prole pater. dumque adspicis illam,
Cernis in hac Phœben, cernis in hac Venerem.
Non decuit tristi sobolem tibi sidere nasci,
Qui tetricos hilari pellis ab ade deos.

I I.

Portia si genita est, genita est nova nata Catoni.
Tullia si, soboles hac Ciceronis erit.
Clælia si fuerit, fluvios tranare virago,
Et reges poterit fallere virgo novos.
Dic fore Penelopen: alius nascetur Ulysses.
Palladа dic: poterit Iupiter esse pater.
Dic Sapphum: poterit pulchro nupsisse Phaoni.
Dic Pyrrham: cupiet Deucalione frui.
Dic, Tanaquil fiet: fatorum prascia mater
Forte geret Latii sceptra superba soli.
Singula si fiet: tantum duo deprecor illi,
Ne soror aut fiat Castoris aut Hecuba.

Dispar

III.

DIspar sors homini est. dispar fortuna cubilis.
Nubitur haud una condicione thori.
Huic sterilis conjux & inanis gloria lecti est,
Huic solos volupe est progenuisse mares.
Alter in imbellem profundit basia sexum,
Femineumque suo limine syrma trahit.
In te mista fluit duplex fortuna. tuosque
Perficit, Hugeni, femina virque lares.
Macte heros, niveaque pater post pilea vitta,
Te mirare modis omnibus esse patrem.

IV.

ET vates patresque sumus, nunc mascula vis est,
Nunc velut amissa cuspide carmen hebet.
Haud aliter pharetratus amor, nunc optima gignit,
Nunc cum cuspis hebet, deteriora facit.

In Barbaram Thibautiam.

SI rigidos lenit pietas & gratia mores,
Lector, in hoc tumulo Barbara nulla jacet.

II.

VIrtutum fecunda, sui laus maxima sexus
Hic jacet, & pergit virginitate frui.
Nulli tacta viro, talem se reddidit astris,
Et qualem genuit mater, Olympus habet.
Virgo decens, facilis, comis, mansueta sagaxque,
Dic mihi, quo casu Barbara dicta fuit?

Ad

Ad Nobilifs. virum
LODOVIC. van ALTEREN,
Domini in Iaersfeld filium.

VIdimus ad placidum pratoria ſplendida Leccã,
Vidimus arboribus prædia cincta ſuis.
Vidimus expanſos pulchris quincuncibus hortos,
Vidimus exculti jugera multa ſoli.
Turturis innocuos gemitus audivimus, & nos
Cydonio fragrans flore refecit odor.
Præbuit aſparagus guſtanti fercla palato.
Præbuit exactas agna tenella dapes.
Delicias inter tantas, quam tangere poſſes,
VVavera, Iaersfeldi, defuit una tibi.
Vt ſenſus capiant omnes ſua gaudia: jam dic:
VVavera blanda veni, VVavera ſponſa veni.
Vates noſter adeſt. nam quæ tibi baſia mille
VVavera defigam cominus, ille canet.

In
CONSTANT. HVGENII
filii, pileolum.

PIleus in ſummo nutat tibi vertice. qualis
Inſtabili regum vertice nutat apex.

In ejuſdem humeros.

His humeris forſan patrium portabis Olympum,
Qui juvenis jamnunc fers Helicona tuis.

In ejuſdem manus.

Non hirſuta tibi manus eſt. ſcis, optime, cauſam?
Hirſuto fratri non volo te ſimilem.

In

In palliolum ejusdem.

Serica quantumvis velent Te pallia, non es
Græculus, at nudo pectore Belga pates.

In thoracem ejusdem.

Thoracis pars clausa tibi est, pars una patescit.
Cur? quia cum loqueris plurima, plura siles.

In femur & femorale.

Si femur & femorale tuum mihi gignere Bacchum
Posset, adorandum sternerer antè genu.

In caligas & ocreas.

Ne fias Cæsar, caliga qui nomina gessit,
Abscondit caligas ocrea densa tuas.

In pedes.

Est, bene quem novi, bipedum nequissimus. at Te
Quadrupedem glacies vidit & alipedem.

In chirothecas ejusdem.

Claudit theca manus. si nobis porrigis, audes
Impurum nobis porgere fortè canem.

In umbilicum ejusdem.

Nugarum satis est, ephebe Constans,
Iam pervenimus usque ad umbilicum.

EPITAPHIVM
Domini van
DYDEN
Victoris & Gubernatoris VESALIÆ.

QVo victor stetit, hoc recubat sub pulvere victus,
Atque eadẽ fama & mortis arena Duci est.
Qua titulos, illa tumulum quoque sede meretur,
Et tantas una sentit in urbe vices.
Hic lauros parat & pronas in fata cupressos
Belgica, & officium præstat utrumque tibi
Maxime Dydeni. quæ victrix mœnibus hisce
Visa fuit, dominum baiulat illa suum.
Quasque ferox portas ferro Bellona reclusit,
His testis facti fit Libitina tui.
Quique triumphanti cives plausere, jacentem
(Si modo fas fieri militis ossa) dolent.
Hac tamen exequias specie solamur: eundem,
Qui tuus, Hispani nominis esse rogum.

In Veterum dicta ab amplissimo viro
D. N. N.
collecta.

HÆc sunt Socratica, Frisii, præcepta senectæ,
Hac Latium, hæc voluit Græcia docta loqui.
Errant immixta salibus, ceu sesama, gnomæ.
Et gravis hic satur cum Cicerone Cato.
Mirantur sua verba Thales Solonque Biasque,
Sensaque subtilis lector acuta stupet.
Invenit hic vocum globulos juvenisque senexque,
Invenit hic mores femina virque suos.
Discit amor, discit livor, malesana voluptas
Spernitur, insanus vapulat, ira sapit.

Ferte

Ferte gradum, quotquot melioris gratia dicti
Dogmataque argutos ingeniosa movent:
Pagina quaque Schola est, & nostra regula vitæ.
Et præceptores mille libellus habet.
Discitur hic monitis probitas, interque tot ævi
Crimina, nos faciunt secula prisca bonos.

In

GVILIELMVM

Principem Auriacum, cum novæ Domus, quam Sagittariorum vocant, fundamenta Hagæ jaceret.

I.

HÆc est Auriaci patriam servantis imago.
Hæc teneri species suspicienda Ducis.
Ædificat, primusque puer fundamina tecti
Ponit, & imperii dat documenta sui.
Vna manus gladium, lapidem gerit altera. cives
Scilicet illa suos asseret, ista domos.

II.

SVspice surgentis specimen spectator Iüli,
Et lapidem, dextra quem gerit ille, nota.
Hic lapis est, quo tota domus se machina fulcit.
Hic lapis est, ista primus in æde labor.
Hic lapis est, quo stante domus subducta ruinæ est.
Si ruet, hac primùm parte ruente ruet.
Tu Batavûm lapis es, Princeps Guilielme, salusque,
Sospite quo constant, quo moriente cadent.
Vt patriæ fortuna tuis se vindicet ausis,
Prospera das genii signa fidemque tui.
Fit tandem lapis iste domus; tu parvule, princeps.
Crescunt principiis tecta Ducesque suis.

Ædifica

Ædifica puer, ædifica dum tecta struuntur,
Auguror à puero nunc quoque regna strui.

III.

HÆc domus est, quam tot ferient impune sagitta,
Hæc domus est arcuş testis, Apollo, tui.
Fundamenta locat teneris Guilielmus in annis.
Et fictis jamnunc ludit imaginibus.
Conditur armorum sedes, jocularis arena.
Incoat imbellis bella futura puer.
At postquam firmata virum perfecerit ætas,
Tela Ducis propius sentiet hostis Iber.
Sic puer, Ausonias dum territat Hannibal arces,
Ante suos jurat Punica bella Deos.

IV.

VOs ô, vos sancti Manes gaudete Georgi,
Fulmineo cujus concidit ense Draco.
Auriacus tibi sera locat jam tecta domosque,
Ordinis Auriacus pars speciosa tui.
Hunc tu forma equitem, studisque virilibus apta,
Et tua Nassovias impleat hasta manus.
Si tibi victori quondam cecidere dracones;
Illius Hesperius concidat ense Draco.

In
ARNOLDVM & CHRISTINAM
Satrapæ Muydensis liberos optimis artibus initiatum par.

IMbibit Arnoldus Latiæ præcepta Minervæ,
Et Christina potest verba latina loqui.
Ad numeros frater canit & soror æmula fratris.
Hæc facies parvi Castoris, hæc Helenæ est.

Crescite

Crescite præstantes pueri & præludite magnis.
Vestra patri messem nunciat herba bonam.

Ad
CONSTANT. HVGENIVM
Fil. cum carmine suasisset deditionem Sagunthi, Frater Christianus dissuasisset.

NVper ad obsessam Pœno oppugnante Sagunthū,
Scripsisti heroo carmina fulta pede.
Vis dedi miseram attritis jam civibus urbem,
Dum malè consultans Roma moratur opem.
Hugeni, placuere mihi versusque laborque,
Sed potuit solus displicuisse timor.
Plus animi, plus frater habet constantis Ephebi.
Cui potior visa est deditione fames.
Tu Christo, quia bella vetas & funera Rhetor,
Has poteris partes fortè probare magis.
Χριστιανὸς *meruit sic Constantinus haberi,*
Et Constantinus nomine, Χριστιανός.

In prædium
CONSTANTINI HVGENII
Vitaulium, quod ad fossam Voorburgianam conspicitur.

PArva domus, magni domus hospitis ista, Viator,
Ad placidas, Haga proxima, surgit aquas.
Tusculi si quaris, Zulechemi Tuscula sunt hac.
Invenit hic Tybur publica cura suum.
Hac fessa Cajeta patet peramabilis aula.
Hic Capreæ, studio sed meliore, jacent.
Hoc doctis toties Prytaneum arridet amicis.
Hic socio Pollux Castore latus agit.

Lucullo

Lucullo si villa fuit, cui Pallas, Apollo,
Nomina cui quondam clara dedere Dii,
Hoc etiam nobis Batavis in Apolline cœna
Sumitur, hac etiam Pallade sumat olus.
Gaudet & alternis fruitur mens provida curis,
Et placet officiis exonerata quies.
Est animis studiisque suum nimis. expetit oti
Commoda, qui patria vult studuisse sua.
Aula Ducem curat, dominum hæc Vitaulia. quantum
Illa sapit, cupiunt hac sapuisse minus.
Iam similis Zulecheme, Iovi es. qui fessus Olympum
Deserit & pransum vadit ad Æthiopas.

Nobilissimo viro
D. IOANNI FORESTO,
Consiliario, cum una mecum rate veheretur, post intermissa aliquot lustris amicitiæ officia.

Felix, quæ veterem mihi conciliavit amicum,
Et vatem vati junxit amica ratis.
Crescit amicitiæ titulus, dum dulcis Iacchi
Nimbulus adspergit, docte Foreste, duos.
Ipse ego, ne tanto credar non dignus amico,
Hoc tibi Reginæ trado, Senator, epos.
Sic dixi & cecini Mariam, triplicisque coronæ
Mater in his chartis seque suosque legit,
Auriacique Ducis thalamos, venerandaque Belgis
Fœdera, & hinc Regum, Cæsaris inde domos.
Debemus quam multa rati. post prandia, Musas,
Te penè amissum reddidit illa mihi.

In diem Veneris, Cruce & Passione Servatoris nostri funestum.

QVisquis adorandi juras in nomen Iësu,
Non Veneris, Christi sed venerare diem.
Pendet in infami peccantum gloria ligno,
Et cœli soboles creditur esse nocens.
Affligit Patris ira. Patris qui mitigat iras.
Seque mali alterius vult Deus esse vadem.
Quam spectas trabe, concurrunt altare, sacerdos,
Victima, & in tanto funere culpa deest.
Spectator reus est, moritur sine labe redemptor,
Scena laborantis Numinis ista fuit.
Non hunc Phœbe diem, fecisti gratia. lux hæc
In media scelerum nocte serena micat.
Quid natura pudes? cur Sol sine crimine luges?
Conveniens causa plus pudor ille mea est.
Vultus ipse meos, Christo moriente, recondam.
Detegat ut vultus lux rediviva meos.

In Poëmatum REINERI NIEVHVYSII Alcmariani rectoris libros.

CVr hederam doctis poscis, Reinere, libellis?
Non opus est hedera deficiente tibi.
Ipse tuo radias vates fulgore. facessant
Lumina, luminibus non satis æqua tuis.
Scandere Parnassum nuper mihi visus, in ipso
Culmine stas, & jam celsior ire paras.
Deficiunt apices. noster miratur Apollo,
Talia nascentes scribere posse Scholas.
Nam postquam sapuit sub te rectore Iuventus,
Ipsa, domus Phœbi, Cirrha relicta fuit.

In Expeditionem
FLANDRICAM
hinc Galliarum Regis, illinc Ordd. Federatorum.

FLandria, qua gemino nunc oppugnaris ab hoste,
Et bellatrices adspicis agra manus,
Hinc Gallo exultante, hinc insidiante Batavo,
Prospice fortunæ damna futura tuæ.
Imminet adversis Francorum purpura turmis,
Iamque tuum victrix Gallia littus habet.
Parte alia terris magnus Dux incubat. & nunc
Auriacum grandu Ganda timere potest.
Cingeris excubiis latè Regumque Ducumque,
Inque tuum jurant fœdera tanta caput.
Prima potens Grevelinga ruit Brugæque tremiscunt,
Et portis metuit VVasia tota suis.
Expeteris spolium populis. vis salva tueri
Omnia? vis priscis esse beata bonis?
Lilia Belgarumque libens venerare Leonem,
Finitimisque soror gentibus esse velis.
Displiceat tibi solus Iber, vicina placebis.
Quique tuus noster Flandria civis erit.
Omnis in inviso lis hæc versatur Ibero.
Vnum hoc bellorum nomina nomen habet.
Pelle homines nomenque. tuis concordia terris
Hac & non aliâ conditione datur.

In

GREVELINGAM:

Flandriæ frontiſpicium ſub Rege puero captam.

EN, puero cedunt urbes, & regius infans
Belliger in Morinûm fin.bus arma quatit.
Ipſa Ducem fundunt cunabula. natus in ostro
Naſcitur in portis victor, Ibere, tuis.
Laurea prætextam decorat. Bellona triumphans
Vagit & è tenero fulminat ore minas,
Accenditque faces belli. & metuenda revellit
Oppida. & impubis præmia Martis habet.
Quondam victa viris ſpolium Grevelinga juventæ eſt.
Formaque regnantis parvula, grandis ovat.
Flandria quàm metues, quàm formidabis adultum,
Qui puer in frontem verberat Auſtriacum.

In

GREVELINGAM

captam tempore Conventus Monaſterienſis.

QVa vallis, quæ ſe foſſis Grevelinga tuetur,
Cui totum faciles commodat æquor aquas,
Gallia quam vultu adſpexit vicina ſiniſtro,
Quam prima validam Flandria fronte locat,
Illa dolis toties & inexpugnabilis armis,
Corruit, & victas dat generoſa manus.
Degeneri nec ſorte cadit. ſub Rege ſatiſcit.
Non niſi regali cedere ſueta manu.
Aurelio Duce pugnatum eſt, ringente Philippo.
Et velox belli viſa procella fuit.
It ſoror in fratrem. ſolum diſcordia regni eſt.
Ambo pro populi bella ſalute gerunt.

Tu-

Tu Duynkerka time. victori proxima Gallo es,
Et pavidum claudunt Celtica signa latus.
Scribite Vos medii pacis commenta Cheruscis.
Scribite quid magni Cæsaris aula velit,
Quid Cimber, Sueonumque patres. qui subruit urbes
Et pacem victis imperat, ille facit.

In menses XII. à IOACHIMO SANDRARTIO pictos, & Bavarûm Ducis Filio inscriptos.

CVi patriis vernans crescit virtutibus ætas,
Et pietas certam spem facit ipsa sui:
Accipe Zodiaci menses & sidera, Princeps,
Et toto Solis tramite sospes age.
Qui puer imperii tot signis emicat, illi
Fas est Signiferi tot famulare faces.

IANVARIVS.

IAnus adest, geminoque bifrons sua lumina Phœbo
Objicit hunc veteri proximus, inde novo.
Frigidus humentem profundit Aquarius Vrnam,
Et liquidas stringit vis glacialis aquas.
Sulcamus ferro fluvios, portamur ab undis.
Dum gelidus solem quærit in igne senex.
Ponite, mortales, veteris tot nomina culpæ.
Hic veniens aliis moribus, annus eat.

FEBRVARIVS.

EN fervent calidæ, cœli sub Piscibus, ollæ.
Et dapibus gaudet fœta culina suis.
Cruda jacent passim laxis obsonia mensis.
Materies laudis quanta, Magire, tua est.

Qui Curios simulant, jam Bacchanalia vivunt.
Et Stygio vultu dissimulatur homo.
Vera loquar: quisquis ficto sub dæmone prodis
Stultitiam, multum dæmonis intus habes.

MARTIUS.

MArtius hic à Marte animos & nomina sumit.
Inchoat hoc veteres Itala terra dies.
Ver oritur pellitque trucis tot tædia vitæ.
Et captura maris piscibus ampla datur.
Pellitur in scopulos puppis, totum æstuat æquor.
Et socio tonitrus fulmine summa ferit.
Dum medium lampas Titania scindit Olympum,
Virtutis medium nos teneamus iter.

APRILIS.

TErribilis cœlo vernantem trudit Aprilem
Taurus & adstrictam frigore solvit humum.
Gramina jam campis redeunt, tot floribus hortus
Pingitur & superûm munere ridet ager.
Prima suam Daphnis vocat ad mulctralia Nisam,
Dum violas calathis colligit ille suis.
Sed tu Nisa cave, occultam ne forte per herbam
Tentet inexpertam Daphnis inire viam.

MAIUS.

NUnc Melibœe tua gliscant in Doride flammæ,
Dumque virent passim prata, virete duo.
Sol est in geminis. gaudent hoc sidere nuptæ,
Et faciles spondent astra benigna thoros.
Cœlum, terra, dies omnes noctesque procantur,
Dum tulipam digitis demetit Ida suis.

Lesbia

Lesbia cur tacitum nutrit sub pectore vulnus?
Dissimilis matri non cupit esse suæ.

IVNIVS.

DVm Cancri chelis Phœbeos implicat ignes
Signifer & summum lux vehit alma diem,
Lanigeras tondet pecudes intonsa senectus.
Et nunquam querulæ vellera carpit ovis.
Quas geritis domini vestes, hæc lana fuere,
Materiam fastus sordida præbet ovis.
Iunius est. assurge puer, dumque ætheris alta
Sol habet, in recti vertice fige pedem.

IVLIVS.

POne premit Titan Nemeæi terga Leonis,
Et ferus exsuccos Sirius urit agros.
Pascua diffusis resecantur gramina campis,
Pabulaque hinnitu belliger optat equus.
Nunc pisces fluviis, gaudet falconibus æther,
Et spoliis aër totus & unda patet.
At tu Nympha tuis pisces quæ retibus abdis,
Effuge amatoris retia vafra tui.

AVGVSTVS.

TRiptolemi jam dona vides Cererisque beatæ,
Quasque ferax messes colligit omnis ager.
Fasciculos Corydon densis adstringit aristis,
Et tot fasciculis horrea plena tument.
Aspicit hæc virgo, & cuperet non virgo vocari,
Et fetus etiam gignere posse suos.
Curia, Palladiæque vacant hoc mense cathedræ,
Cumque facit tellus maxima, nil facimus.

SEPTEMBER.

LIbra dies noctesque pares suspendit in astris,
Et medio Phœbus cernitur ire gradu.
Poma dat autumnus, morbisque alimenta ministrat,
Prunaque, quam spectas, rustica Chloris amat.
Venantur Bavarûmque duces, Bavarûmque juventus,
Et fugiens mediis præda tenetur aquis.
Aëris aura tepet. qui sidera respicis, ignes
Concipe, non tepida relligione, pios.

OCTOBER.

SCorpius adversi dum spectat sidera Tauri,
Pone sequi Caprum Philliridenque videt.
Ecce, novum potat noster Silenus Iacchum
Et sociis risum spongia plena facit.
Grus, anser, merula & turdus, fringilla, scolopax
Advolat in cupidam victima crebra gulam.
Tempestas anni varia est. ea pessima non est,
Fercula quæ denti fert peregrina meo.

NOVEMBER.

IAm nova nobilium mensis obsonia fumant,
Pabulaque in luxum frigida prata ferunt.
Iam dama, lepores, cervi, sunt præda molossis,
Et profugæ laqueis tot capiuntur aves.
Lapsa cadunt folia arboribus. Chironque superne
Flaminaque & pluvias ejaculatur aquas.
Venator toto canibus venare Novembri,
Securus, num sit mœcha marita domi.

DE-

DECEMBER.

DElitet in tenebris, dum lux Phœbea fatiscit,
Cereaque exanguis lumina portat anus.
Nec tamen illa latens Iudæū porca Decembrem
Arguit, hos jugulos horret Apella sacer.
Sus immunda placet nobis. his vivimus extis,
Dummodo cœnosum proluat unda pecus.
Optima sus, quoties tua testamenta resignas,
Me dic hæredem suminis esse tui.

DIES.

PVlcra dies pulchram forma fulgente juventam
Exhibet. ô vita dulcis amica mea.
Irradiat semet radiis, mundumque videndum
Obiicit, inque oculos quæ latuere, rapit.
Solis fida comes surgit cum sole, caditque
Præcipitatque suas sole ruente faces.
Si natura diem nobis concessit, in ipso
Fas est justitiæ nos habitare die.

NOX.

LAnguida, dormitans hæc fœmina noctis imago (est,
Sideribus vestes undique picta suas.
Cingunt demissam Lethæa papavera frontem
Et pueris juxta membra sopore jacent.
Interea pernox ferali carmine bubo
Ingemit, & toto mussat in orbe quies.
Evigila è tenebris anima, & dum cœlica versas,
Displiceat vita nox scelerata tua.

In Incendium Templi AMSTELODAMENSIS.

I.

AMstela, dum subitis flagrant tua templa favillis,
Et pereunt uno sacra laresque foco;
Dum nudata suo fumant fastigia tecto,
Horrescitque aliis ipsa ruina minis;
Creditur hæc vultu nobis dixisse sereno
Relligio & dictis vix gemuisse suis:
Tunc vigui, cum nulla humilis mihi conderet orbis
Culmina, nec pulchro fornice culta fui.
Cum templum spelunca fuit, latebraque ferarum,
Araque de viridi cespite staret inops.
Cum silvis latuere pii, cryptisque fideles,
Et mediis Christi vox resonaret agris.
At postquam nitidis fastu sum tradita templis,
Et Regum impensis tam preciosa fui;
Et meus augustis voluit me claudere cultor
Sedibus, & cœtus hic habitare meos:
Defeci, miseraque mihi cultusque decorque
Languit & forma vis veneranda mea.
Cordibus intepui, & dum comta, superba frequentor,
Decessit studiis gloria vera piis.
Audivit mea verba Deus. flagrare penates
Iussit & in cineres nobile vertit opus.
Discite mortales, tectis secernere Numen.
Nec lapides summum claudere posse Deum.
Illa malos justosque capit Domus. intus honestum
Quæ colit & Christum possidet. una Dei est.

II.

TEcta ruunt, cecidere trabes, tabulata, Coronæ,
Sacrataque Domus Area nuda patet.
En, Veri domus illa fuit. nunc cernitur illud.
Sublato flammis tegmine, nulla latent.
Adspicit ex altis hæc rudera sedibus æther.
Et sacrum irradiat Luna diesque locum.
Hactenus humano sonuit sub judice verum,
Et potuit dictis terra favere piis.
Nunc, quicunque soles mystes cœlestia fari,
Hic poteris, Cœlo judice, vera loqui.

III.

NE lugete Novi, Cives, dispendia Templi.
Hoc locuples vobis dextera reddet opus.
Flagravere trabes. alias speramus ab Arcto.
Et cupiunt silvæ nunc magis esse piæ.
Exiliunt ultro terris Borealibus orni.
Et facili pinus cæsa labore ruit.
Ardua, vix ullis percussa securibus, ilex
Labitur, in sacros officiosa lares.
Hæc lugete magis, Cives, dispendia: flammis
Exuri priscum non potuisse nefas.
Hæret adhuc animis veteris contagio vitæ.
Nostraque ab ignavo frigore corda stupent.
Si magis in cœli cultum pietate calemus,
Vtiliter nobis arserit ista Domus.

IV.

CVm gravis in Solymæ muros incumberet Assur,
Arsit adorando Fabrica structa Deo.
Nec periit tunc salva Fides. stetit illa superstes
Ignibus, atque isto luxit in igne magis.

Ardeat & fœda jam ſit vicina ruina
Hæc Domus, & lapidum corruat alta ſtrues;
Stant, queis nixa fuit, meliori ſorte columnæ.
Quæque domum librant, fulcra ſtupenda manent.
Hinc omen dextrum capimus. ſtant ſalva piorum
Dogmata, ſtat nullo mobilis igne Fides.
Inconcuſſa jacent ſalvis fundamina muris.
Et Pietas in quo noſtra recumbat, habet.
Nitimur unanimes Chriſto. ſi machina mundi
Ardeat, hoc poſſum tutus abire Deo.

V.

QVid gemitis pavidæ matres? quid pectora mœſtæ
Tunditis? & lachrymis tingitis ora piis?
Non gravis eſt jactura boni. decuſſa caluptra eſt,
Et Superûm facies ſpectat aperta domos.
Iam colitis ſine nube Deum, ſine tegmine cœlos.
Sic flamma, ſic vos erudiere faces.

V I.

ARſit ſola ſuis Eccleſia noſtra favillis.
Nec facta eſt damno proximiore nocens.
Tot circum innexi flamma caluere penates.
Et tamen in nullam ſæviit illa domum.
Vndique ſalva atque incolumis vicinia manſit.
Noxaque communis non fuit, horror erat.
Nam quæ vera cupit cenſeri Eccleſia mater,
Noxia filiolis non cupit eſſe ſuis.

V I I.

DVm vera in terris calidis Eccleſia rixis
Quæritur, & veri templa locuſque Dei;
Iamque alius Latia ſuſpendit ab urbe ſalutem,
Alter amat mentis libera ſenſa ſuæ:

Dum

Dum bellis, dum Regum armis hæc ipsa probantur,
Et potior victrix creditur esse fides:
Ridet cuncta Deus querulæ molimina turbæ,
Et veram, mediis litibus, igne probat.

VIII.

NOn Aurora domum sacram, non Vesper adussit,
Sed medio flammæ sævit ira die.
Sol tragicus spectator erat. spectabilis urbi
Res erat, intentis civibus, arsit apex.
Tot testata fuit Majestas testibus iram.
Nec voluit populos ista latere suos.
Supplicium commune fuit. si nostra fateri
Crimina non pudeat, publica culpa fuit.

IX.

In ORGANA exusta.

QVæ toties cecinere Deum, quæ carmine sancto
Tot placuere piis organa, lapsa jacent.
Summa nocent imis. pars hæc malè sævit in illã.
Inque mali partem cuncta ruina rapit.
Igne tubi, pulchri flamma periere canales,
Ordinibusque suis qui sonuere, silent.
Æstuat in dulces rabies Vulcania cannas.
Aptaque centenis vocibus ora liquat.
Confunditque sonos omnes & barbara miscet.
Materiaque artem tollit iniqua suam.
Redde melos solitum Iubal, tot redde loquelas.
Fac iterum nobis docta metalla loqui.
Sic plus in templis Deus & divina placebunt.
Ipsa voluptates Sacra decenter amant.

X.

In exustum SVGGESTVM.

HIc arsit Christi studiis & vocibus umbo.
Nunc ardent flammis pulpita sacra malis.
Hinc nostri tonuere patres, & fulmina quisque
Torsit in humanum relligiosa genus.
Mulciber in sedes & sellas fulminat istas.
Et ferus hic partes cuncta vorantis agit.
Tu flammas lymphis, & toto flumine, Civis,
Obrue, & iratas in tua sacra faces.
Et quos non audis fundi suggestibus altis,
Auditor, monitus, à ratione cape.

XI.

In CORONAS & LAMPADES liquefactas.

QVæ populis luxere faces, grandesque coronæ,
Rudera sunt, fœdo despicienda situ.
Æra fluunt: squallent, quæ mox fulsere, metalla.
Atque aliis facibus disperiere faces.
Quid fiet? tenebris miseri vivemus in ipsis?
Et nulla civis lampade flectet iter?
Amstela, quæ longè facibus præluceat istis,
Fax micat, & certam monstrat ad astra viam.
Illa Dei Lex est, palantis regula vitæ,
Illa præit pedibus lux veneranda tuis.
Decepere faces alios. hæc nescia fraudum est,
Errantesque suo discutit igne faces.

XII.

In SEPULCHRA ruinis adaperta.

QVis furor in sacris? turbant incendia Manes.
Et placidos aperit crebra ruina rogos.
Marmora dissiliunt. inque ipsa cadavera lapsa
Desuper, horribili sorte, stetere trabes.
Credibile est aliquem è tumulo (si cura quietos
Sollicitat) tales ingeminasse sonos:
Parcite, mortales, cineres violare sepultos.
Non hic impietas, quod sibi quærat, habet.
Quid patriam, quisquis facis hæc, inquiris in urnam?
Aut pacata tua conjugis ossa cies?
An, Iudex metuende, venis? & corpora poscis?
Meque resurgentem vis tibi, Christe, dari?
Omnia collucent flammis. hæc ultima mundi
Perditio est. summum sistimur antè Deum.
Saxa crepant, sua frusta vomunt monumenta. piasque
Exuvias altè flamma profana vorat.
Dixerit hæc. sed nos qui vivi vidimus ista,
Dicimus extremum hæc antevenire diem.
Atque has ventura flammas præludere flamma.
O homo, quam grandi nunc monitrice sapis.

XIII.

CVrritis & totam, Cives, confunditis Vrbem.
Et cunctos Templi publicus ardor agit.
Hi scalas validis librant cervicibus. illis
Dissecat adstrictas crebra securis aquas.
Scanditis & celsis altè laquearibus undas
Fertis & immenso luditur igne labor.
Cunctorum pereunt opera. subvectus in auras
Auxiliatricem respuit ignis opem.

Sistite præcipites operas. exstinguier ignis
Nescit & excelso vertice flamma furit.
Quid cælos urnis petitis? demissior hic vos
Plusque nocens animis flamma, perurit humi.
Ardet amor lucri cupidis in mentibus. ira
Æstuat & facibus cæca libido suis.
Huc agiles properate, istas exstinguite flammas,
Huc omnes sanæ fundite mentis aquas.
Expedit hos frigere focos. nil flumina prosunt.
Pabula peccatis tollite, frigus erit.

XIV.

In TURREM & CAMPANAS lapsas.

Labitur ex alto turris, tot salva per annos.
Et lapsu Manes contremuere pii.
Campanæ cecidere, pia pro gente loquaces.
Nec, quod jam populis ara loquantur, habent.
Nempe, luunt pœnas Superis. à cœtibus absunt,
Et procul, in templi vertice, quæque sonat.
Immemoresque Dei, crebra nos voce lacessunt,
Et memores summi Numinis esse volunt.
Hinc mediis lapsæ templis damnantur inesse.
Vox ubi damnatis publica jure silet.

XV.

In effigiem CÆSARIS in vitris exustam.

Exusti periere duces. & Cæsaris illud
Augustum in vitris desiit esse caput.
Quam leve, si vitreus Cæsar subducitur urbi.
Aureus in nummis restat adhuc Carolus.

Accen-

X V I.

ACcendit Latium Didonis flamma poëtam,
Et Phrygii incaluit Principis igne Maro.
Flamma fuit, quæ vesanos accendit Orestas.
Vrit amatores Cypria flamma suos.
Nos quoque, dum sacris ludunt incendia templis,
Vrimur, & vates improba flamma facit.
Attamen in flammis sapimus. quia frigora prosunt,
Carmina frigoribus frigidiora damus.
Dum desunt latices, constrictaque flumina, forsan
Exstinguent istas frigora nostra faces.

In

TEMPLI GALLICI

Et Aulici Incendium, quod accidit Hagæ Comitis, me spectante.

VIdimus infandis Superûm flagrare favillis
Limina. terribiles vidimus igne focos.
Rudera sunt delubra Dei, laquearia sordes,
Quaque precum fuerant atria, sunt cinerum.
Quæ populum Christique gregem campana vocabat,
Liquitur, inque suo funere muta silet.
Organa, quæ modulis recreant cœlestibus aures,
Fœda situ vultus occuluere suos.
Quæ circum monumenta ducum suspensa nitebant,
Virtutum memores disperiere notæ.
Ex alto cecidere enses, calcaria, cristæ,
Depictosque furens flamma peredit avos.
Auriaci periere patris subsellia. quaque
Relligiosa sedet Patria, fumat humus.
Optima vaticinor. Pietas incendia fecit,
Vt flammis caleant pectora nostra piis.

Vt

Vt cedat ferale gelu, quod strinxerat omnes.
Et fervens animi dissipet aura nives.
Forsitan & sacris gliscent in vatibus ignes,
Et novus athereis mentibus ardor erit.
Forsan ab his facibus frendens exuritur error,
Et verum facie splendidiore micat.
Forsitan his ipsis vicinior Aula calebit
Ignibus, inque Deum pronior ibit amor.
Aut Batavûm præmissa acuent hac fulmina Martem,
Flammaque Cantabricos acrior uret agros.
Si malè vaticinor, tu Civis, disce: piorum
Posse quati flammis limina, stare pios.

IN NVPTIAS
Ornatissimi, doctissq; viri
D. IOHANNIS BLAEV
I.V.D. Et Mathematicorum studiorum cultoris serii;
Et laudatissimæ Virginis
GEERTRVDIS VERMEVL.

Quam tibi nunc altæ gliscunt sub pectore curæ;
Quam speciem, Blavi, vultus amantis habet.
Quam tibi vita prior jam fastiditur; & illi,
Conjugis ignari qui periere, dies.
Nil tibi cum libris, vel sicca cortice charta est.
Nec vigiles lassat pagina crebra manus.
Prala jacent. cessant operæ. nec dextera solers
Ordinat ingenii docta reperta tui.
Non jam flammiferos, claro cum patre, penates,
Et spatiis scribis sidera quæque suis.
Pleias ubi, radietque sua cum conjuge Cepheus,
Æmula vel Sponsæ Cassiopæa tuæ.

Ipse suis te subductum cervicibus Atlas
Sentit, & ingenti pressus ab axe gemit.
In terris alii surgunt tibi, Sponse, labores.
Altera adest studiis Sphæra parata tuis.
In qua flammeolos Sponsæ mireris ocellos,
Atque altam videas luxuriare Comam;
Collaque, & in pulchra fulgentia Cingula pallâ.
Quasque sibi Virtus nexuit ipsa Deas.
Si tibi prægrandem versat Ptolomæus Olympum,
Et longo perstat terra quieta situ:
Si tibi prægrandem sistit Copernicus æthram,
Et novus hic gyro nos breviore rotat:
Tertia Sphæra tua est. quæ jam tibi nubilis adstat.
Sphæra novi motus, Sphæra quietis amans.
Hunc orbem, Vir docte, tuis virtutibus orna.
Hic Veneres omnis pone Cupido tuas.
Quodque rei caput est; Tu, Blavi, volve puellam.
Et dic: Sphæra meis volvitur ista jocis.
Quare polos, axemque vigil. dumque omnia laudas;
Tota tibi fiat femina Zodiacus.

In effigiem
GVSTAVI
Suecorum Regis.

HÆc Martis facies, hæc magni Regis imago est.
Talia Gustavus belliger ora tulit.
Se major Natura fuit, cum gigneret illum,
Et statuit posthac gignere nolle parem.
Vnus Pellæo juveni si succubat orbis,
Huic orbes poterant succubuisse duo.

In effigiem
FREDERICI
AVRANSIORVM PRINCIPIS
equo insidentis.

QVem procerum votis, populi quem voce petebas,
Fortuna columen suspice, Belga, tua.
Talis erat Cyri facies, cum vinceret urbes.
Hac species Pyrrhi belligerantis erat.
Talis Pellæo sonipes surrexit alumno,
Et magno domiti frenduit orbis hero.
Auriacos hic portat equus. natumque patremque.
Hic decus invicti fratris & ora vides.
Tres coiere Duces, & quæ divisa beatos
Efficiunt, uno in Principe mixta fluunt.
Collige Roma tuos vario ductore triumphos,
Imperii finis Tigris & Ister erunt.
Promovit Fredericus iter. jam pugnat ad Indos.
Ignotoque procul sidere bella gerit.
Surgunt cum Phœbo tituli. cum mergitur ille,
Occiduis victrix gloria surgit aquis.
Horret Iber, miratur Arabs, formidat Hydaspes,
Istaque longinquus nomina Persa colit.
Nec satis est pugnasse Ducem. respublica felix
Pacatæ laudem relligionis habet.
Libertas secura domi, quæ vicimus, inquit,
Non tua sunt, Princeps, commoda. civis erunt.

In effigiem Nobilifs. viri
PETRI HOOFT
Prætoris Goilandiæ & Satrapæ Muydenfis.

SUfpice, Belga, virum, tragico quo vate paratu
Cœpit & Arctoo fcena fub axe loqui.
Gallia quem titulis, Batavus tot fafcibus ornat,
Et dominum gaudet Muda praeffe fibi.
Qui patrias fcripfit Veneres. Cyprumque Gnidumque
Tranftulit in terras, Amftela clare, tuas;
Sceptraque Borbonii vitamque & fata recenfet,
Et tantum dictis grandibus implet opus.
At cum gefta leges noftris quoque bella fub oris,
Victaque Naffovia regna ducefque manu:
Dic, illum qua nos facimus, fic fcribere; tanti
Vt fuerit, reges fuccubuiffe tibi.

In effigiem celeberrimi viri
GERARDI VOSSII.

CErne Palatina, lector, miracula terra.
Quem fuus haud una perficit arte labor.
Sufficit acta dies aliis, non fufficit illi.
A folida ftudiis tempora nocte petit.
Quid non exequitur fcriptor? nos fponte fatemur,
Non alia fcribi fecula poffe manu.
Et puer & juvenis chartis impalluit & vir,
Et nunc non alium fe cupit effe fenex.

In effigiem Cl. viri & Medici SAMVELIS COSTERI.

QVi toties molli recitata est fabula socco,
Qui tragicum Batavo carmine scripsit epos;
Serius adspicitur. vultumque Machaonis orbi
Exhibet, & Cois legibus ægra juvat.
Ista sales fundit gravitas, vindexque bonorum
Arguto solos verberat ore malos.

In effigiem Nobiliss. viri CONSTANT. HVGENII Equitis quinque liberis stipatam.

PIngeris, Hugeni, propriis permixtus Achivis,
Parsque tui totum cingit amica patrem.
Autor honoratæ sobolis circumspicis omnes.
Dissimilesque tibi persimilesque vides.
Splendida concordes exornant atria fratres
Quattuor, & vultu Tyndaris una suo.
Hæc thalami fortuna tui, & spes tota nepotum est.
Hæc dominum cingunt sidera quinque Iovem.
Assideat matrona Iovi, perfecta tabella est.
Mater ubi, soboles prostat & ipse pater.
Non aliam, Hugeni, matrem, nec quære novercam,
Ne læva adspiciat, quos negat esse suos.

In effigiem Clariss. viri CLAVDII SALMASII.

GAllia quo nuper, jam sidere Leida superbit.
Prælucet magnis artibus ista Pharos.
Hæc sunt perspecti, Lector, compendia mundi.
Fronte sub hac Pallas prodigiosa latet.

Partimur doctrinam alii. hic se tota recondit.
Immensosque habitat mens spaciosa lares.
Scribite scriptores. cui pagina scripta Solini est,
Iudice me, scripti circulus orbis erit.

In effigiem
PETRI VÆNII
Syndici Hagensis, à filio sculptam.

TAlem decrepita Batavum vixisse senecta
Vidimus & trepidis consuluisse reis.
Hæ ruga sapuere Deo, patriaque, suisque.
Hac facie, Vani maxime, Zeuxis eras.
Non simplex est forma viro. Themidemque Fidemque,
Et non corrupti Nestoris ora vides.
Pingitur à nato genitor. res mira. parentis,
Qui genuit, facta est dextera lima sui.

In effigiem
NICOLAI COPERNICI.

NAtura novus iste faber fuit. æthera, terras
Restituit magna cum ratione senex.
Quam calcamus humum, mediis suspendit in astris,
Et Luna comites altius ire cupit.
Mercurius priscis migrat de sedibus. ipse
Immensi medium Cynthius orbis habet.
Hunc circum raptamur & omnis machina mundi.
Immotoque hominum quilibet igne calet.
Inversa est rerum facies. humana quid ultra
Mens queat? hic nostri terminus ingenii est.
Cuncta sibi constant, luces noctesque, minorque
Est labor, hoc cœlos constituisse modo.
Confudit mundum Ptolomaus gentibus. unus
Hic verum potuit reddere. quis potior?

In effigiem
TYCHONIS BRAHE
Dani.

INcola terrarum summis habitavit in astris,
Semideûmque inter sidera vixit humi.
Emensus Phœbi cursus Lunæque Iovisque
Transtulit in terras astra Deosque suas.
Vtque oculis totum humanis exponat Olympum,
Æmula naturæ Sphæra reperta fuit.
Qua terras, qua tecta Deûm, fluctusque coërcet.
Et spacio mundum dat breviore capi.
Dic mihi, spectator, Tycho, qui supputat astra,
Quique locis pernox ordinat illa suis,
Qui lapsus astrorum omnes signavit & ortus,
Num meruit cœli Iupiter esse sui?

In effigiem
GVILIELMI IOH. BLAEV
Astrologi & typographi celeberrimi.

HIpparchos antiqua suos si prædicat ætas,
Sosigenem Memphis relligiosa colit:
Cantaber Alphonso, Cimber Tychone superbit,
Atque aliquid tantæ Sarmata laudis habet:
Cæsius hoc omne est Batavis. quem fulgida dudum
Vraniæ lumen credidit esse suum,
Et toties istis nixus cervicibus Atlas,
Vestaque, quam tabula jam manus una gerit.
Ære emitur parvo mundus. quis venditor? hic est.
Hic minima docuit sidera puppe vehi;
Portari Oceanum ratibus, portusque viasque,
Littora, & immensis dissita regna plagis.
Navita, quid noctu gelidas inquiris in Arctos?
In puppi ante oculos Arctos iterque patent.

In effigiem SIMONIS EPISCOPII exulis.

QVem tu Leida prius, Synodus mox ipsa loquentē
Audiit, hoc vultu vivit Episcopius.
Vivit & externis pandens sua lumina Gallis,
Exoptat Patriæ tempora blanda suæ.
Tempora dant precium, rapiunt quoque tempora doctis,
Ludit & in magnis sors malesana viris.
Res levis exilium est. grande hoc: mens nescia pravi.
Hac duce securus vixit ubique domi.

In effigiem TROMPII Archithalassi.

ADspice victoris vultus & prælia Trompi.
Et cunctum rostris Belgā tuere caput.
Nos quoque Pompeios stantesque in puppe Cimones,
Intrepidumque mari Timoleonta damus.
Hic alia Salamine, alia stant Aulide classes,
Atque alias alius poscit Iäson opes.
Flamma furit. tabulata ruunt & transtra forique,
Et mediis Chalybum fluctibus æra tonant.
Hostibus immixtus trucibus trux hostis inerrat.
Nec nebula Hispanum dedecus atra tegit.
Pro Batavo pugnant Zephyri, cœlumque Deusque,
Parvaque vis valido perniciosa Tago est.
Classica Trompiadem celebrant, lituique tubæque,
Nec moritura Ducum præmia victor habet.
Attilios dic, Roma, tuos. nos diximus illum,
Briela cui patriam, Duna trophæa dedit.

In effigiem

ADRIANI SPIGELII

Medici & Anatomici apud Patavinos celeberrimi.

QVem terris Bruxella dedit, Patavique Lycæum
Obstupuit grandi Palladis ore loqui,
Talis erat Veneto radians Spigelius auro,
Talis erat, vivum quem volet ipsa salus.
Exuviis latè nostris clarescit & extis.
Materies famæ fulgida sectus homo est.
Hunc Italis Belgæ dedimus. novus iste Machaon
Luxit in Ausonio fax peregrina solo.
Non querimur, Patres Veneti. nunc redditis illum.
Inter scripta sibi frusta superstes agit.
Emeruere Duces servato cive triumphum.
Hic in dissecto cive disertus ovat.

In effigiem

ALBERTI BANNII

IVRISCONSVLTI

& Musici summi.

QVi Themidem ad leges, cantum revocavit ad artem
Bannius, hoc vultu conspiciendus erat.
Muta sonos numerat facies. cantare videntur
Omnia, frons, oculi, dextera, labra, genæ.
Sic reor: audiri Cherubinos inter & ipsos
Angelicos aliquid discere posse choros.
Scilicet in verbis vis est inventa canenti.
Hoc plus antiquis Musica nostra sapit.
Lætitiæ dator in terris, cantillat in astris.
Quoque homines olim, jam canit ore Deum.

In Effigiem Serenissimæ Palatinorum Principis

IVLIANÆ LOYSÆ,

matris Frederici, Electoris & Bohemiæ Regis.

AVriaci soboles, titulis illustris avisque,
Magnorum genitrix suspicienda Ducum;
Exhibet hos vultus populis. Veneranda Loysa est.
Inque oculis princeps femina numen habet.
In nato Regum thalamos suspexit & ostrum,
Sceptraque quæ dederat sors, violenta rapi.
Inconcussa malis, non fecit, sentiit hostes.
Imperii rectrix relligiosa sui;
Immiscet Superis Fratres Bellona, suumque
A gemino robur vindice Belga capit.
Sed dum sceptra thorosque rotat Fortuna ducesque;
Immota Princeps vim pietatis amat.

In effigiem

MARIÆ,

Regis Britannorum Filiæ, uxoris Celsissimi Principis GVLIELMI Auransiorum Principis.

PRincipis hæc Mariæ facies. sic filia Regis
Cernitur, & reges inclita spirat avos.
Auriaco jam nupta Duci, lux maxima Belgis
Emicat, & terris gaudet adesse suis.
Crescit & in magnos adolescit Sponsa nepotes,
Nassoviosque dabit mater adulta Duces.
Publica res amor est. sed regum ducere natas,
Non thalami res est sola, sed imperii.

In effigiem
MAXIMILIANI
Serenissimi Ducis Bavariæ &c.

Quisquis in imperio leges, in legibus æquum
Asseris, & cives moribus ipse facis,
Suspice, quem spectas Bavarum. tot nomina re-
Tot virtutum apices Maxmilianus habet. (cti,
Irradiat priscos majorum gloria fasces.
Qui se jure ducem, plus ratione probat.
Prælucet titulis pietas, Regumque coronas,
Sceptraque conjugiis miscet avita suis.
Bella gerit, gladiumque Aquilis impendit & Istro,
Dum grave momentum Cæsaris esse putat.
Et tamen hæc pacis studiis se bella tubasque
Tradere, si posset, vellet imago loqui.

In effigiem Celss. Principis
GVILIELMI,
FREDERICI ARAVSIORVM
Principis Filii.

Qui prius imbellem thalamis induxit amorem,
Cum data Nassovio regia Sponsa fuit,
Cernitur his ipsis Princeps cataphractus in
armis.
Et patriis crescens moribus, illa quatit:
Spirat avos patruosque Duces generosa Iuventus.
Et patrem ante annos, noster Iüle, refers.
Fortè etiam nova per Batavos tibi conditur Alba,
Romanosque ex te Iuliadasque dabis.

In

In effigiem
ELIZABETHÆ
Electoris Palatini & Regis Bohemiæ Filiæ.

ADſpice ſceptriferæ germen venerabile gentis,
Cujus in innumeros purpura currit avos,
Regnantis neptim Caroli. quam, Rege Bohemo
Patre, Palatini nominis aula velut.
Irradiat pulchros majeſtas Cimbrica vultus,
Totaque cognatum ſupputat Arctos ebur.
Pinge tibi Tameſis Venerem, tu Rhene Minervam.
Hæc eadem pingi numina fronte volent.
Tingite Caſtalidum veneranda exempla ſororum,
Fulgeat has inter Caſtalis illa deas.
Si natale ſolum & poſſeſſum deficit oſtrum,
Hoc regale, ſuis poſſe carere focis.
Sceptrorum ſatis una gerit, quæ ſceptra meretur.
Hoc quoque diſſimulans, regnat Eliza magis.

In effigiem
ADOLPHI NASSOVII
Cæſaris.

CÆſaris auguſtum geſſi diadema. mihique
Imperii ſeptem vota dedere decus.
Non tulit Auſtriacus, ſolioque excuſſit Adol-
Et rapuit faſces ira furorque meos. (phum,
Poſteritas fuit ulta nefas: lux altera Iuli
Alberto vidit cedere Naſſovium.
Altera lux Iuli, ſeris venientibus annis,
Albertum vidit cedere Naſſovio.

Cum mediis Morinûm ruerent hostilia campis
Agmina & Austriaci succubuere duces.
Discite vos etiam scelere abstinuisse potentes.
En, notat admissi posthuma pœna diem.

In effigiem
RENATI de CHALON,
Principis Auriaci.

PRo Carolo miles pugnasti Cæsare. mox te
Gallia pro Carolo succubuisse dolet.
Nassovium facis Auriacum, sobolique tuorum
Auriaci donas sceptra vetusta soli.
Magne, Renate, tuas iterat Chalonia laudes,
Dum vultus iterat terra Batava tuos.

In effigiem fortissimi Herois
GISBERTI HOGENDORPII
Militum Tribuni & Moguntiæ nuper
Gubernatoris.

PRussia quem Gothicis pugnantem vidit in armis,
Et timuit rapido Sarmata vectus equo;
Cum multo madidum Gustavus sanguine corpus
Crudaque bellacis cerneret ora viri;
Quem tua, magne Ducûm, clades & funera, Tilli,
Per populos fama splendidiore vehunt;
Ipsa cui claros devicta Moguntia fasces
Tradidit & regni sceptra verenda sui;
Talis Hogendorpi facies. sic cernitur orbi.
Talis Hyperboreas duxit in arma manus.
Obiice sic pictum castris hostilibus. ipsa
Cæsareos jam mox pellet imago Duces.

In effigiem
ABRAHAMI DOMINICI
Leovvartii concionatoris in Frisiis paludibus.

SI pingi possent pietas, facundia, candor,
Et non fucata relligionis amor,
Hæc species, hæc forma foret. Leovvartius iste
In Frisiis jamnunc cernitur ore suis.
Plura loquar. magni pandit mysteria Christi,
Oblitumque Dei fulminat in populum.
Quæque sibi privata putat, sunt carmina, Musæ.
Quàm vates gleba deteriore latet.
Nec satis est, Hebræa loqui. magis illud, amari.
Vtque hominem fas sit vivere, posse loqui.
Hæc, Abrahame, doces: mihi pro doctore tabella est.
Nam, quem non loquitur, spirat imago Deum.

In effigiem
CORNELII BOII
Advocati & poëtæ eximii.

QVi Themidi loquitur Phœbum, vatesq; tribunal
Concutit & trepidos asserit ore reos,
Talis Boyus agit. VValachrûm cui fluctus & æquor,
Et patriam dulces dant Heliconis aquæ.
Exuvias hic vatis habes. nihil adspicis ultrà.
Mentitur verum tota tabella virum.
Sed Rhodopen, raptasque nurus Silonque pererra.
Non alibi Boyum cernere, Belga, potes.

In effigiem præstantissimæ Virginis
APOLONIÆ à VEEN,
sculptam à fratre.

Sculpis Apollineam, frater germane, sororem.
Et tamen hic nullam sculpis Apoloniam.
Sculpe oculos, exsculpe manus, exsculpe capillos,
Hoc, quod dextra nequit sculpere, Apolonia est.

In effigiem & obitum
EVERHARDI vander SCHEVREN,
Iurisc. & Advocati Vltrajectini.

Suspice, quem pacis studiis secrevit alumnum
Illa reis nimium litigiosa Themis.
Maluit arbitrio dirimi, quam jure, querelas.
Et facilis stricto prætulit æqua foro.
Dum trahit invisas Minois Curia causas,
Abrumpit lentis jurgia grata togis:
Nunc Themidis nunc juris habes placidissima, Scheuri,
Præmia & æthereo judice salvus abis.
Quique boni civis partes patronus obisti,
Post obitum Superis desinis esse reus.

In effigiem
M. ZVERII BOXHORNII.

Adspice Palladii vultum spectator ephebi,
Claraque facundis vocibus ora stupe.
Ipsa senum velox sapientia prævenit annos.
Et spatiis ætas fallitur acta suis.
Vir loquitur, scribitque senex vernante juventa,
Et Satyra mores liberiore notat.

In

In Batavis prætexta sapit. sub sidere nostro
Pene puer fatur mascula verba Cato.
Tingitur imberbis, qualem se pingit Apollo.
Quantum est, ipsa etiam fronte referre Deos.

In effigiem Nobilisſ. viri TH. GRASWINCHELII Eq. Fisci Holl. Advocati.

ADspice, non quem Cirrha dedit, sed Belgica vatem.
Cui sacrum atherea Phocide fluxit epos.
Principis Hebræi numeros & verba disertus
Fatur, & ad Latii plectra Sionis opus.
Palladis augustas implet Sapientia chartas,
Gorgoneasque timet livor & ira minas:
Regia seu pulchris majestas scribitur ausis,
Seu Veneti sedes imperiosa soli.
Publica cum dubias aperit facundia causas,
Isto Mercurium credimus ore loqui.
Ipsa dedit Nemesis gladios, Astræa bilancem,
Et Batavûm tali vindice jura valent.
Cingitur his patria famulans insignibus ætas,
Et Superos gaudet conciliasse sibi.
Desine pro rostris mirari, Belga, loquentem.
Cum tot numinibus rem Theodorus habet.

In effigiem Clarisſ. Rotterod. Ecclesiastæ & Medici FRANCISCI LANSBERGII.

CErnitur elinguis, cujus facundia cives
Attonitos tenuit, Rottera, sæpe tuos.
Cernitur exanimis, vitam qui reddidit ægris.
Et celeres jussit tardius ire dies.

Virtutum tuba, cœlestis praceptor honesti.
Maxima quo timuit Roma loquente loqui.
Cernitur imbellis, qui fratrum bella vetabat.
Et pacis rupto fœdere suasit opus.
Lansbergi, sanare animas & corpora noras,
Et gemina nobis causa salutis eras.
Sic totus tibi debet homo. Te vindice nostri,
Vna homini sospes pars fuit, una Deo.

In effigiem Reverendi viri P. SYLVII, Amstelodamensium Ecclesiastæ.

CVjus adorandum docuit facundia Christum,
Et populis veram pandit ad astra viam,
Talis erat Sylvi facies. audivimus illum
Amsteliis isto civibus ore loqui.
Hoc Frisiis pracepta dedit. pietasque sub illo,
Relligioque diu vindice tuta stetit.
Praluxit veneranda suis virtutibus ætas.
Eruditque ipsos fessa senecta senes.
Simplicitatis amans fucum contempsit honesti.
Nec sola voluit fronte placere bonis.
Sic statuit: Iesum vita meliore doceri
Rectius & vocum fulmina posse minus.
Amstela, sis memor extincti. qui condidit urbem
Moribus, hanc etiam post sua fata docet.

In effigiem Reverendi viri GERARDI ANSLO Theologi.

QVi patria mores & perdita secula damnat,
Innocua fretus relligione senex,
Qui mundum meliore volet splendescere vultu,
Et Christum studio fervidiore sequi;

Cedit

Cedit in exemplum Batavis. sic pingitur Anslo,
Sic pietas vultus exhibet ipsa suos.
Vt si fortè loqui cesset grandæva senectus,
Ad populum præsens possit imago loqui.

In effigiem Clarissimi viri

IOHAN. WTENBOGARDI

tum exulis.

Quem pietas cœlo, rerum prudentia terris,
Tutaque commendat simplicitate fides:
Cujus Arausiacis tonuit facundia templis,
Et potuit lituos inter & arma loqui;
Hic silet, atque aliqua præbet se parte videndum,
Vt totum cupias posse videre virum.

In locum Anatomicum recens

AMSTELODAMI

exstructum.

Qui vivi nocuere, mali, post funera prosunt,
Et petit ex ipsa commoda morte Salus.
Exuviæ sine voce docent. & mortua quamvis
Frusta, vetant ista nos ratione mori.
Hic loquitur nobis docti facundia Tulpi,
Dum secat artifici lurida membra manu.
Auditor te disce. & dum per singula vadis,
Crede vel in minima parte latere Deum.

IN NVPTIAS
Spectatissimi viri,
NICOLAI PANCRASII,
Et lectissimæ Virginis
PETRONELLÆ de VVAERT.

Perdiderat sacros feralis flamma penates,
Istaque Vulcani damna furentis erant.
Spectabant mœsti miseranda incendia cives,
Quique stetere diu, dispersere Lares:
Tunc Citheræa, sui furiis offensa mariti,
Accendit Paphias officiosa faces.
Si flammis, ait, ille suis veneranda perussit
Culmina & in summos sæviit igne Deos,
Conjugis officium est, tantos lenire dolores,
Conjugis est, aliis ignibus esse bonam.
Non mea crudeles sanctis penetralibus ignes
Inferet aut Superûm subruet ira domos.
Mitius ingenium est Veneri. tu tela, Cupido,
Suffice, tu tadas porrige, Nate, meas.
Flagrent his facibus soboles magnique penates
Consulis & totam, flamma, perure domum.
Vrat Amor jam Pancrasium. dum consulit Vrbi
Et civi Genitor se ratione probat,
Exemploque regit; victrix Erycina triumpho,
Et, non invito Consule, læta loquor.
Ardet Sponsa meis, populo gaudente, favillis,
Et facili Sponsum blanda calore fovet.
Non hac attonitos reddent incendia cives,
Plaudit ad has ipsas urbs spaciosa faces.
Scilicet his poterit facibus flammisque renasci
Consul & à sera posteritate coli.
Vitalis Fax ista patri matrique nepotes,
Et generi vestro nomina digna dabit.

Sic

Sic non, Sponsa, tibi Sponsum, sed civibus optas,
Amstelisque parens vis peperisse tuis,
Sic dum, Sponse, tuis amplexibus abditur uxor,
Ardet inoffensis publica causa focis.
Has, Cives, has, Sponse, cave restinguere flammas,
Non opus hic gelidis, Amstela noster, aquis.
Ignibus his flagrate diu. speratàque vobis
Et patriæ & patri commoda flamma ferat.

In Maximi Viri
PHILOMVSI
MVSAS IVVENILES.

ITala gens, Batavos quæ quondam Martia fratres
Imperiique tui socios erecta vocasti;
Iam Batavos vatum socios fratresque tuorum,
Post tot secla, voca. Cirrha concludimur una,
Pegaseisque simul populi conspergimur undis,
Et Phœbi communis amor nunc incitat acrem
Ausoniam, nunc vult Musis adsuescere Belgam,
Dum Latios Arctoa vehunt præconia patres,
Nostraque Senensi applaudit fiducia vati.
Illustris Philomuse, tua generosa loquela
Verba placent; seu per grandes augusta cothurnos
Sensa rapis, lenique elegos diffundit ab ore
Calliope, seu per Lyrici modulamina cantus
Vectus honoratam compellat purpura Romam,
Et magnis fatur patribus, patrumque cathedræ
Annuit, & summis Vrbanum destinat astris.
Prisca superstitio, venerandi nescia Christi,
Infames tonat ore Ioves, Venerisque profanus
Perstrepit illecebris Helicon, mentitaque multum
Pagina Pieriam meruit decerpere laurum,
Et lethi calcare domos. Hoc sanctior ævo
Nascitur Aoniæ felix opulentia venæ,

Et gaudet meliora loqui: non fabula vati
Priamides canitur, fictaque insanus Elisa
Æneaque furor, vel versa in corpora formæ.
Longe alios vultus Italûm sapientia terris
Exhibet, & totum pietas facit ipsa poëtam;
Canaque relligio, Clariis dum splendida fulget
Artibus, atque alte Phœbaos imbibit ignes,
Sacrosancta canit, solumque in carmine mutat
Materiam, & studiis Senam cœlestibus implet.
Felix Sena viro, quem cum produceret Orbi
Tot vatum Lucina parens, sua flumina large
Castalii fudere lacus, risere Camœna,
Et teneræ cœpere hederam prætexere fronti,
Et melius posthac nobis promittere carmen;
Mirata puerile decus, lususque juventa,
Et consummati roburque & numen ephebi.
Legi grandis epos Bembi: placuere furores
Naugerii, Strossaque patris, magnique Maronis
Æmula Sinceri rabies: post illa, labantes
Restituis, Philomuse, Deas, patriaque poëta
Infers immortale jubar. Tibi sufficit una
Ad famam validis animosa Tragœdia nervis,
Et fatum, Pompeje, tuum. quem Corduba Magnum
Dixit, Sena facit magnum, & dum damnat Achillam,
Voces pro Latio & pro te, Romane, loquentis
Approbat, & generi defendit mascula causam.
Quæ, si non Superis, saltem placuisse Catoni
Creditur, &, si non armis, ratione triumphat.
Hac te scena dabit seclo. quantum illa meretur!
Quam cerni vult luce palam! quin pulpita scandis
Itala & orchestram conjux Cornelia pulsas?
Indignata tui crudelia fata mariti,
Decussumque caput Roma. quo tota cadente
Libertas collapsa fuit, fœdoque Quirites
Servitio sensere sua dispendia culpæ,
Et sicas acuit Bruti vindicta feroces.

Magne vir, his olim cœptis agnoſcimus omnes
Ingenii momenta tui, juveniſque virile
Condis opus, tragicoque exſurgis clare theatro.
Dic juvenes Muſas, quas mecum dicis adultas,
Phœbe pater, ſeniique graves prævertere curas.
Hæc avi ſors læta mei eſt, ſpectare potentum
Carmina Pieriaſque faces. nunc eſſe beatam
Auguror Italiam, cum te Reſpublica vatem
Repperit, & grandi rerum prudentia cauſa
Applicat, & tali vult ſub rectore paciſci,
Bellorumque truces furias componis Apollo.

ÆNIGMATA.

Liber.

MAgna mihi rerum vis eſt, vis maxima vocum,
Et tamen hic vili venditur ære labor.
Ignarus doceo, credor ſine voce magiſter.
Cum proſum, taceo : non ſapiens, ſapio.
Sæpius exuror, dominis peccantibus, inſons
Victima, nec culpa conſcius ipſe mea.
Veſtior exuviis, vinclis conſtringor ahenis,
Et tandem tineis vermibus eſca teror.

Eadem vox.

INtegra ſi fuerim, potero placuiſſe Latinis,
a Principium tollas, diſpliceam Batavis.
a lber.

Farcimen.

TOta mihi teretem mentitur forma cylindrum,
Et fata in medio ſus mihi ventre latet.
Quam me Belga colit, tam me faſtidit Apella;
Heu quam diſſimili ſpernor amorque fide !
Non mihi ſupplicium, non mors decernitur una.
Mergor aquis, flammis torreor, ore voror.

Osculum.

PRima mihi lepidis blanditur portio dictis,
Posterior fœdo vilis odore mihi est.
Prima trahit vita causas, exsibilat illas
Vltima. (crede) fuit, qui caret alterutro.

Colus.

CIngit lana caput, contortaque viscera corpus,
Parte mei moveor, parte quiesco mei.
Quos sine me nudos paupertas detegit artus,
Hos opibus per me dextera fulta tegit.
Lingua, manus, digiti, facto glomerantur in uno:
Decedens capitis gloria finit opus.

Ocrea.

HOc decus, hos habitus prisci petiistis Achivi,
Mæonidaque meo nomine charta tumet.
Bos, vitulusque fui, quæ carpsi gramina, calco:
Et premo, quæ timui, colla minacis equi.
Me fastus documenta sui cupit esse Batavus,
Et Martis propriam nunc studiosus amat.

Pluteus.

QVæ fueram duris infesta bipennibus ilex,
Nunc domini custos abdita servo mei.
In me demorso vates sacer ore recumbit,
Ingeniique sagax expedit ausa sui.
Aonidum me lassat opus. laus unica nobis,
Doctorum celebres sustinuisse manus.

Navis.

INnatat Oceano; cœlo spectatur in ipso:
Ventre premit laxo carula, dente vadum.
Rostratas meruit bellis infracta coronas;
Et spolium è duti Colchide grande tulit.

a Telle

a *Tolle caput, volitat;* b *sublato ventre tyrannis*
Annuit; audaces c *tota pererrat aquas.*

a avis. *b* vis. *c* navis.

Bubo.

I*Nguina sollicitat; miserosque exasperat artus,*
Cecropiâque frequens visus in urbe fuit.
Ægida depingit: doctis insignia prabet:
Stulticiæ pariter symbolon, & Sophiæ.
Impatiens Phœbi, mundo ludibria debet:
b *Nominibusque simul terret, &* c *ominibus.*

a Bubo tumoris est species apud Medicos.
b βοῦ. *c* Statius: Feralia bubo Damna canens.

Curro.

D*Iuidor, & membro Sapientia crescit ab* a *uno:*
b *Irato reliquum frendeat ore canis.*

a cur quærendi est adverbium.
b ῤ, canina littera est.

Portus.

A*Dspicio Solem* a *mutilus,* b *navalia totus,*
Sola potest læsum flectere c *cauda Iovem.*

a ortus, *b* portus, *c* thus.

Ovis.

M*E Graii petiere duces: mactavit Apella:*
Et toties Superis victima grata fui.
Muta Redemptorem refero: sine crimine, eun-
Prata meis resonant templaque nominibus. (*dem.*
Mille meas Siculo Corydon in monte sorores
Ducit, & ingenium simplicitate probat.
Exuviis nitet aula meis: quid stercora damnas?
Stercora delitiis sunt mea mixta tuis.

Annu-

Annulus.

Optima forma mea est, Megara laudata magistro.
Principium paßim, finis ubique mihi.
Fulgeo, claudo, premo, medeor, promitto, corono,
Gestor, cador, amor, do capioque fidem.

Currus.

Traximus Hippolytum, distraximus Hectora magnum:
Et belli quondam pars scelerata fui.
Falcatum me Persa cupit: sine falce Batavus,
Sustinui stantes altius a *Æmilios.*
Persephonen rapui: scindant vada cærula puppes,
In Batavis etiam pontus b *arena mihi est.*

a stantes in curribus Æmilianos.
b notatur currus velifer Principis Mauritii.

Penna.

Aëriis quondam volitans in nubibus hæsit,
Et refluis eadem viva natavit aquis.
Magnificas procerũ decorat, sed mortua, mensas,
Et tremulam summo vertice Teuto quatit.
Præteritos reddit, præsentes prorogat annos,
Invidiam seri temporis una domat.
Absenti loquitur; lædit rostrata, juvatque:
Dumque aliis vitam fœnerat, ipsa caret.

Sus.

Mactatur Cereri, a *Romanaque federa firmat,*
Arcadibus multum culta, b *perosa Pharum.*

a Virg. Cæsa jungebant federa porca.
b Sus Ægyptiis abominationi erat.

Sordet

Sordet c *gemma, rosa:* d *capiti si littera desit,*
Grajugenis fiet, quod fuit Ausonis.

c Proverbium est sacrum: Margaritas non esse projiciendas porcis.
d ὗς Græcis idem, quod Latinis sus.

Pileus.

Megaudet pugnax capiti circumdare a *Sparta.*
Gracia me testem nobilitatis habet.
b *Libertas per me Latia portenditur urbi:*
c *Istaque Romanus pramia servus amat.*
Me Brutus, me Galba suo spectavit in are:
Ipse meum vindex pugio fulcit onus.

a Lacones pileati pugnabant.
b patet ex Bruti numismatis.
c servi manumissi Imperatoris triumphantis currum pileati sequebantur.

Venter.

a *Opprobrium Creta: tonitrus domus: abdita vita*
Regia: b *Menneni fabula; meta gula.*

a Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.
b Mennenius orator Romanus fabula de Ventre populum Romanum in urbem revocabat.

Manus.

Noxia sum, si bella geram: a *si proluor, insons:*
b *Viribus,* c *auxilio,* d *relligione probor.*

a Gestus abluendarum manuum innocentiæ signum erat. Deuter. cap. 21.
b Manus pro robore & potentia sumitur.
c Hinc proverbium, manus manum fricat. & apud Græcos, τὴν χεῖρα ἐπιβάλλειν, manum admovere.
d Multa Iovem manibus supplex orasse supinis. Virgil.

Oscula

Oscula do supplex: mihi me permiscet Achates,
e *Rhetoribus laxor, claudor Aristoteli.*

e Zeno Rhetoricam palmæ, Logicam pugno comparabat.

Barba.

a Q*Vid Thetis ipsa Iovi?* b *Cynico nonaria vellit?*
Quaque virum pariter res facit, atque c *caprum?*

a Apud Homerum Iliad. α, Thetis Iovi barbam vellicat.
b Persius: Si Cynico barbam petulans nonaria vellat. c Lucretius barbigeras capellas vocat.

Aqua.

M*E sitiens vates; me torrida prata biberunt.*
a *Pindarica ferio barbita prima lyra.*
Credor Aristoteli pars corporis; b *omne Tha-*
c *Sto, moveor: Tiphyn stans fero, mota ratem. (leti.*

a Ἄριστον μὲν ὕδωρ.
b Thales Milesius omnia ex aqua constare dicebat. c Glacie constricta.

Toga.

P*Er me Grajugenûm populis discernitur* a *Auson,*
b *Bilbilicus raram me volet esse sibi.*
c *Arma odi, terrensq; sagum:* d *peto candida fa-*
Pulla rogum, lætum pura e *tyrocinium. (sces.*

a Romani togati, Græci palliati incedebant.
b Martialis: Lis nunquam, toga rara.
c Cedant arma togæ.
d Toga candida induebantur, qui magistratum ambiebant. unde Candidati dicti.
e Puram togam induebant tyrones forenses, ipso tyrocinii die. Lucan. lib 7. Pura venerabilis æque, Quam currus ornante toga.

Zona.

Zona.

a *Virginitas dilecta mihi est; vinclumque jugale.*
b *Templa mihi mediâ Cecropis urbe patent.*
Ætheris immensos etiam distermino tractus.
At, me qui sociam perdidit, c *Irus erit.*

a Homerus: Λῦσε δὲ παρθενίην ζώνην.
Catullus: Qui zonam soluit diu ligatam.
b Athenis fanum fuit Solvizoniæ Dianæ sacrū. vid. Apollonium Argon.
c Ibit eò quo vis qui zonam perdidit. Horat.

Adamas.

Durities mea grata mihi est: damnatur amica.
Si libeat, a *verbum, mox quoque* b *nomen ero.*

a amas. *b* adamas.

Leo.

a *Ausonias traxi, populo spectante, quadrigas,*
b *Pelidaque meus vultus & ira fuit.*
c *Partem hominum apposuit stomacho pater ipse Prometheus,*
d *Indomitusque licet, parco tamen domitis.*

a Antonius leonibus triumphavit.
b Hom. de Achille: Λέων δ' ὡς ἄγριος οἶδεν.
c Horat. Insani leonis Vim stomacho apposuisse nostro.
d Ovid. Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni.

Marmor.

Jam a *Superos adspectat ovans: jam* b *tartara lugens*
Respicit, objectis triste cadaveribus.

a colossos marmoreos intellige.
b marmora sepulchralia.

Sæpius

Sæpius c *illachrymat,* d *lachrymis sed flexile nullis.*
Dant Ligures, nescit Belgica, Roma colit.

c Etiam nunc marmora plorant. Ovid.
d Ad surdum lachrymas nequicquam emittere marmor.

Tabacum.

NOn bibor, & bibor, & populo sum potus, & haud sum.
Mandor ab Occiduis, nec tamen esca fui.
Cum bibor, ipsa sitis crescit. sum victima vulgi.
Torqueor, incidor, torreor, uror idem.
Consedere viri, & conspecto munere Divûm,
Qualibet exitio est dextra reperta meo.
Pars in frusta secant, pars igni humentia siccant
Corpora; pars flammas admovet, atque faces.
Otia qui fugiunt, in nobis otia perdunt,
Et magnâ peragunt sedulitate nihil.
Quo capior, perdor. quo claudor, pellor ab ore,
Nostraque mox difflat fercula, quisquis amat.
Quæ mihi, quæ nitidos aperis, matrona, penates,
Præmia tam clari sputa laboris habe.

Canis.

PRæpositus Laribus, Roma Capitolia Gallis
Prodidit, & facti crimina morte luit.
Hunc Cynici coluere patres. miraris? a *acutis*
Cum verum toties colligat ille modis?
Littera vesanum testabitur una b *furorem:*
Signaque qui c *fidei, nulla pudoris, habet.*

a Vide Lipsium in epistola de Canibus.
b R.
c Canis, fidei & impudentiæ symbolum.

Asinus.

Asinus.

P*Arte mei quidam Phrygios ſupereminet omnes,*
Solaque litigium corporis umbra parit.
Vapulo, contemnor, nec, cui contemnimur, à me
Diſsidet, ingenio proximus ille meo eſt.
Auriculas noſtras quis non habet? accipe ſacrum
a *Phœbe tibi, vel me ſume* b *Priape tibi.*
Si ſtolidum plebs eſſe putat; cur turgida quæſo
Doctorum noſtris ſcrinia ſunt c *titulis?*
Si vocat ignavum: cur laſſant tergora merces?
d *Nec ſtatuam ſpernit Martia Roma meam?*

a Τέρπουσι λιπαραὶ Φοῖβον ὀνοσφαγίαι,
Exhilarant Phœbum pingues epulę ex aſino.
b Etiam Priapo ſacer aſinus.
c De Aſino ſcripſit Apuleius, aliique.
d Vide Pier. in Hieroglyphicis.

Naſus.

C*Æſar gibboſum,* a *Cynicus me oſtentat aduncũ,*
Et vates de mẽ nomina grandis habet.
Hac qui parte valent, credam magis eſſe b *ſagaces.*
Emunctum quiſquis me volet, ille ſapit.

a Proverbium, naſo aliquem ſuſpendere, pro irridere Perſius;
Callidus excuſſo populum ſuſpendere naſo.
b Hominem acri judicio præditum dicimus emunctæ eſſe naris, & apud Oneirocritas, qui ſe magno naſo per ſomnium viderit, magna in rebus agendis prudentia & ſagacitate fore promittitur.

Lingua.

Q*Vàm* a *noceo, quam proſum eadem! ſum peſſima rerum,*

a Anacharſis rogatus, quid eſſet in homine peſſimum, quidque optimum, Lingua, reſpondit.

Opti-

Optimaque: b *Ausonio pulsa, recepta solo.*
Mercurio sum sacra deo, Samiusque magister
Alligat imperio tempora nostra suo.
c *Fulvia, quid fodis exanimem? manet illa superstes;*
Suspendis rostris dedecus ipsa tuum.

b Rhetores Romæ aliquando prohibiti sunt aperire ludum.

c Fulvia Antonii uxor exsectam Ciceronis linguam acu perfodisse perhibetur, & rostris affixisse.

Oculus.

Nomina lascivo placuerunt nostra Catullo,
Nomine laudatur virgo puerque meo.
Si vivam, pateo; moriar, si claudar. a Ἀθήνη
Me glaucum, b *nigrum Graja puella velit.*

a Γλαυκῶπις Ἀθήνη.

b Apud Græcos in precio erant nigris oculis præditæ.

Quercus.

a *Augusti stetit ante fores intersita lauris,*
b *Signaque servati splendida civis habet.*
Triptolemus lætis illam mutavit aristis;
Quique hominum fuerat, jam cibus ille suum est.

a Ovid. Postibus Augustis eadem fidissima custos Antè fores stabis, mediamque tuebere quercum.
b Corona civica ob cives servatos è quercu erat.
c Virgil. Triptolemus pingui glandem mutavit arista.

Lepus.

Quot timidum vexant a *Hecubæ, lassantque fugacem,*
Exspacior propriis dum ποδὰς ὠκὺς agris.

a canes. Hecubam enim in canem mutatam fingunt poetæ.

Me comedat Marcus, formoſum Gellia dicet:
Quin pulpamento diſcet amare meo.

b Martialis: Si quando leporem mittis mihi, Gellia, mandas,
Formoſus ſeptem, Marce, diebus eris. &c.

c Pulpamento vis effœminandi ineſſe creditur. Terentius: Tute lepus es, & pulpamentum quæris?

Vulpes.

ME fecit natura vafram, ſed fabula Davum:
Cauda Philiſtæos depopulatur agros.
Noſtra leonina ſi jungas tergora pelli,
Quæ nequiit virtus, perficit illa dolus.

Corvus.

a *IMpatiens ſobolis,* b *venturos nunciat imbres;*
c *Scenaque ſub tali triſtia voce vovet.*
d *Hæc quoq; Romanus non ſpernat nomina ductor.*
Barbara vox quamvis, ingenioſa e *gula eſt.*

a Corvi pullos ſuos, ſi quando volandi poteſtatem aſſecuti fuerunt, nido expellere dicuntur.

b Corvus imbrium augurium habet.

c Proverbium apud Græcos Comicos uſitatiſſimum, Ἐς κόρακας.

d Meſſala Corvinus.

e Refert Plutarchus, corvos, ſi quando in urnas immiſſis capitibus aquam ſorbillare nequeunt, lapillos conquirere, iiſque in urnam injectis, aſſurgente aquâ, ſitim explere.

Capra.

CVm mihi ſint ſimiles Satyri, Paneſq;, quid unus
a *Æpolus abſimilem ſe dolet eſſe mihi?*

a locus eſt Theocriti.
Æpolus inſcendi videat ſi quando capellam,
Liquitur obtutu, quod non caper ipſe creatus.

Cur

Cur sculpor priscis b *Augusto Cæsare nummis?*
Cum mactor c *Baccho, diligor una* d *Iovi?*

b Augustus sub Capricorno natus nummos argenteos excudi jussit cum capricorni imagine.
c Capra Baccho immolabatur, quia vitibus noxia.
d Iovem à capra nutritum Poëtæ fabulantur.

Mola.

BRachia spirantes lassant immania Cauri,
Primaque sum mensæ, prima ministra gulæ.
Ala alam festina premit, paribusque rotatæ
Viribus, antevenit nulla, priorque gradu est.
Quid procul intentos arces industria fures?
Hac domus, hac domino regia fure patet.

Olor.

ADspice a *fatidicum, quin me mirare* b *poëtam:*
Ad vada Mæandri cum cano dulce melos.
Induit ipse meos Orpheus & Flaccus honores,
c *Gaudet & augurio navita sæpè meo.*
Quin ego purpureis frenatus colla capistris,
d *Lascivam Venerem per loca jussa traho.*
e *Candida decrepitæ similis mihi forma senectæ est.*
Sed dubito, num sit Lesbia candidior.

a ob præsagia mortis.
b Notum, poëtas cygni symbolo & appellatione significari.
c Auguria lege apud Virgil. lib. I. Æneid. & Cœlium Galcag. lib. de naut.
d Fingunt poëtæ Veneris currum à cygnis trahi.
e Ovid. Iam mea cygneas imitantur tempora plumas,
Inficit & nigras alba senecta comas.

Pavo.

Pavo.

DEformis pedibus, plumis formosior, Irin
Æmulor, & a *Samia sum sacer usque Dea.*
Cum gradior, quid me dicis matrona superbam?
Non gressus forma convenit iste tua.
Cum gradior, quid iniqua pedes virguncula damnas?
Si mihi pes, sordent vultus & ora tibi.

a Pavo Iunoni sacer.

Gallus.

AVroram clarâ consuetus voce vocare,
Post sua gavisus prælia victor ovat.
Non capiti crista, pedibus calcaria desunt,
Sola gulæ rabies a *non sinit esse virum.*
Non valeant ipsi contrà me stare b *leones,*
Ilicet infamis sed meminere fugæ.

a solent enim castrari, ut pinguescant, in gulæ gratiam.
b Ad cantum galli fugit leo.

Loca Bataviæ, unde cespes eruitur.

DIs, quibus in terris pereunt sua rura colonis,
Ipsaque concepto fomite flagrat humus?
Et mox effossi vectantur navibus agri,
Naiadesque natant nunc, ubi Vesta stetit?

Cuculus.

OMnia cum a *timeam,* b *sociis cum ridear, ecce,*
Credor c *adulterio spurcior esse meo.*
Tempora verna fero, repetitaq; carmina canto.
Quid rides? similis tu quoque fortè mihi es.

a Cuculus avium timidissimus.
b ludibrium debet avibus & hominibus.
c Adulteræ uxoris maritum cuculum vocamus.

Cicada.

SI cythiso pascuntur apes, ego victito rore.
Et mea, si dubitas, carmina Thyrsis amat.
Thyrsi Musa placet, soli nocitura magistra;
Vatibus hæc merces debita, certa fames.

Anas.

a *TOta nato*; b *sine fronte, natas*; c *inversa mederi*
Te volo: d *pluralis, sed sine fronte, strepit.*
e *Lamda facit Lanas,* f *latrantum murmura ranas.*
Adde g *suem Argolicam, pars mea nasus erit.*

a anas *b* nas *c* sana *d* nates *e* adde l, erit lanas. *f* præfige litteram caninam. *g* ad syllabam nas, adde ὁς, erit nasus.

Culter.

PArs bove, sed stricto constat pars altera ferro.
Totus taurinis abditur exuviis.
Non uno nocet ille modo, pungitque, secatque,
Istaque ruricolûm postulat arma furor.

Formica.

ADspice fecundis inimicum messibus hostem,
Et piger exemplum sedulitatis habe.
a *Agricolis pluviam,* b *savo mala fata Neroni*
Nunciat, at c *diti prosperiora Midæ.*
d *Si pennata volet, Veneri jam prompta medetur.*
Credimus hoc nasci semine Myrmidonas?

a Vide Suetonium in Nerone.
b Midæ dormienti formicæ in os tritici grana congessere, ex quo ditissimū fore prædictū est.
c Satyriasin excitare creduntur formicæ alatæ. Galenus in libro secretor.
d Nota est fabula de formicis in homines mutatis. hinc ἀπὸ τῶν μυρμήκων Μυρμίδονες ἐκλήθησαν.

Culex.

Culex.

QValia terribili resonant fera classica cantu,
Terrificos edit a *buccina nostra sonos.*
Sum pecudum custos, somni gravis hostis, & oti,
Et propero, noctu quo properabit amans.
Labra, manus, oculos, & eburnea colla pererro,
Quin magis abstrusa parte latere velim.
Meque aliquis poterit longè sentire volantem.
Hei mihi, dum lumen depereo, pereo.

a Martialis lib 8 Epigram. de phialâ: Illa potest culicem longè sentire volantem, &c.

Pediculus.

a *GRaculus interitu: pedibus sed glorior Auson.*
Quaq;animi domus est, est domus illa mihi.
Vt vigilent homines, vigilo: sum filius oti.
Corporaque infesto regia dente neco.
Dum capior, perdor; dum non capior, tibi servor:
Ferculaque antiquis præbeo phthеirophagis.
b *Pignora cur nasci vobis invisa doletis?*
Nascitur è quorum corpore tale pecus.

a Græcis φθεὶρ, à φθείρω, corrumpo.
b Aristippus, causam quodam, quod filium, quasi non ex se natum projiceret: An vero, inquit, ignoramus, & pituitam & pediculos gigni, quæ tamen, ut inutilia, quam longissimè projicimus. Laertius in vita Aristippi.

Papilio.

NOn hanc bruma rigens, sed torrida conspicit æstas,
Candidulamque, licet stercore surgat, avem.
a *Mellificis infesta apibus fit præda juventa*
Ludicra, dum toto clauditur à petaso.

a Columella papilionem apibus exitio esse scribit lib. 9. cap. 14.

b *Cur celerem Cancri chelis, Auguste, moraris?*
Præcipiti gaudent sceptra ducesque mora.

b Augustus Cæsar pro symbolo habuit papilione, cancri marini chelis prehensum, ut ostenderet, Principibus convenire lentam festinationem.

Concha.

Non animal, non planta vocor, vicinior illi.
Tardigradam mediis testa moratur aquis.
Me legis Oceani spolium a *dux magne Quiritum,*
Nereidesque ista personuere tuba.
Officium mirare duplex: do fercula mensis,
Exuviasque petit spurca latrina meas.

a Caligula.

Grus.

a *Me Palamedis avem: me natam Strymone specta.*
Cui gula mandenti gaudia longa facit.
Occurrit parvis nobis bellator in armis.
Doctaque litterulas ordine penna facit.
Me veniente solo sulcos inducit arator,
Me fugiente ferox frigora portat hyems.
Ibycus ut periit, veni justissimus ultor.
Discitur exemplo cura fidesque meo.

a Vide Lucanum lib. 5.

Bombyx.

Penè nihil fueram: jam longum tendor in orbem:
Nunc eo: mox pennâ liberiore volo.
Iam lateo tectis: mox rursus liberor iisdem:
Nunc dapibus potior: nunc dapibus careo.
Iam piger incedo lentè: jam fila laboro:
Iam Veneris posco gaudia: jam fugio.
Vixi, &, quem dederat cursum natura, peregi.
Fataque dum subeo plurima, sponte necor.

Quodque prius fueram, rursus dissolvor in ovum
Principio fini conveniente suo.

In librum clarissimi viri IOHANNIS BEVEROVICII de Calculo vesicæ & renum.

TRaximus è saxis rigida primordia vitæ,
Istaque nascendi semina Pyrrha dedit.
Hinc documenta damus, qua simus origine nati,
Et præfractum aliquid quilibet intus habet.
Quid mirum! occultis rigeant si viscera saxis,
Et medio lateat plurima ventre silex.
Principiis duris nati, succrescimus iisdem,
Suppliciumque ferox mens truculenta parat.
Non satis est vitiis irasci sidera. de se
Ipse capit pœnam, qui sibi peccat, homo.
Dic lapides, Beverovici, describe lapillos.
Dic quibus hos gignat flamma calorque locis.
Forte malis poteris tantis, vir docte, mederi
Et minus à medica sæviet arte malum.
At lapides causasque simul tunc crede repelli,
Cum sibi peccator desinet esse lapis.

In picturam SANDRARTII, qua Iesum Servatorem, Annam, Mariam, Ioannem & Iosephum exhibebat Electrici Bavariæ.

SVblimis Bavarûm Princeps, quæ lumina coram
Cernis, adorando chara fuere Deo.
Hos vultus exemplar habes sanctique bonique.
Grandis ubi socia Filia matre sedet.

Hic Annam Mariamque vides, tua nomina. quæ nunc
Proxima nominibus stant speciosa piis.
Considet has inter matres venerandus Iöseph,
Et tacita versat mente salutis opus.
Adspice, ut impositum gremio tibi monstret Iësum,
Pravius ille gravi relligione puer.
His ducibus, magna Electrix, dum vivis, honestum
Credimus hac oculis exposuisse tuis.

Ad Nobilissimum virum

D. GODEFRIDVM HAÉSTRECHTIVM,

à nephreticis doloribus convalescentem.

HVmani generis genitor, tot primà virorum
Materies, vati creditur esse Lapis.
Deucalion post terga mares, sed Pyrrha puellas
Iecit, & è saxis gens mala nata sumus.
Non hac, Haestrechti, nos fallit fabula. verùm
Fabula quos lapides finxerat, esse reor.
Moribus, ingenio praduri nascimur, & nos
Virtutum indociles arguit iste Lapis.
Corpora si spectes, latitant hic saxa. dolensque
Exemplo poterit quilibet esse tuo.
Tot lapides intus nutris, Godefride. sed istis,
Naturæ validus munere, liber abis.
Quid mirum? quem fecit amor, quem Gratia mollem,
Vexari saxis non cupit æqua Salus.

In

In obitum Illustriſs. Herois
HENRICI CASIMIRI,
COM. NASSOVIÆ,
Friſiæ Gubernatoris.

QVo, Caſimire, ruis? denſum quò ferris in hoſtem?
Et medios inter truderis acer equos?
Laberis & fatale latet ſub pectore telum,
Victurumque necat glans inimica Ducem.
Sic Decios inter fulges, clariſſima quorum,
Fuſo pro patria ſanguine, fama viget.
Exuvias ſervat Friſius. devotaque Marti
Dextra, ſub hoc ipſo pulvere bella ciet,
Et pugnas, Heros, alias & prælia ſpiras,
Auriacumque voles & tua caſtra ſequi.
Tu frater, Guilielme, pios ulciſcere manes,
Et cum Belgarum faſcibus, arma cape.
At geminos, tu Belga, ſtupe Mavortis alumnos,
Quorum hic bellator naſcitur, ille cadit.

In obitum honeſtiſſimæ matronæ
A·LETHÆ,
ampliſſimi Conſulis
GERBRANDI N. PANCRAAS
conjugis.

FElix Aleida, quæ faventis Amſtelæ
Decora vixti ſedibus,
Recti, pudoris & modeſtiæ & piæ
Exemplar innocentiæ;
Tot Gratiarum mater inter Gratias,
Matrumque mater optima:

Quàm nunc beatis mixta cœtibus Deum
Tueris, & totam capis
Æternitatis orbitam & Christo comes
Deforme fastidis solum,
Inter furores totque vultus criminum
Tumultuantis machina.
Marita nuper fascibusque Consulis
Illustrior Pancrasii,
Iam Consulatus vecta terrenos super
Trabeasque & ora civium,
Plus dignitate, plus honoribus nites,
Majoris imperi capax.
Nec prolis expers, sedibus cœlestium
Pia parentis nomina
Et signa transfers, teque subductam tuis
Thalamoque donas atheri.
Hic sanctitatis totque virtutum chorus
Decensque sexum comitas,
Et illa morum prædicanda lenitas,
Et rara seclo castitas,
Facesque calcans litium concordia,
Pandunt beatorum domos,
Et sempiterna fronde cingunt verticem,
Laudesque colligunt tuas.
Aleida, quàm nos impediti vinculis
Mortalitatis, longius
Distamus à te. mille mercantum globis
Permista nuper, adspicis
Feliciores Angelorum exercitus,
Et gloriosos ordines.
Nec jam tumescens fluctibus tuas ferit
Neptunus insolens domos
Et limine arcet hospitem malus tuo.
Ratesque tectis admovet.
Non timida matrum corda terret Æolus,
Et vis furentis Africi.

Secura nescis quot sit ægritudinum
Hic noster orbis atrium.
Vbi nos profusis busta lachrymis pii,
Cineresque tingimus tuos,
Mœstumque vates consecro tibi melos,
Fatique testem næniam.
Et nulla quamvis deditum pectus Deo
Perverterit fama sitis,
Vivis superstes, invidisque dentibus
Oblivionis eximis
Sublime nomen consularis feminæ,
Et matris optimæ decus.
Quiesce conjunx digna conjugis tui,
Et quæ sepulta conderis,
Resurge melior. ecce porrigunt manum
Tibi Redemptor & Salus.

In Poëmata Maximi viri,

D. SIMONIS BEAVMONTII,

Nuper Reip. Middelburgensis in VValachris, nunc Rotterodamensis in Batavis, Syndici dignissimi.

HÆc docta magni Musa Bellimontii est.
His illa chartis ludit, osque Teutonum
Miscet Latino, turbidisque è fluctibus,
Vbi VValachrus udo civis emergit salo,
Madidasque quassat belliger Leo jubas,
Apollinarem læta percutit chelyn.
His sæpe Triton torvus allusit jocis,
Acremque dictis glaucus adspersit salem.
Neptunus alga tectus horridum caput
Hæc è tridenti verba suspendit suo,
Marisque tum legenda porrexit diis.
Narravit illa Doris alma Tethyi,

Melicerta claro Thorbadi, Nereus senex
Matri Amphitritæ, Proteus Palæmoni.
Cum sacra ponto Najadum fecit chorus
Panopæa virgo conchulis strepentibus,
Galatæa virgo rombulo rotatili,
Lasciva Spio mugiente buccino,
Petulans Calypso tinniente cymbalo,
Variisque Iole clara turbinum sonis,
Simonis hymnos intulit mensis deûm,
Nymphisque jussit præcini sororibus.
Posuere fluctus æquora, & ne carminum
Auram süavem fortè differrent Noti,
Siluere venti. Sensit ipse navita
Feliciores classibus portus dari,
Turgere vela laxius, sublimibus
Aplustre malis explicari latius,
Sub vate tanto. Quæ procellarum fuit
Invisa sedes, sævientis Æoli
Carcer domusque, naufraga gentis parens,
Zelanda tellus, hoc canente Phocis est,
Clarosque facta, & Cyrrha & aula Castalis,
Aganippidumque terra & arx Pimpleidum,
VValachraque Athenæ, & Aonum dives solum.
Dum castra campis explicat Neptuniis
Nerei propago, & Martiæ natant trabes,
Geminumque Solem jungimus commerciis,
Ridet poëta tot conatibus peti
Mundi pusillum. dum minamur Vespero
Belga potentes, aureamque Colchidem
Prædamur avidi, gaudet otio suo
Frui serenus, Colchis ipse tum sibi,
Opesque & aurum. Dum petax lucro manus
Inhæret uni, nescias recti manus
Musæ flagellant. Dum per ambitus leves
Strumæ vagantur, dignitatum hirudines,
Viles honorum spongiæ, pleni spei,

Folles manis gloriæ. Beaumontius
Virtutis unum nomen inclytum putat,
Famamque honesti. dum ferocis Belgii
Orchestra crudis immadescit cædibus,
Sine cæde mactat, bella, pacem cogitat
Apollo noster. dum cadaverum strues
Mavors cruentus colligit, sternit duces,
Lauros reposcit, æra tympanis ciet,
Magnus Senator Rotteræ Cyrrham movet
Blando tumultu, cantibusque personat
Heliconis arces. Seu cubilibus melos
Geniale dictat, seu triumphat Principum
Ducumque dignus præco, seu se præficam
Bustis suorum commodat, seu dulcibus
Epos jocosum dividit sodalibus,
Aut sacra fatur, & severa civibus
Consultus æqui. Sic verenda possidet
Astræa vatem, Pieris juris patrem,
Vt mutuis sororient amplexibus
Claræ sorores. Inter æstus publicos
Et civitatum commoda atque incommoda
Scribit disertus, Curiamque civibus
Musisque donat. Talis olim Tullius
Patribus vacabat Consul, & suo domi
Vates Arato; jamque fasces Pollio
Regnique formas, jam parabat carmina
Legenda sceptris. Ecce, vatis ad modos
Auscultat undans Mosa, Merva proximus
Hæret sub urbis mœnibus, Nymphæ canunt,
Ripæ loquuntur, plectra vates sentiunt,
Et os Erasmi mite pulchrius nitet.

IN LIBROS XII MAVRITIADOS,

Clarissimi viri

FRANCISCI PLANTE,

nuper apud Brasilienses Ecclesiastæ.

Dum tuus adversos acer bellator in hostes
Dux ruit, atque alio sidere bella gerit,
Nassoviaque volant per barbara regna phalanges,
Et circum attonitis gentibus, horret Iber;
Tu Phœbi, Francisce, tubam non Martius inflas,
Quaque Deum, lituos voce ducesque canis.
Buccina cælestis fidei, jam buccina belli es.
Et placidæ pacis præco cruenta sonas.
Ut jaculis pictoque tuus trux accola vultu
Militet, & nudus corpora victor ovet.
Ut victos laniet crudis sub dentibus artus,
Tantaque victorum præmia ventre gerat,
Et credat potuisse mori, quos vincere nollet,
Et vitæ fieri pabula membra ducum.
Scilicet ignorant Samii præcepta magistri
Et sapidis vesci carnibus esse nefas.
Ista per Occiduos narras pugnata recessus,
Quaque cadit Titan curribus exoreris,
Et vates vexilla levas, cælique minister
Victrices memoras Numinis esse manus.
Mauritium tua Musa vehit, quem vexerat Orbis.
Famaque carminibus spargitur ampla tuis.
Quas lauros meruere, domi meruere, Camilli.
Quas noster, voluit promeruisse foris.
Æmulus Æneadum, Drusique, per æquora Martem
Vexit & ignoto fixit in orbe pedem.

Hesperiasque accidit opes, Batinque Tagumque
Exuit, & puppes, magne Philippe, tuas.
Jam nostra fundunt dulcissima sacchara cannæ,
Et Batavûm versat barbara dextra molas.
Jam procul hinc victis cives habitamus in oris,
Nostraque Pantagonum facta farina fuit.
Clauditur hoc uno Pellei gloria mundo,
Herculei Gades meta laboris erant.
Implet Nassavius geminos & militis hujus
Æthiopum longè gloria transit aquas.
Tiphi novos orbes aperi. si tertius esset
Hoc etiam posset littore stare Comes.

ELEGIA
Ad Illustrem virum
D. WILHELMUM
ADOLPHUM CROSECQ.

Serenissimæ Hassiæ Comiti à consiliis, & ejusdem in celebri Conventu Monasteriensi Plenipotentiario, cum post afflictam valetudinem Sospes ad Batavos rediisset.

OPtime Nobilium, priscæ virtutis imago,
Hassia quo gaudet gentibus ore loqui,
Seu tua, Crosecqui, veterem facundia Cattum
Asserit & patrii regna decusque soli;
Seu mediis loqueris pacis consulta Cheruscis,
Consiliisque juvas grandia cœpta tuis;
Cur subductæ meis oculis tam grata moraris
Tempora, & à Batavis longius hospes abes?
Jam te Chaucorum invisæ tenuere querelæ,
Et Frisiis hærens belliger Hessus agris;

 Jam

Iam fera languenti, lævo sub sidere, febris
Morborumque graves incubuere moræ.
Sæpius ad nostras pervenit lethifer aures
Nuntius & fati prodiga fama tui.
Tunc miser indolui toties, gemuique feroces
Stamina Parcarum præsecuisse manus.
Increpuique Iovem & vitæ tot Numina nostræ.
Et tibi Diva Salus parcere jussa fuit.
Nunc periere malæ voces & nescia veri
Nuntia. plus faciles sensimus esse Deos.
Incolumis salvusque mihi jam cerneris, & quæ
Ægra fuit nuper dextera, sana datur.
En iterum læti mensis accumbimus îsdem,
Et bibimus reduci vina falerna tibi.
Et veteres longè, Batavo gaudente, dolores
Pellimus & quicquid triste ferumque fuit.
Nunc juvat Æmiliæ grandes memorare labores,
Sumptaque in Austriacos Principis arma tuæ.
Cum Gallo quid Cattus agat, cum Cæsare Gallus,
Belgica quas socias jungat amica manus.
Nunc Bavari crebras, media inter pocula, pugnas
Pingimus, & pugnæ pars, procul hoste, sumus.
Aut spectata Patrum jactamus nomina, quæ nunc
Destinat Europæ pax veneranda suæ.
Aut in Palladias animam diffundimus artes,
Et loquimur pedibus carmina fulta suis.
Sublimemque Helicona tuis conscendimus ausis,
Quo ruit ingenii vis animosa tui.
Hic tibi inexhaustis manat Sapientia rivis,
Castaliasque bibis non saturatus aquas.
Teutonicumque potes pleno mihi fundere carmen
Flumine, & hac nullo nata labore loqui.
Publica sic misces privatis commoda curis,
Et pulchras obeunt Mars & Apollo vices.
Et Batavo nunc orator, nunc esse poeta
Crederis, & studio dispare sæpè places.

Maxime vir, faciles currant tibi lenius anni,
Nec malus afflictum te velit esse dolor.
Quin potius vacuam rugis exporrige frontem.
Crede mihi, his poteris vultibus esse meus,
Et pulchræ meruisse fidem amplexusque serenæ
Virginis, aut viduæ basia casta tuæ.
Blanditias Citheræa cupit. non illa Catones
Eligat. austeros nescit amare Deos.
Aut quibus ille niger turbat præcordia sanguis,
Et Veneres mœrens odit habere suas.
Hæc iterum te lege velim. dic ire caballos,
Dic celeres nitidis curribus ire rotas.
Tunc lateri me junge tuo. consorsque bonorum
Claudat honoratum virgo decora latus.
Imus & augustam pariter raptamur in urbem,
Et properant currus, quò nequiere pedes.
Et, mox optatis silvarum abscondimur umbris,
Et foliis circumfundimur & tiliis,
Ne noceat Titan capiti. tunc Principis illic
Obvia fit bigis forte quadriga tuis;
Aut reginarum vultus spectamus & ora,
Aut socios secum quos trahit aula duces.
Faunorum passim latebras scrutamur, & illic
Quid Corydon faciat Nisaque, scire parum est.
Inde domum reduces, siccas damnamus arenas,
Et sitis affuso pellitur ægra mero.
Et fit cœna brevis, finitque hac gaudia Vesper,
Quaque venit placido nox peramica pede.
Dic age, Crosecqui: melior num vita Deorum est?
Aut meliore putas ludere sorte Iovem?
Hæc mihi stat regum titulis prælata voluptas,
Ista sodalitii gratior aura tui est.
Lætitiæ dator, in Batavis agnosce poëtam,
Qui tibi morosus vel gravis esse nequit.
Dum rident cœli facies, annusque, diesque,
Temporibus nolo degener esse meis.

Ad Illustres & generosos Dominos Barones
OXENSTERNIOS,
Patrueles, Propempticon.

QVos facit illustres bellatrix Suecia, & ipsa
Erigit in laudes Parrhasis Ursa suas,
Iamque hinc nobilitas, illinc doctrina perennes
Nuncupat & patriæ vult superesse duos,
Spes Sueonum, decus Arctoum, surgentia regnis
Astra, juventutis fulgidioris honos:
Tyndaridæ gemini, veluti cum Castore Pollux,
Et consanguinei biga sodalitii:
Ite meis reduces Musis & Apolline nostro,
Et comes ambobus gratia vatis eat.
Gratia, quam vestri peperit clementia vultus,
Et favor & studiis pronior aura meis.
Credite, me reddit præsens fortuna superbum,
Et per vos possum plus placuisse mihi.
Glorior heroum mensis accumbere & inter
Tot Batavos vestrum me tetigisse latus,
Et tectis cyathisque humilem maduisse sub iisdem,
Et Rhenense pari lege bibisse merum.
Seu Regina suæ sensit fecunda saluti
Pocla dari, & vatem non renuisse suum:
Seu nostros pleno Proceres immersimus auro,
Et potuit nobis Belgica tota bibi.
Seu pater Auriacus, seu mœnibus Amstela turgens
Convivas voluit nos benè velle sibi.
Tunc narrata fuit stantis sententia cœli,
Quæque queat totum vis agitare solum.
Num medio rutilet lampas Phœbeia centro,
Inque procul positam lumina vibret humum.
Sic lepidas docto sermone fefellimus horas,
Et sapiens nimium mensa gravisque fuit.

Nec

Nec satis hoc: patuit grandis facundia Vossi,
Et latè celebris sensimus ora senis.
Atque hominem, qui cuncta capit, veriqne recessus
Et contenta libris omnibus, intus habet.
Gallia si visa est vobis, plus mentis in illo est.
Illa potens armis prævalet, hic calamo.
Si teneri visa est facies innoxia Regis,
Hic aliquid, Phœbo judice, Regis habet.
Palladias dudum scriptus Dictator in artes,
Fulget Apollinei fax speciosa chori.
Qui dum fercla mihi, dum vobis fercula latus
Sufficit, officium Palladis esse reor,
Et nos excepisse Deam. Vos dicite Suedis,
Cum dapibus libros doctaque scripta dari.
Et veteres inter voces desuetaque nobis
Verba, trahi vinis prandia nostra novis.
Ite duo, & cum Parrhasium desertis in orbem
Carmina & hæc Musæ dona pusilla meæ,
Plus Patribus, plus Axelio promittite, cum me
Pertrahet in thalamos regia nupta suos.
Et qui Gustavum cecini, te, Filia, dicam,
Maxima Semideûm filia digna thoro.
Forte, procellosum dum vos conscenditis æquor,
Hæc tetricos fallet pagina lecta dies.
Aut si displiceat, cum fastidita movebunt
Æquora vos salsis fluctibus, evomite.

In Nobilissimi viri,

CONSTANTINI HUGENII

Eq. Zulechemi Domini, & Celsissimo Arausionensium Principi à consiliis & secretis.

DIES FESTOS.

Silete noctes Atticæ & vos Vesperæ
Siculis feroces, vosque noctes & Dies
Scribentis Ascræ. insanientis Græciæ
Silete festa, queis Eleusis tollitur,
Vel Roma fœdis dissoluta gaudiis,
Colit Lupercal; seque Baccho devovet
Lascivientis fex profana Romuli.
En, Christianis Vespera, Noctes, Dies
Alii refulgent, & fugatis noctibus
Cacutientis seculi, crepusculum
Illustre mundi deviis mortalibus
Cœleste lumen fundit & sacrat Deo.
Zulechemus Aulæ cultor & Celsi ducis
Divina fatur, & salutis principes
Sacrosque nobis tot dies loqui facit.
Qui nuper orbi tot diserta prodidit
Commenta vates, ingeniique fulgetra,
Qui curtum & acre in multiformes nanias
Epigramma torsit, & per impetus breves
Saliens, acutam provocavit Bilbilim:
Satur latini masculique spiritus,
Latiique doctis expeditus vocibus;
Iam verba donat Belga Belgis matribus,
Decusque grandis Hoofdiæ in lucem rapit,
Sacerque linguam mutat & facundiam.

Nunc Solis illam mystici illustrat die,
Causasque prodit ter verendi nominis,
Solemque Soli ab ipso Sole fœnerat.
Egressus annum, ceu renascens Virbius,
Novum salutat, hospitemque corporis
Animum reformat, induitque vestibus
Recti, pudoris, juris, innocentiæ,
Humanitatis, gratiæ & modestiæ.
Dum vagientis quærimus cum Regibus
Cunas Iēsu, & stella prælucet Magis,
Sequitur satelles noster, & per invias
Vias eunti stella fit puer Deus.
Sol ora condit, occidente Cynthio
Æternitatis, sed medentem crimini
Crucem tuetur, qui suum dolet nefas,
Diemque pœnis horridum placat sibi.
Ruentis iram & sævientis Angeli
Evadit ictus, cui cruenta limina
Nihil merentis victimæ tabo madent.
Hoc Pascha vatis. Illa gentibus fuit
Aurora felix, quæ sepultum reddidit
Vitæ parentem & morte mortem contudit.
Mox raptus altè nubiumque curribus
Vectus poëta, se potentis vindicis
Infert triumphis, seque adunari cupit,
Ceu Sponsa Sponso, filius suo patri,
Capitique membra, miles optimo duci,
Fraterque fratri, palmes ipsi vineæ.
Hinc lapsum ab alto Flamen omnes occupat,
Variisque linguis dum loqui facit Patres
Bissex, in ipso Vate fit miraculum,
Vnoque Batavis ore diversum sonat,
Grajusque Grajo, Belga Belgis, Ausoni
Respondet Auson, Celta genti Celticæ.
Præsepe sanctum, pauperes Christi lares,
Deforme tectum sospitatoris Dei,

Supplex adorat; sordidisque culcitris
Vnà quiescens, invenit sibi locum,
Quicunque fastum damnat hoc fœno suum,
Opesque quærit indigum juxtà Deum.
Tandem patescit mensa, quæ det pabula
Animæ labanti, & sanguine occultam sitim,
Famemque carne pellat indomabilem.
Donat seipsum corpus & simul datur.
Idemque sanctis pluribus corpus datur.
Quin plus farina vescimur. mens digerit,
Quod dens nequivit. intrat os pium Ceres
Stupenda, mentes esca fractis corporis.
Res tota vera est, discrepamus in modis.
Hos discrepantes dulcis uni Charitas.
Hæc sacra scribis Autor Hellemantiæ,
Dumque Orbis orbi donat orbis frustula,
Strenisque amoris vincla stringit vilibus;
Tu summa donas, quemque cuncti poscimus,
Quo cuncti egemus, involutus fasciis,
Cadens, resurgens, tot repertus Regibus,
Tot dona mittens, Strena mittitur Deus.

Ad Amplissimum virum
SILVEST. DANCKELMAN,
Territorii Lingensis Iudicem.

Linga potens, Batavûm bellis illustris & armis,
Per varias Martis capta, recepta vices,
Nassoviæ dos prisca domus, quæ juncta Cheruscis
Innocuis Amasis læta rigaris aquis:
Non jam belligeras in proxima rura phalanges
Evomis, & Frisio vis gravis esse solo.
Neutra places, motusque truces & prælia nescis.
Nec veteri nobis more cruenta noces.

Nempe

Nempe alio felix jam possessore triumphas.
Et tua Pieridum mœnia cultor habet.
Bella legit, sed nulla cupit. turmasque Quiritum
Volvit. at has terris gaudet abesse suis.
Totus in historia veterum est, Romamque recenset,
Et transacta Ducum tempora mente notat.
Dum paci, vacat Astrææ & Mavortia quondam
Limina, vult Themidi jam patuisse sua.
Sunt Phœbi, quas fulmineus Mars condidit, arces.
Claraque Bellonæ regia, facta Claros.
Mutasti Lingæ faciem, Vir magne, Ducumque
Area judiciis annuit æqua tuis.
Quæ fuit Auriaci statio, quæ regis Iberi,
Iudice tam facili, jam quoque Linga mea est.

Ad Ampl. doctissimumque virum IOHANNEM INGELIVM, Advocatum & poëtam insignem.

INgeli, mea quo toties sub judice Musa,
Affata est Batavos officiosa suos;
Sume tui versus irritamenta furoris,
Et tibi non spreti carmina vatis ama.
Tu placidum Vechtæ vacuus modularis ad amnem,
Grata tuis quoties otia quæris agris.
Nos medias inter, Phœbo indignante, paludes
Scribimus, & nostrum sordet & horret epos.
Illic Cirrha tibi est, illic cantillat Apollo
Suavius, & tersum fundit ab ore melos.
Cum voci citharam, cum barbita cantibus aptas,
Quæque canis, sequitur ludere docta manus.
Cum tua Terpsichore, cum docti Filia patris
Orphea vult plectro detinuisse suo.
Sperne fori rixas, mercantum sperne tabernas,
Sperne nimis trepidis limina tarda reis.

Optime, quas nescit decidere Curia lites,
Abrumpunt modulis Tuscula vestra tuis.

Ad
GERARDVM NIENDALIVM
de Nuptiis Vltrajecti disputaturum.

DVlces conjugii tabulæ primævaque mundi
Fœdera, non ullo dissocianda die,
Iam litis sunt caussa foro. queis jungimur omnes,
Disjungunt totas oscula casta scholas.
Et de basiolis nunc disceptare Cupido
Audet & in partes optima Cypris abit.
Cur? quia Niedalio Paphis placuere furores,
Et validus quinta prole superbit amans,
Hoc Citherea cupit dici sub Præside caussam,
Et pro se expertum basia stare virum.
Vos Themidis juvenes thalamos defendite verbis.
Rem Veneris melius, qui pater audit, aget.

IN OBITVM
Illustris ac Eruditionis fama celeberrimi VIRI,
HVGONIS GROTII,
Serenissimæ Suecorum Reginæ, apud Christianissimum Regem, cum viveret,
LEGATI.

SIstite cantandi rabiem, celeberrima, Musæ,
Numina & afflictam dilacerate chelyn.
Pegaseos subverte apices & culmina & omnes,
Queis passim coleris, subrue, Phœbe, domos,
Et Claron & Pataram Tenedonque, & quicquid amœnum
Et toto sacrum Vatibus orbe fuit.

Vtle

Vile poëtarum est, prostrato Principe, nomen,
Et tuus Illustri funere marcet honos.
Diva Themis, sileant leges & rostra, feroxque
Damnet & attonitos negligat hora reos.
Iam Minöe carent. justique interpres & aqui
Vult tibi, vult profugis legibus ire comes.
Gallia, qua Gothicis misces tua tela sarissis,
Iam caussas, Gothico cum Iove, litis habet.
Cur, Tethys malesana, furis? tibi nexa refringens
Vincula, liberius per Mare stravit iter.
Nunc jus omne tuum, Mavors, rescinde. furori
Do veniam. tanti destina juris obit.
Optima Pax, terris nimium crudelibus exi.
Ille tuus, laeso Numine, doctor abit.
Belgica, Hyperboreis irascere fluctibus. & tu
Æole, flagranti crimine, conde caput.
Barbarus es. docto claram Pharon eripis orbi,
Sceptraque pracelsa mentis egere facis.
Infelix Europa, tuo pars ista dolori
Additur & decori deficis ipsa tuo.
Nec laudum jam vecta tubâ per regna, per urbes,
Gentibus hunc monstras, Delfa superba, virum.
Doctrinaque facem cunctis ostendis Athenis,
Et nostro exortum grande sub axe jubar.
Exequias comitatur Arabs, Chaldaus & Assur,
Hebraeusque suum suspicit autor opus.
Cunctorum vox hujus erat. tot scripserat annis,
Et puer hac dixit, qua stupuere senes.
Quo quondam latuit tenebroso carcere, fulgens
Et celebris capta Palladis Aula fuit.
Hic secura suas mens exspatiata per artes,
Tot veterum secum sola recoxit opes.
Reddita libertas. angustis finibus, ingens
Quem Fama spatium non capit, arca capit.
Tunc Batavûm spissis Solem latuisse tenebris
Vidit & obstupuit Sol pater ista geri.

Tun-

Tunc Vahalis tunc Mosa ipsi jurasse salutem
Creditur & ventos increpuisse truces,
,,Et dixisse: vehis contractum capsula Magnum,
,,Qui mox, in Sueonum commoda, major erit.
Et fuit, & tantæ motus ac pondera caussæ,
A sera voluit posteritate legi,
Posthuma nascentes ibunt in secula libri.
Et tua prælustris prælia, Belga, leges,
Excussumque Tagi Dominum, partosque triumphos,
Assertamque inter busta necesque Fidem.
Lux Trisci, lux ille Novi, se subtrahit Ævo.
Scriptoremque necant tempora scripta suum.
En, Moses sine nube patet, sine tegmine Christi
Pagina, & hoc totus discitur ore Deus.
Non, Groti, me teste, viges. te purpura dudum
Extulit & Regum crevit honore tuus.
In te Borbonius nostræ miracula terræ,
Et Patriæ potuit fata notare tuæ.
Doctâ Caledoniæ tetigisti sceptra coronæ,
Parrasiumque tibi, Maxime, favit ebur.
Quem venerata fuit totis Sapientia castris,
Vndique tot mundi Regibus horror eras,
Et sacrum caput Augustum, quo sospite forsan
Bella suum poterant dedidicisse nefas.
Indoluit sors læva tuisque asperrima rebus,
Invidiam in partes traxit iniqua suas.
Subductumque suis, non jam subduxit Olympo.
Vnius spolium sed finit esse Dei.

FINIS.